TRACTATUS
DE
INCARNATIONE VERBI

PARS I

Omnia iura proprietatis auctor et editor sibi vindicant.

CHALON-SUR-SAÔNE, IMPRIMERIE DE E. BERTRAND

INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TRACTATUS
DE
INCARNATIONE VERBI

PARS I

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO

(3, Quaest. I — XV)

AUCTORE

FR. ALEXIO MARIA LÉPICIER

ORD. SERV. B. M. V.
IN COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
THEOLOGIAE PROFESSORE

Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo (1. Io. IV, 15).

Property of
CLaA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA CASSETTE, 10

6205

IMMACVLATAE · DEI · GENITRICI

BEATISSIMAE · SEMPER · VIRGINI

MARIAE

QVAE · IESVM · CHRISTVM · ET · HVNC · CRVCIFIXVM

IVXTA · CRVCEM · STANS

OMNIVM · PRIMA · SCIRE · MERVIT

ET

DIVINAE · SEDES · SAPIENTIAE

NVNCVPARI

APPROBATIONES

AVE † MARIA

Libentissime concedimus ut opus cui titulus *Tractatus de Incarnationis Mysterio* a Reverendissimo P. Mag. ALEXIO M. LÉPICIER, Ordinis nostri Procuratore Generali, in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiae Dogmaticae Professore, eiusdemque S. Congregationis Consultore, etc., typis edi possit, servatis aliunde de iure servandis.

Romae, ex Conv. nostro S. Mariae in Via, die 24 Iunii 1905.

† Loco sigilli. Fr. PEREGRINUS M. STAGNI,
Ord. Servor. B. M. V. Prior Generalis.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus LEPIDI, O. P. S. P. Ap. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus CEPPETELLI, Archiep. Miren., Vicesgerens.

PRAEFATIO

Non sine animi trepidatione accingor dicere de illo fidei nostrae mysterio, quo credimus secundam in Sanctissima Trinitate personam carnem humanam assumpsisse, hominemque nobis simillimum factam fuisse. Tale quippe hoc est divinae omnipotentiae portentum, ut cetera Dei opera longe superet, mentisque creatae captum ita vincat, ut solus ille dignus sit hoc mysterium effari, quem tanti operis agnoscimus auctorem. Quapropter propriae pusillitatis probe conscius, arduae molis opus tremebundus aggredior, veritus ne imperitia mea Dei donum potius deprimam, quam debitis laudibus extollam. Hic ergo, si unquam, illud certe nunc praemittendum censeo, scilicet me non propriis viribus, sed divino fretum auxilio, hanc de Verbi Incarnatione adoriri tractationem.

Quod quidem ut praestem suadent plures, nec eae quidem infirmae, rationes.

Primum sane urget gratus ille animi sensus quo erga huius mysterii auctorem devincti tenemur, qui non ad suam augendam beatitatem, sed ad nostram procurandam felicitatem homo fieri dignatus est, ut almo Sanguine mortis decretum deleret, nosque a peccato liberos ad suam immortalitatis sedem mortis victor transferret. Cum igitur ea sit prima pro benefactis gratia rependenda, ut illorum memoria mente non sinatur excidere, hinc muneris mei primum officium esse duxi illius mysterii rationes pia investigatione meditari, devota mente tenere, aliisque, quantum fas sit, fideliter tradere.

Nec silendum nihil esse quo efficacius ad Deum homo reduci valeat, quam considerationem Incarnationis Domini. Non solum enim vehementer accenditur studiosae mentis amor in Deum, quem deprehenderit tanta erga nos charitate actum fuisse, ut nostram naturam nostrosque labores susciperet, verum etiam ex consideratione eorum quae Incarnatum Verbum pro nobis fecit et passum est, hominis erigitur animus ut se divino exemplari conformet, iuxta ea quae scribit S. Petrus[1]: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.*

Accedit, et est ea res potissima, non ita recte a quibusdam, hodiedum, etiam religiosis viris, de Christo Domino sentiri, sicut fides catholica exigit. Iam quippe tot inter qui de Incarnato Verbo scribendum suscepere, desideratur qui, praetextu extollendi illius humanitatem, divinitatem aliquo modo non depresserit. Scilicet, auctis admodum rerum naturalium studiis, et gentium historia in clariorem lucem redacta, pluribus visum est id de Christo Domino quadantenus dici posse quod de aliis quibuscumque religionum fundatoribus, quorum nomen temporis decursu clarius evasit, edicitur, illum nempe de imperfectiori rudiorique forma in nobiliorem et perfectiorem paulatim successisse, suoque naturali ingenio debuisse quod supra ceteros homines emicuerit. Inde detrectata Christo illa scientiae plenitudo quam Scripturae praedicant; inde diminuta potentia quae eius, utpote veri Dei, propria est; inde exagerati defectus quos carnis reparandae gratia volens suscepit: uno verbo, taliter Christi Domini formam illimet auctores, qui tamen rationalismi labem se respuere velle profitentur, descriptam relinquunt, ut illum vix homine maiorem scriptis suis repraesentent.

Ex alia parte neminem latet, inter novissimi temporis mala, illud futurum esse plane maximum, quod revelandus sit *homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*[2]. Quod profecto arguit fidem in Verbum Incarnatum, humani generis Redemptorem, adeo ultimis temporibus esse obfuscandam, ut specie pseudo-Messiae

1. 1, Ep. IV, 1. — 2. 2, Thess. II, 3, 4,

decepti, permulti, ut Sacrae Paginae testantur, a vero Messia sint discessuri. Ex quo luce clarius constat Ecclesiae ministrum, si in ceteris fidei nostrae dogmatibus, maxime certe in iis quae ad Incarnationis mysterium pertinent probe instructum esse oportere, quippe quod, utpote centrum et fundamentum religionis christianae, ab antiquo salutis humanae hoste acrius ceteris impugnabitur. Nonne impugnationes de die crescentes contra Verbum hominem factum innuunt appropinquasse iam bellum illud immane quod legimus suscitandum esse ultimis temporibus in Christi fideles?

Quae ita cum sint, apparet quanti sit momenti, ut ii potissime, quibus cura concredita est sacram doctrinam propagandi et Novae Legis mysteria dispensandi, studio incumbant Christum penitius cognoscendi, non qualem cuiuslibet scriptoris imaginatio effinxerit, sed qualem evangelica et theologica veritas demonstrat: sic quippe fiet, ut et dignos suis laboribus fructus decerpant, et futuris Ecclesiae necessitatibus prospiciant; quandoquidem *non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* [1].

In hoc parando volumine, quod duobus tomis constat, non aliam mihi sequendam esse duxi methodum a methodo quam in aliis voluminibus hucusque in lucem editis conficiendis tenui. Siquidem alte manet menti defixa, nec temporis lapsu minuitur, imo potius augetur, persuasio, non ex alio quam S. Thomae Aquinatis, qui est Ecclesiae theologus, uberrimo fonte, dicendorum rationes, quod ad dogmata nostra attinet, esse hauriendas. Sane, si in aliis quibuscumque theologicis tractatibus sedulum se veritatis indagatorem constanter exhibet Doctor Angelicus, ubi de Incarnatione Domini verba facit, superiorem se ipsemet nitide se prodit, quippe quem dixeris Spiritu Sancto afflatum potius canticum amoris Homini-Deo panxisse quam scholasticum tractatum edidisse.

Dum tamen hunc ducem quam fidelissime sequi conatus sum, aliorum quoque scriptorum opera pervolvere non omisi, ut

1. Act. IV, 12.

inde aut probanda, abundantioris doctrinae gratia, promerem, aut improbanda indigitarem, quatenus ab infectis falsarum doctrinarum rivulis discipulos arcerem. Quod tamen parce, nec plus quam rei natura postulaverit, praestiti : ne videlicet studiosorum mentes ab iis quae scientifico rigore postulantur nimium distractos tenerem.

Liceat mihi quotquot meis lectionibus unquam interfuerunt aut adhuc, Deo concedente, intererunt, verbis S. Petri alloqui[1] : *Vos igitur fratres, praescientes, custodite : ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et in cognitione Domini Nostri et Salvatoris Iesu Christi: ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis. Amen.*

Romae, in festo Pentecostes,
11 Iunii 1905.

1. 2. Ep. III, 17, 18.

INDEX RERUM

PROOEMIUM

Paginae

1. Ratio huius tractatus 1
2. Divisio tractatus de Incarnatione 2
3. Dignitas huius tractationis 3
4. Nomina quibus hoc mysterium designatur 5
5. Incarnatio est proprie dictum mysterium 7
6. Duo scopuli praecavendi 8
7. De nomine Verbi incarnati 9

QUAESTIO PRIMA

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS

Prologus

1. Sensus quaestionis 11
2. Ordo quaestionis 12

ART. I. — *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari*

1. Ratio articuli 13
2. PROP. — Convenientissimum fuit Deum incarnari. — PROB. I. A posteriori 13
3. II. Directe 14
4. Explicatur argumentum 14
5. DIFFICULTAS SOLVITUR. α) Incarnatio non offendit contra Dei immutabilitatem 15
6. β) Nec contra Dei dignitatem 16
7. γ) Nec contra sanctitatem Dei 16
8. δ) Nec contra Dei immensitatem 17

ART. II. — *Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari*

Paginae

1. Errores 17
2. PROP. — Incarnatio fuit necessaria, ut melius et convenientius humanae naturae reparatio haberetur. — PROB. 18
3. EXPONITUR MINOR. I. Per Incarnationem multipliciter homo fuit promotus in bonum 19
4. II. Per Incarnationem homo fuit convenienter remotus a multiplici malo 22
5. CONCLUSIO 23
6. DIFFICULTAS 23
7. QUAESTIO. Utrum aliquis purus homo pro peccato generis humani satisfacere potuerit? 24
8. Responsio negativa probatur 24

ART. III. — *Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset*

1. Ratio articuli 26
2. Sententiae 27
3. PROP. — Si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset .. 27
4. Ratio theologica 28
5. Ostenditur minor 28
6. Patrum traditio 29
7. SCHOLION. Mens S. Scripturae et SS. Patrum declaratur 30
8. Confirmatur 30
9. SOLVUNTUR DIFFICULTATES 31
10. COROLLARIUM. Peccato non existente, non fuisset B. Virgo, nec Ecclesia, nec sacramenta 33
11. QUAESTIO. Quomodo praedestinatio Christi praecesserit praedestinationem nostram? 33
12. CONCLUSIO 36
13. Auctoritas S. Pauli 38

ART. IV. — *Utrum principalius Christi Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale*

1. Praenotandum 39
2. Auctoritas S. Pauli 40
3. PROP. — Christus fuit incarnatus principalius ad tollendum peccatum originale quam actuale. — PROBATUR 41
4. CONFIRMATUR 42
5. SOLVUNTUR DIFFICULTATES 42

Paginae

6. Quaestio. Quisnam sit sensus verborum S. Pauli (Gal. II, 20): (Christus) *dilexit me et tradidit semetipsum pro me?* 43
7. Corollarium. Existentibus solis peccatis actualibus, Christus non venisset; venisset autem solo originali existente 44

Art. — V. — *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi*

1. Sensus quaestionis 44
2. Prop. — Non fuit conveniens Deum incarnari statim post peccatum. — Prob. 45
3. Exponitur argumentum. α) Incarnatio utpote ordinata ad curandam hominis superbiam, non debuit fieri statim post peccatum 45
4. β) Nec in quantum per eam natura humana nobilitabatur 45
5. Tacita obiectio 46
6. γ) Nec in quantum Incarnatio erat opus summae excellentiae 47
7. δ) Nec quatenus ad fervoris excitamentum ordinabatur 47
8. Confirmatur 47
9. Solvitur dubium 48
10. Solvuntur difficultates 48

Art. VI. — *Utrum Incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi*

1. Duo Christi adventus 50
2. Prop. — Non fuit conveniens ut Incarnatio differretur usque ad finem mundi. — Prob. 51
3. Exponitur argumentum. α) Incarnatio, in quantum futura erat causa efficiens perfectionis humanae naturae, non debuit differri usque ad finem mundi 51
4. Corollarium. Perfectio gloriae debet differri usque ad finem mundi 52
5. β) Nec in quantum Incarnatio ordinabatur ad renovandam notitiam Dei morumque honestatem, ita debuit differri 52
6. γ) Nec in quantum ordinabatur ad salutem hominum 53
7. Scholion. Testimonium Habacuc 53
8. Difficultas contra S. Thomae doctrinam mota 54

DISSERTATIO SPECIALIS

DE INCARNATIONIS EXISTENTIA

Prologus 56

CAPUT PRIMUM

DE PROPHETIIS VETERIS TESTAMENTI

Paginae

§ I. De Protoevangelio 60
§ II. De vaticiniis respicientibus Messiae progenitores. 62
§ III. De vaticiniis respicientibus Messiae attributa 65
§ IV. De vaticiniis circa Messiae actiones et passiones 66
§ V. De vaticiniis respicientibus Messiae locum originis 68
§ VI. De vaticiniis respicientibus tempus adventus Messiae. —
1. Vaticinium Iacob 69
2. Vaticinium Danielis 72
3. Vaticinia trium ultimorum prophetarum. —
A. Vaticinium Aggaei 76
B. Vaticinium Zachariae 77
C. Vaticinium Malachiae 78
§ VII. Generalis conspectus vaticiniorum messianicorum 80
1. Messiae nativitas et infantia 80
2. Passionem praecedentia 81
3. Passio et mors 82
4. Resurrectio et ea quae illam sunt secuta 83

CAPUT SECUNDUM

DE PAGANORUM TESTIMONIIS CIRCA MESSIAE ADVENTUM

§ I. De Sibyllarum libris 85
§ II. Excerpta profanorum auctorum testimonia 87
Conclusio 89

QUAESTIO SECUNDA

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI

Prologus

1. Divisio secundae partis 91
2. Ratio huius quaestionis 91
3. Divisio quaestionis 92

Art. I. — *Utrum unio Verbi Incarnati sit facta in natura*

1. Undenam oriatur difficultas 94

Paginae
2. Eutychetis error ... 94
3. Prop. — Unio Verbi cum natura humana non est facta in natura ... 95
4. Suadetur propositio ... 95
5. Quid sit natura ... 95
6. Aristotelica naturae definitio ... 96
7. Definitio naturae a Boëtio tradita ... 97
8. Probatur propositio ... 97
9. α) Unio Verbi cum natura humana non potuit fieri tanquam ex duobus perfectis integris manentibus ... 98
10. β) Nec tanquam ex duobus perfectis transmutatis ... 98
11. γ) Nec tanquam ex duobus imperfectis integris manentibus ... 99
12. Notandum ... 100
13. Confirmatur ... 100
14. Quaestio I. Quisnam sit sensus huius comparationis: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus?* ... 100
15. Quaestio II. Quisnam sit sensus horum verborum: *Natura divina est incarnata;* necnon horum: *Natura humana est deificata?*. 101
16. Scholion. De mente S. Cyrilli Alexandrini ... 102

Art. II. — *Utrum unio Verbi Incarnati sit facta in persona*

1. Ratio articuli ... 103
2. Distinctio naturae a persona ... 103
3. Definitio personae ... 104
4. Prop. — Unio Verbi cum humana natura facta est in persona. — Prob. I. Ex auctoritate ... 105
5. II. Ex Ratione theologica ... 106
6. Confirmatur ... 106
7. Difficultas I ... 107
8. Difficultas II ... 108
9. Difficultas III ... 109

Art. III. — *Utrum unio Verbi Incarnati facta sit in supposito vel hypostasi*

1. Ratio articuli ... 110
2. Quid significet hypostasis ... 110
3. Prop. — Ita facta est unio Verbi cum natura humana in persona, ut sit facta etiam in hypostasi vel supposito ... 111
4. Probatur. α) Ex ipsa ratione hypostasis ... 111
5. β) Ex modo quo unio facta est ... 111
6. γ) Ex modo praedicandi ... 112
7. Solvuntur difficultates ... 113

Paginae

8. Scholion. Christus, secundum quod homo, est in specie humana 114

Art. IV. — *Utrum persona vel hypostasis Christi post Incarnationem sit composita*

1. Praenotanda 114
2. Duplex acceptio personae 116
3. Prop. — Persona Verbi, α) secundum illud quod est in se, est omnino simplex; sed β) secundum rationem personae, dici potest composita. — Prob 1ª pars 116
4. Prob. 2ª pars 116
5. Tacita obiectio 117
6. Corollarium 118
7. Scholion. Compositio ex natura et supposito quodammodo salvatur in Christo 118
8. Difficultas solvitur 118

Art. V. — *Utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo*

1. Errores 119
2. Prop. — Necesse est dicere animam in Christo fuisse corpori unitam 120
3. Prob. Ratione theologica 120
4. Corollarium. Haereticum est dicere in Christo non fuisse animam corpori unitam 120
5. Solvuntur difficultates 121
6. Quaestio. Quisnam sit sensus horum verborum Damasceni : *In Domino Iesu Christo non est communem speciem accipere?* 121

Art. VI. — *Utrum natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter*

1. Ratio articuli 123
2. Quid sit secundum fidem agnoscendum 123
3. Tres sententiae 124
4. Critica 125
5. Prop. — Unio Verbi cum natura humana non est facta α) essentialiter, β) nec accidentaliter, sed γ) medio quodam modo, id est secundum hypostasim seu subsistentiam. Probatur 126
6. Confirmatur 127
7. Quaestio. Quisnam sit sensus verborum S. Pauli (Phil. II. 7.) : (Filius Dei) *Habitu inventus* (est) *ut homo?* 127
8. Cuinam Incarnatio sit dicenda similis 129
9. Difficutates solvuntur 129

Paginae

10. Quaestio. Quanam ratione dicitur quod caro Christi est instrumentum divinitatis? ... 131
11. Solutio difficultatis ... 132
12. Rosminii sententia expungitur ... 132

Art. VII. — *Utrum unio naturae divinae et humanae sit aliquid creatum*

1. Advertenda ... 134
2. Prop. — Unio naturae divinae et humanae est aliquid creatum. Probatur ... 135
3. Difficultas solvitur ... 135
4. Scholion. Ex eo quod unio est quid creatum, non sequitur Christum esse Deum accidentaliter ... 136
5. Corollarium. Non potest dari nexus medius formaliter uniens naturam humanam Verbo ... 137

Art. VIII. — *Utrum unio Verbi Incarnati sit idem quod assumptio*

1. Ratio articuli ... 138
2. Prop. — Unio Verbi incarnati non est idem I. quod assumptio, nec II. quod incarnatio. — I. Prob. α) Ex diversitate eius quod ab utraque importatur ... 138
3. β) Ex diverso modo significandi ... 139
4. γ) Ex diversitate determinationis termini ... 140
5. Corollarium I. Non est omnino idem uniens et assumens, unitum et assumptum ... 140
6. II. Discrimen inter assumptionem et incarnationem ... 141
7. Corollarium. Inter *assumptionem* et *incarnationem* est tantum differentia rationis; sed inter *assumptionem* et *unionem* est differentia realis ... 141

Art. IX. — *Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum*

1. Ratio articuli ... 142
2. Prop. — Unio duarum naturarum in Christo, non quidem α) ex parte eorum quae coniunguntur, sed β) ex parte eius in quo coniunguntur est maxima unionum. — Prob. 1ª pars ... 142
3. Prob. 2ª pars ... 143
4. Scholia. Unio ista praestat I. unioni animae et corporis in nobis; II. unitati numerali; III. unioni accidentium in Christo, et iustorum in Deo ... 143
5. Quaestio. Utrum unio Incarnationis sit maior quam unio trium personarum in una divina Essentia? ... 144

ART. X. — *Utrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam*

Paginae

1. Quid sit gratia ... 145
2. PROP. — Unio duarum naturarum in Christo est facta α) per gratiam, sumptam pro ipsa Dei voluntate gratis vel gratum aliquid faciente, non autem β) sumptam pro habituali gratiae dono, quin potius γ) est ipsamet gratia quaedam, scilicet singularissimum et omnino gratuitum Dei donum. — PROB. — α) Unio duarum naturarum in Christo est facta per gratiam, sumptam pro ipsa Dei voluntate ... 146
3. β) Unio Incarnationis non est facta per gratiam habitualem ... 146
4. CONFIRMATUR ... 147
5. COROLLARIUM. In quonam differat Sanctus Sanctorum ab aliis sanctis ... 147
6. γ) Unio Incarnationis est ipsummet gratuitum Dei donum, seu gratia singularissima ... 148
7. QUAESTIO I. Quonam sensu debeant intelligi verba S. Pauli (Col. II, 9): *In ipso* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter?* ... 148
8. QUAESTIO II. Utrum gratia unionis sit aliquid creatum? ... 149

ART. XI. — *Utrum unionem Verbi Incarnati aliqua merita praecesserint*

1. Ratio articuli ... 149
2. PROP I. — Nulla Christi merita unionem Verbi Incarnati praecesserunt. — PROB ... 150
3. CONFIRMATUR ... 150
4. PROP. II. — Nulla opera alterius cuiuscumque hominis potuerunt esse meritoria ex condigno unionis Verbi incarnati. — PROB. 150
5. CONFIRMATUR ... 151
6. PROP. III. — Unionem Verbi incarnati aliqua merita praecesserunt de congruo. — PROB ... 151
7. Observandum circa primam propositionem ... 152
8. CONFIRMATUR ... 152
9. Explicantur aliqua loca Sacrae Scripturae ... 152
10. DIFFICULTAS SOLVITUR ... 153
11. SCHOLIA ... 153
12. Observandum circa secundam propositionem ... 153
13. Notandum circa tertiam propositionem ... 154

ART. XII. — *Utrum gratia unionis fuerit Christo naturalis*

1. Status quaestionis ... 155

Paginae

2. Prop. — Gratia Christi sive unionis sive habitualis α) non potest dici naturalis, quasi causata ex principiis humanae naturae, β) potest tamen sic dici naturalis, quasi proveniens in humanam Christi naturam, causante divina natura ipsius: γ) utraque vero potest dici naturalis in Christo in quantum eam a nativitate habuit. — Prob. 156
3. Scholia 156
4. Corollarium. Gratia unionis potest dici *naturalis* et *personalis* ... 157
5. Difficultas solvitur 157

DISSERTATIO SPECIALIS

DE HAERESIBUS NESTORII ET EUTYCHETIS

§ I. De Haeresi Nestoriana

Anathematismi S. Cyrilli Alexandrini 162
Fidei professio S. Cyrilli Alexandrini 167

§ II. De Haeresi Eutychiana

Epistola S. Leonis ad Flavianum 170
Chalcedonensis fidei processio 173

QUAESTIO TERTIA

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS

Prologus

1. Ratio quaestionis 176
2. Quaestionis divisio 176

Art. I. — *Utrum personae divinae conveniat assumere naturam creatam*

1. Praenotanda 178
2. Prop. — Personae divinae propriissime competit assumere naturam creatam. — Prob 178
3. Confirmatur 179
4. Advertendum circa ly *propriissime* 179
5. Difficultates solvuntur 179
6. Scholion. Explicantur verba S. Thomae: *Proprium est divinae*

Paginae

personae, propter eius infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam 180
7. Corollaria 182

Art. II. — *Utrum divinae naturae conveniat assumere*

1. Praenotanda 182
2. Prop. — Divinae naturae α) tanquam assumptionis principio, β) non autem tanquam assumptionis termino, secundum seipsam convenit assumere. — Prob. 1ª pars 183
3. Scholion. Explicatur dictum S. Thomae: *Virtute* (divinae naturae) *assumptio facta est* 184
4. Prob. 2ª pars 184
5. Expenduntur SS. Patrum dicta 185
6. Difficultates solvuntur 185
7. Quaestio. Utrum potuerit assumptio terminari in naturam divinam 186
8. Solvitur dubium 187
9. Scholion. Incarnatio est opus ad extra 188

Art. III. — *Utrum abstracta personalitate per intellectum natura possit assumere*

1. Ratio articuli 189
2. Quid sit abstractio 189
3. Quotuplex sit abstractio 190
4. Prop. — Abstracta per intellectum personalitate, possumus adhuc intelligere naturam divinam assumentem 190
5. Explicatur 191
6. Solvuntur difficultates 192
7. Scholion. Vindicatur possibilitas Incarnationis 193

Art. IV. — *Utrum una persona possit sine alia naturam creatam assumere*

1. Errores 194
2. Prop. — Una persona α) non potest naturam humanam assumere, alia non assumente, secundum quod assumptio importat actum, β) potest tamen, secundum quod importat terminum. — Prob. 1ª Pars 194
3. Prob. 2ª Pars 194
4. Corollaria 195
5. Solvitur difficultas 196
6. Scholia. — I. Incarnatio distingui debet ab illa assumptione,

Paginae

quae fit per gratiam adoptionis. — II. Pater et Spiritus Sanctus sunt in humanitate Christi per concomitantiam 196

ART. V. — *Utrum quaelibet persona divina potuerit humanam naturam assumere*

1. Ratio articuli 197
2. PROP. — Pater vel Spiritus Sanctus potuerunt carnem assumere aeque ac Filius. — PROB. 197
3. CONFIRMATUR 198
4. COROLLARIA 198
5. QUAESTIO. Quid de adoptione nostra dicendum foret si, verbi gratia, Pater fuisset incarnatus? 199

ART. VI. — *Utrum plures personae divinae possint assumere unam numero naturam*

1. Status quaestionis 199
2. PROP. — Plures divinae personae potuerunt assumere unam numero naturam humanam 200
3. Advertenda 200
4. Ostenditur non repugnantia 201
5. QUAESTIO. Utrum in hoc casu esset unus homo, an plures? 202
6. SCHOLIA 203

ART. VII. — *Utrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas*

1. Praenotanda 204
2. PROP. — Una persona divina potuit assumere plures naturas humanas. — I. SUADETUR 205
3. II. PROBATUR argumento apodictico 205
4. DIFFICULTAS SOLVITUR 206
5. QUAESTIO. Utrum persona assumens, in hac hypothesi, deberet dici unus homo, an duo vel plures homines? 206
6. Solutio 207
7. SCHOLION. In hac hypothesi Christus subsisteret in duabus naturis completis et distinctis 208

ART. VIII. — *Utrum fuerit magis conveniens quod persona Filii assumeret humanam naturam, quam alia persona divina*

1. Ratio articuli 209
2. PROP. — Convenientissimum fuit personam Filii incarnari. —

Paginae

SUADETUR 209
3. PROB. I. Ex appropriatis Filio 209
4. II. Ex propriis Filii 210
5. III. Argumento apodictico 211
6. EVOLVITUR ARGUMENTUM. — I. Convenit Filium incarnari, utpote qui est similitudo exemplaris hominis 211
7. II. Secundum quod est Filius Dei naturalis 212
8. III. Secundum quod ipsi appropriatur ratio sapientiae 212
9. SCHOLION. Ostenditur convenientia ex Patribus 213
10. DIFFICULTATES SOLVUNTUR 213

QUAESTIO QUARTA

DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURAE HUMANAE ASSUMPTAE

Prologus

1. Ordo quaestionum huius partis 216
2. Ratio praesentis quaestionis 218
3. Ordo huius quaestionis 218

ART. I. — *Utrum humana natura fuerit magis assumptibilis a Filio Dei, quam aliqua alia natura*

1. Praenotanda 219
2. PROP. — Natura humana fuit magis assumptibilis a Filio Dei, quam alia natura quaecumque. — PROBATUR 220
3. Roboratur argumentum 220
4. COROLLARIUM. Natura humana dicitur simpliciter assumptibilis 221
5. SCHOLION. Ratio inassumptibilitatis naturae irrationalis 222
6. Ratio inassumptibilitatis naturae angelicae 223
7. DIFFICULTAS SOLVITUR 223
8. VERBA CARD. CAIETANI 224

ART. II. — *Utrum Filius Dei assumpserit personam*

1. Status quaestionis 224
2. Dubitandi ratio 225
3. Opiniones 226
4. Card. Caietani sententia 226
5. SOLVUNTUR DIFFICULTATES contra hanc sententiam 227
6. Vindicatur proposita sententia 227
7. CONFIRMATUR multipliciter 228

Paginae
8. Probatur ab indirecto 228
9. Quid sit ista realitas 229
10. Scholion. Personalitas debet concipi ut ultimus terminus rei.. 230
11. Corollaria 231
12. Solutio difficultatum 232
13. Prop. — Nullo modo Filius Dei assumpsit humanam personam. — Prob. 232
14. Tacita obiectio 233
15. Expenduntur Patrum effata 233
16. Recapitulatio 234

Art. III. — *Utrum persona divina assumpserit hominem*

1. Ratio articuli 235
2. Prop. — Non potest dici proprie loquendo quod Filius Dei assumpsit hominem. — Prob. I. Auctoritate 236
3. II. Ratione theologica 236
4. Confirmatur 237
5. Scholion 237
6. Corollarium. Quaedam locutiones SS. Doctorum piae exponendae 237
7. Difficultas solvitur 237

Art. IV. — *Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis*

1. Sententiae circa universalia 238
2. Quomodo existunt universalia 239
3. Critica supradictarum opinionum 240
4. Status quaestionis 241
5. Prop. — Humana natura non debuit assumi a Filio Dei abstracta ab omnibus individuis, α) sive secundum quod fingi posset cum Platone subsistens praeter materiam sensibilem, β) sive secundum quòd revera est actu in mente, tum divina tum humana. — Prob. α) Talis natura assumptibilis non esset propter tria 241
6. β) I. Nec assumptibilis fuit natura humana ut est actu in mente divina 242
7. II. Humana natura non fuit assumptibilis prout est in intellectu humano 242
8. Difficultates solvuntur 243

ART. V. — *Utrum Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus individuis*

Paginae

1. Sensus quaestionis 244
2. PROP. — Non fuit conveniens quod humana natura in omnibus suis suppositis a Verbo assumeretur. — PROB. 244
3. Evolvitur argumentum 245
4. DIFFICULTAS SOLVITUR 245
5. SCHOLION. Confirmatur haec consideratio tum ex parte bonitatis divinae, tum ex parte sapientiae divinae 246

ART. VI. — *Utrum conveniens fuerit quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adae*

1. Fidei catholicae professio 247
2. PROP. — Conveniens fuit quod Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adae 247
3. PROB. α) Ex ordine iustitiae 247
4. β) Ex hominis dignitate procuranda 248
5. γ) Ex magna Dei potentia 248
6. Expenduntur variae hypotheses 248
7. SOLVITUR OBIECTIO 249
8. SCHOLION. Quid dicendum de iis, qui fingunt humanum genus, praeter illud ex Adam derivatum, extitisse 250

QUAESTIO QUINTA

DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANAE NATURAE

Prologus

1. Fidei catholicae professio 252
2. Haereticorum errores 252
3. Quaestionis divisio 253

ART. I. — *Utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus*

1. Explicatio terminorum 254
2. PROP. — Filius Dei debuit assumere verum corpus 254
3. PROBATUR triplici ratione 255
4. CONFIRMATUR 256

Paginae

5. Quaestio. Quonam sensu sint intelligenda ista verba S. Pauli (Phil., II, 7): *In similitudinem hominum factus;* necnon haec alia (1 Cor. V. 16): *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus?* 256
6. Difficultas solvitur 256
7. Scholion. Distinctio inter apparitiones Veteris Testamenti et Verbi incarnationem 257

Art. II. — *Utrum Dei Filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem*

1. Error 258
2. Prop. — Filius Dei assumpsit corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem 258
3. Probatur ratione theologica triplici 259
4. Quaestio. Quisnam sit sensus horum verborum (1 Cor., XV, 47): *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis?* Necnon horum verborum (Ibid., 50) : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt?* Et istorum (Io., III, 16) : *Quod natum est ex spiritu, spiritus est?* 260
5. Difficultas solvitur 261
6. Scholia. I. Reprobantur quaedam imagines depictae. 261

Art. III. — *Utrum Filius Dei assumpserit animam*

1. Errores 262
2. Prop. — Filius Dei assumpsit animam 262
3. Probatur ratione theologica triplici. α) Ex veritate evangelicae narrationis 263
4. β) Ex utilitate Incarnationis 264
5. γ) Ex Incarnationis veritate 265
6. Quaestio. Cur Ioannes dixerit: *Verbum caro factum est,* nulla facta mentione de anima? 265
7. Difficultas solvitur 265

Art. IV. — *Utrum Filius Dei assumere debuerit intellectum*

1. Errores 266
2. Prop. — Filius Dei assumpsit intellectum 266
3. Probatur ratione theologica triplici. α) Ex veritate evangelicae narrationis 267
4. β) Ex utilitate Incarnationis 267
5. γ) Ex Incarnationis veritate 267

Paginae

6. Tacita obiectio 268
7. Scholion de Rosminii sententia 268
8. Difficultates solvuntur 269

DISSERTATIO SPECIALIS

DE PRETIOSISSIMO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI SANGUINE

1. Ratio dissertationis 271
2. Prop. — Verbum assumpsit sanguinem. — Prob. generaliter 271
3. Probatur specialiter. α) Ex S. Scriptura 272
4. β) Ex auctoritate Ecclesiae 272
5. γ) Ex ratione theologica 273
6. Confirmatur 273
7. De Sanguine Christi in terris asservato 273
8. Distinctiones praemittendae 274
9. Adnotanda 275
10. Solvitur dubium de Christi Sanguine in terris asservato 276
11. Quaestio. Qualis cultus debeatur Sanguini Christi in terris asservato? 277
12. De caeteris corporis humani humoribus 277
13. Dentes, capilli, ungues et ossa in Christo Domino 278

QUAESTIO SEXTA

DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM

Prologus

1. Ratio quaestionis 279
2. Ordo quaestionis 279
3. Error 280

Art. I. — *Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima*

1. Praenotanda 281
2. Prop. — Filius Dei α) non univit sibi carnem mediante anima, secundùm quod medium significat ordinem temporis, β) bene tamen secundum quod medium significat ordinem naturae, tum attento dignitatis gradu, tum considerata ratione causalitatis. — Prob. 1ª pars 281
3. Prob. 2ª pars. — I. Auctoritate 281

Paginae
4. II. Ratione theologica 282
5. Scholion 282
6. Corollarium I. Differentia inter modum quo creaturae procedunt a Deo, et modum quo ad Deum reducuntur 282
7. Difficultas solvitur 283
8. Corollarium II. Anima mediat in carnis assumptione tripliciter. 284

Art. II. — *Utrum Dei Filius assumpserit animam mediante spiritu sive mente*

1. Sensus quaestionis 285
2. Prop. — Filius Dei assumpsit animam mediante spiritu, sive mente. — Prob. I. Auctoritate 285
3. II. Ratione theologica 286
4. Difficultas solvitur 286
5. Scholion. Congruentia assumptionis partium inter se 286

Art. III. — *Utrum anima a Dei Filio prius fuerit assumpta quam caro*

1. Ratio articuli 287
2. Prop. — Anima non fuit a Filio Dei prius assumpta quam caro. 287
3. Prob. Ratione theologica 288
4. Difficultas solvitur 288
5. Quaestio. Quomodo potuerunt homines ante Christum existentes salutem per ipsum consequi? 289

Art. IV. — *Utrum caro Christi fuerit prius a Verbo assumpta, quam animae unita*

1. Ratio dubitandi 290
2. Prop. —Caro Christi prius non fuit assumpta quam fuerit animae rationali unita. — Prob. I. Auctoritate 290
3. II. Ratione theologica 290
4. Confirmatur 291
5. Scholion. Differentia inter generationem Christi et generationem aliorum hominum 291
6. Difficultas solvitur 292

Art. V. — *Utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus*

1. Praenotanda 293
2. Prop. I. — Secundum ordinem intentionis, Verbum Dei assumpsit partes humanae naturae mediante toto. — Probatur 294

Pagina

3. Ratio theologica 294
4. Scholion 294
5. Prop. II. — Secundum ordinem executionis, assumptio partium humanae naturae fuit prior, ordine naturae, quam assumptio totius. — Prob. 295
6. Confirmatur 295
7. Difficultas solvitur 295

Art. VI. — *Utrum humana natura sit assumpta mediante gratia*

1. Ratio articuli 296
2. Prop. — Neque β) gratia unionis, neque β) gratia habitualis possunt intelligi ut medium in assumptione naturae humanae. — Prob. I. De gratia unionis 296
3. II. De gratia habituali 297
4. Confirmatur 297
5. Tacita obiectio 297
6. Quaestio. Quid significent verba S. Augustini : *Verbum incarnatum, est sicut verbum nostrum in voce?* 298
7. Corollarium. Congruit ut Spiritui Sancto attribuatur conceptio Christi 298

QUAESTIO SEPTIMA

DE GRATIA CHRISTI, PROUT EST QUIDAM SINGULARIS HOMO

Prologus

1. Ratio huius partis 299
2. Christi, secundum humanam naturam, prophetica descriptio. —
I. Sponsi praeconia 300
II. Sponsae laudes 302
III. Laudes filiorum 302
3. Ratio huius quaestionis 303
4. Quaestionis divisio 303

Art. I. — *Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis*

1. Praenotandum 306
2. Prop. — Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem. — Prob. I. Ex auctoritate 306
3. II. Ratione theologica 307

Paginae
4. Advertendum ... 307
5. Tacita difficultas ... 308
6. Scholion. Humanitas Christi fuit sanctificata duplici modo, *radicaliter*, et *formaliter* ... 308

Art. II. — *Utrum in Christo fuerint virtutes*

1. Quid et quotuplex sit virtus ... 309
2. Status quaestionis ... 310
3. Prop. — Christus habuit omnes virtutes, et quidem perfectissimo modo. — Prob. 1. Ex S. Scriptura ... 310
4. II. Ratione theologica ... 311
5. Scholion. Huiusmodi virtutes perfectissime fuerunt in Christo ... 311
6. Quaestiones. I. Utrum in Christo fuerint liberalitas et magnificentia, necnon temperantia ... 312
II. Utrum Christus habuerit continentiam et poenitentiam? ... 313
7. Adnotandum ... 313

Art. III. — *Utrum in Christo fuerit fides*

1. Quo sensu hic sumatur fides ... 314
2. Prop. — Nulla ratione fuit in Christo fides. — Prob. ... 314
3. Confirmatur ... 315
4. Scholion. Christo non defuit id unde in nobis est fidei meritum. 315
5. Difficultas solvitur ... 316

Art. IV. — *Utrum in Christo fuerit spes*

1. Quid et quotuplex sit spes ... 316
2. Prop. — In Christo non fuit spes theologica. — Prob. ... 317
3. Corollaria. I. Actus quo Christus gloriam corporis exspectabat, potius habuit rationem desiderii. — II. Christus nunc desiderat et exspectat aliquid ad Ecclesiae perfectionem pertinens ... 318
4. Scholion. Quomodo fuerit spes in Christo Domino ... 318

Art. V. — *Utrum in Christo fuerint dona*

1. Quid et quot sint dona ... 319
2. Undenam sit necessitas ponendi dona ... 320
3. Differentia inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem. 320
4. Prop. — In Christo fuerunt excellentissime dona Spiritus Sancti. 321
5. Prob. Ratione theologica ... 321
6. Tacita obiectio ... 322

Paginae

7. Scholion. In Christo fuerunt beatitudines et fructus Spiritus Sancti 322

Art. VI. — *Utrum in Christo fuerit donum timoris*

1. Ratio dubitandi 322
2. Quotuplex sit timor 323
3. Prop. — In Christo α) non fuit timor castus, nec timor servilis. β) sed timor filialis, quoad Dei reverentiam. — Prob. 1ª Pars 323
4. Prob. 2ª Pars 324
5. Confirmatur 324
6. Scholion. Comparatio inter donum timoris et virtutem spei 325

Art. VII. — *Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae*

1. Quid sit gratia gratis data 325
2. Quotuplex sit gratia gratis data 326
3. Prop. — In Christo excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae. — Prob 327
4. Adnotandum. Cur dicatur *excellentissime* 327
5. Scholion. Quid de glossolalia in Christo 328

Art. VIII. — *Utrum in Christo fuerit prophetia*

1. Quid ad prophetiam requiratur 328
2. Quid non sit de ratione prophetiae 329
3. Errores 330
4. Prop. — In Christo fuit prophetia excellentissimo modo. — Prob. α) Ex S. Scriptura 330
5. β) Ex ratione theologica 331
6. Confirmatur 331
7. Solvitur tacita obiectio 332
8. Corollarium. In Christo prophetia fuit habitus permanens 333
9. Scholion. Christus superior angelis 333

Art. IX. — *Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiae*

1. Ratio articuli 333
2. Praenotanda 334
3. Prop.— Christus habuit gratiae plenitudinem, tum α) secundum quantitatem intensivam, tum β) secundum virtutem 334
4. Prob. 1ª Pars 335
5. Corollarium. Est summum possibile admittendum in gratia 335
6. Prob. 2ª Pars 335

Paginae
7. Notanda 336
8. Solvitur difficultas 336

Art. X. — *Utrum plenitudo gratiae sit propria Christi*

1. Quotuplex sit gratiae plenitudo 337
2. Prop. — Plenitudo gratiae α) quae attenditur ex parte ipsius gratiae est propria Christo; β) non autem plenitudo quae attenditur ex parte subiecti. — Prob. 1ª pars 339
3. Confirmatur 339
4. Prob. 2ª Pars 339
5. Scholion. Visio, comprehensio et fruitio 340

Art. XI. — *Utrum gratia Christi sit infinita*

1. Praenotandum 340
2. Prop. — Gratia habitualis Christi, α) considerata prout est ens quoddam, est finita; β) considerata vero secundum propriam gratiae rationem est infinita. — Prob. 1ª pars 341
3. Confirmatur 341
4. Prob. 2ª pars 341
5. Quaestio. Quisnam sit sensus verborum S. Ioannis (III, 34): *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum?* 342
6. Scholion. Gratia Christi est diversae rationis a gratia nostra 343

Art. XII. — *Utrum gratia Christi potuerit augeri*

1. Duplex augmentum in formis 344
2. Prop. — Gratia Christi nequit augeri α) sive ex parte ipsius gratiae, β) sive ex parte subiecti. — Prob. 1ª pars 344
3. Confirmatur 345
4. Tacita obiectio solvitur 345
5. Corollarium. Gratia Christi non potuit fieri maior 345
6. Prob. 2ª pars 346
7. Scholion. Differentia inter animam Christi et animam hominum viatorum 346
8. Quaestio. Quisnam sit sensus verborum (Luc., II, 52): *Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia, apud Deum et homines?* 346
9. Solvitur difficultas 347

Art. XIII. — *Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad unionem*

1. Ratio articuli 347
2. Prop. — Gratia unionis, quae est unio humanae naturae ad

Paginae

divinam personam, praecedit gratiam habitualem in Christo, ordine non temporis, sed naturae et intellectus. — Prob. α) Ex ordine principiorum utriusque gratiae 348
3. β) Ex habitudine gratiae ad suam causam 348
4. Solvitur tacita objectio 349
5. γ) Ex fine gratiae 349
6. Scholion 349
7. Solvitur difficultas 350

APPENDIX I

DE CHRISTI GRATIA INITIALI

1. Christi propria sanctificatio 351
2. Christus sanctificatus est per motum liberi arbitrii 352
3. Christus in primo instanti suae conceptionis mereri potuit 353
4. Quid Christus tunc meruerit 353
5. Christus a primo instanti suae conceptionis fuit perfectus comprehensor 354

APPENDIX II

DE CHARITATE CHRISTI

1. Ratio augmenti in charitate 356
2. Quomodo fiat istud augmentum 357
3. Distinctio inter charitatem et scientiam 357
4. Quantitas augmenti in charitate 358
5. Corollarium. Christi charitas non potuit augeri 358

QUAESTIO OCTAVA

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE

Prologus

1. Ratio quaestionis 360
2. Praenotanda 360
3. Quaestionis divisio 360

Art. I. — *Utrum Christus sit caput Ecclesiae*

1. Intentio huius articuli 362

Paginae
2. Quaenam ad rationem capitis pertineant..... 362
3. Prop. — Christus convenienter dicitur Ecclesiae caput. — Prob. α) Ex auctoritate..... 363
4. β) Ex ratione theologica..... 363
5. Explicatur..... 363
6. Christus, ut homo, gratiam dat instrumentaliter..... 364
7. Solvitur tacita obiectio..... 365
8. Quaestio. Quare Christus non dicatur cor Ecclesiae?..... 365
9. Solvitur difficultas..... 364
10. Scholion. I. Deus est caput Christi. II. Christi nomine interdum Ecclesia designatur..... 366

Art. II. — *Utrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora vel quantum ad animas*

1. Ratio articuli..... 367
2. Prop. — Christus est caput hominum α) primo et principaliter quantum ad animas, β) secundario autem quantum ad corpora. Prob. 1ª Pars..... 368
3. Prob. 2ª Pars..... 368
4. Explicatur..... 368
5. Scholia. I. Corporis humani dignitas. II. Christus praestat Adae. 369
6. Quaestio I. Utrum Christus, ut homo, habuerit potestatem super omnes res temporales et super omnia regna mundi?..... 369
7. Quaestio II. Utrum Christus, ut homo, habuerit iudiciariam potestatem?..... 371
8. Corollarium. Honores civiles Christo debentur..... 372

Art. III. — *Utrum Christus sit caput omnium hominum*

1. Praenotandum..... 372
2. Quotuplici modo aliquis Christo uniatur..... 373
3. Errores..... 373
4. Prop. — Christus α) est caput omnium hominum, β) sed diversimode. — Prob. 1ª Pars..... 373
5. Prob. 2ª Pars..... 374
6. Explicatur..... 374
7. Scholia. I. Omnes homines concurrunt ad aedificationem corporis Christi. II. Non excluduntur a corpore Christi Patres Veteris Legis. III. Damnati sunt simpliciter extra Ecclesiam..... 375
8. Quaestio. Quonam sensu sint intelligenda verba S. Pauli (Eph. V, 25, sqq.): *Christus dilexit Ecclesiam*, etc..... 376
9. Corollarium. Necessitas adhaerendi Christo..... 377

ART. IV. — *Utrum Christus sit caput angelorum*

Paginae

1. Ratio articuli 377
2. PROP. — Christus est caput etiam angelorum. — PROB. α) Auctoritate 378
3. β) Ratione theologica 378
4. CONFIRMATUR 379
5. COROLLARIUM. Angeli debent Christum adorare eique famulari .. 379
6. SCHOLION. Christus est caput angelorum secundum totam suam humanitatem 379
7. QUAESTIO I. Quidnam Christus angelis influxerit? 380
8. QUAESTIO II. Utrum Christus habuerit angelum custodem? 381

ART. V. — *Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam singularis homo*

1. Ratio articuli 382
2. PROP. — Gratia Christi secundum quam est caput Ecclesiae α) est eadem secundum essentiam ac gratia eius personalis, β) differt tamen secundum rationem. — PROB. 1ª PARS. I. Auctoritate 382
3. II. Ratione theologica 382
4. PROB. 2ª PARS. 383
5. SCHOLION. Gratia personalis realiter distinguitur a gratia unionis. 383
6. SOLVITUR DIFFICULTAS 384

ART. VI. — *Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christi*

1. Sensus quaestionis 385
2. Praenotandum 385
3. PROP. — Esse caput Ecclesiae α) secundum interiorem gratiae influxum est proprium Christo, β) secundum autem exteriorem influxum aut gubernationem, possunt et alii dici capita Ecclesiae, γ) differenter tamen a Christo. — PROB 1ª PARS. 386
4. PROB. 2ª PARS 386
5. PROB 3ª PARS 386
6. SCHOLION. Christus solus est ostium 387
7. COROLLARIUM. Romanus Pontifex est caput visibile totius Ecclesiae. 388

ART. VII. — *Utrum diabolus sit caput omnium malorum*

Paginae
1. Ratio articuli ... 388
2. Praenotandum ... 389
3. PROP. — Diabolus α) convenienter dicitur caput omnium malorum β) secundum exteriorem gubernationem. — PROB. 1ª PARS. I. Auctoritate ... 389
4. II. Ratione theologica ... 389
5. EXPLICATUR 2ª PARS ... 390
6. SCHOLION. Omnia mala diabolus quodammodo influit ... 391
7. SOLVITUR DIFFICULTAS ... 391

ART. VIII. — *Utrum antichristus possit dici caput omnium malorum*

1. Ratio articuli ... 392
2. PROP. — Etiam antichristus convenienter dicitur caput omnium malorum hominum. — PROB. I. Auctoritate ... 392
3. II. Ratione theologica ... 393
4. SCHOLION. Unus est antichristus secundum proprietatem ... 393
5. COROLLARIUM. Diabolus et antichristus non sunt duo capita ... 394
6. QUAESTIO. Utrum antichristus habiturus sit angelum custodem? ... 394

QUAESTIO IX

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI

Prologus

1. Ratio quaestionis ... 395
2. Ordo quaestionis ... 396

ART. I. — *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam*

1. Status quaestionis ... 397
2. PROP. — In Christo necesse est ponere scientiam creatam. — I. SUADETUR generaliter ... 397
3. PROB. ratione theologica. — α) Ex eo quod anima Christi fuit perfecta ... 398
4. NOTANDUM ... 399
5. β) Ex eo quod habet animam intellectivam ... 399
6. γ) Ex eo quod aliqua scientia pertinet ad naturam animae humanae ... 400
SOLVITUR DIFFICULTAS ... 400

Paginae

8. Quaestio. Utrum possit dici, ut quidam asserunt, quod in Christo sit quaedam scientia unionis? 401

Art. II. — *Utrum Christus habuerit scientiam quam habent beati vel comprehensores*

1. Ratio articuli 401
2. Prop. — Scientia beata, quae in Dei visione consistit, excellentissime Christo homini convenit. — Prob. α) Auctoritate 402
3. β) Ratione theologica 403
4. Confirmatur 403
5. Solvitur difficultas 405

Art. III. — *Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam*

1. Ratio articuli 406
2. Prop. — Praeter scientiam beatam est etiam in anima Christi scientia infusa sive indita. — Prob. α) Ex S. Scriptura 407
3. β) Ex ratione theologica 407
4. Explicatur argumentum 408
5. Corollarium. Quodammodo convenit anima Christi cum Angelis 410
6. Scholion. Comparatio inter scientiam infusam et scientiam beatam 410
7. Solvitur difficultas 411
8. Advertendum 412

Art. IV. — *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam*

1. Ratio articuli 412
2. Distinctio inter scientiam infusam et scientiam acquisitam 412
3. Sententiae 414
4. Prop. — In Christo fuit etiam scientia experientia acquisita. — Prob. α) S. Scriptura 414
5. β) Ratione theologica 415
6. Solvitur dubium 415
7. Confirmatur 415
8. Corollaria. I. Scientia infusa Christi et scientia infusa Adae. — II. In Christo scientia acquisita ponitur secundum lumen intellectus agentis 416
9. Recapitulatio 417
10. Difficultates solvuntur 417
11. Scholion. Verba Aligherii 419

QUAESTIO X

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI

Prologus

Paginae

1. Ratio quaestionis 420
2. Ordo quaestionis 420

ART. I. — *Utrum Christus comprehenderit Verbum sive divinam Essentiam*

1. Ratio articuli 421
2. Error 422
3. PROP. — Anima Christi nullo modo comprehendit divinam Essentiam. — PROB. 422
4. SOLVITUR DIFFICULTAS 422
5. SCHOLION. Quomodo anima Christi comprehendat divinam Essentiam 423
6. TESTIMONIUM S. ISIDORI 423

ART. II. — *Utrum anima Christi in Verbo cognoverit omnia*

1. Errores 424
2. Quotuplici sensu sumi possit hy *omnia* 424
3. PROP. — Anima Christi in Verbo cognoscit α) omnia quae sunt actu quocumque modo; β) necnon ea quae sunt in potentia creaturae; γ) non autem ea quae sunt in potentia Dei. — PROB 1ª PARS. 425
4. PROB. 2ª PARS 425
5. PROB. 3ª PARS 425
6. COROLLARIUM. Scientia beata Christi cedit scientiae divinae 426
7. QUAESTIO. Quisnam sit sensus verborum (Marc. XIII, 32): *De die autem illo vel hora*, etc 426

ART. III. — *Utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita*

1. Praenotanda 428
2. PROP. — Anima Christi α) non cognoscit infinita simpliciter; β) sed tantummodo secundum quid; γ) non tamen per modum infiniti, sed quasi finite. — PROB. 1ª PARS 428
3. PROB. 2ª PARS 429
4. CONFIRMATUR 429
5. PROB. 3ª PARS 429
6. COROLLARIUM. Anima Christi cognoscit infinita non per modum infiniti 430

Paginae

7. Quaestio. Utrum scientia Christi, qua cognoscit infinita in potentia creaturae, adaequet scientiam simplicis intelligentiae Dei relate ad eadem obiecta? 431
8. Scholion. Verba Card. Caietani 432

Art. IV. — *Utrum anima Christi videat Verbum seu divinam Essentiam clarius qualibet alia creatura*

1. Sensus quaestionis 433
2. Prop. — Anima Christi prae caeteris perfectius videt divinam Essentiam. — Prob. 435
3. Confirmatur 435
4. Quaestio. Utrum possibile fuerit a Deo creari animam Christi cum maiori lumine gloriae? 435
5. Scholion. Non fit Christo aliqua nova revelatio in Verbo 437

QUAESTIO XI

DE SCIENTIA INDITA VEL INFUSA ANIMAE CHRISTI

Prologus

1. Ratio quaestionis 438
2. Ordo quaestionis 438

Art. I. — *Utrum secundum scientiam inditam vel infusam, Christus omnia sciat*

1. Duplex in creatura potentia 439
2. Prob. — Anima Christi per scientiam inditam perfecte cognoscit omne aliud a Deo. — Prob. I. Auctoritate 440
3. II. Ratione theologica 440
4. Scholia. I. Excipitur visio divinae Essentiae. — II. Quomodo hac scientia Christus cognoverit infinita 441
5. Corollaria. I. Hac scientia Christus cognovit substantias separatas. — II. Cognovit mysteria ordinis supernaturalis 441
6. Quaestio. Utrum anima Christi per hanc scientiam cognoverit singularia? 442

Art. II. — *Utrum Christus hac scientia uti potuerit non convertendo se ad phantasmata*

1. Ratio dubitandi 443
2. Praemittendum 443

Paginae

3. Error ... 444
4. Prop. — Christus potuit uti scientia indita quin converteret se ad phantasmata. — Prob. ... 444
5. Confirmatur ... 445
6. Corollarium. Status superior animae Christi ... 445
7. Scholia. Anima Christi potuit convertere se ad phantasmata ... 445

Art. III. — *Utrum haec scientia fuerit collativa*

1. Praenotandum ... 446
2. Prop. — Scientia indita in Christo fuit collativa α) non quantum ad acquisitionem, β) sed quantum ad usum. — Prob. 1ª pars ... 447
3. Prob. 2ª pars ... 447
4. Confirmatur ... 447
5. Corollarium. Scientia indita in Christo et beatis distincta a scientia indita angelorum ... 448

Art. IV. — *Utrum haec scientia in Christo fuerit maior scientia angelorum*

1. Praenotandum ... 449
2. Prop. — Scientia indita animae Christi fuit multo excellentior quam angelorum scientia, α) attento illo quod habuit a principio influente, β) non vero attento illo quod habuit ex subiecto recipiente. — Prob. 1ª pars ... 449
3. Prob. 2ª pars ... 449
4. Scholion. Scientia Christi indita simpliciter perfectior est scientia angelorum ... 450

Art. V. — *Utrum haec scientia fuerit habitualis*

1. Quid sit habitus ... 450
2. Prop. — Scientia indita animae Christi fuit habitualis. — Prob. 451
3. Explicatur ... 451
4. Confirmatur ... 451
5. Corollarium. Differentia inter scientiam beatam et scientiam inditam in Christo ... 451
6. Solvitur difficultas ... 452
7. Scholion. Christus ab initio suae conceptionis usus est scientia infusa ... 452

Art. VI. — *Utrum haec scientia fuerit distincta per diversos habitus*

1. Ratio dubitationis ... 453
2. Praenotamen ... 453
3. Prop. — Scientia indita animae Christi fuit distincta secundum

Paginae

diversos habitus. — Prob. 453
4. Confirmatur 454
5. Corollarium. Scoti sententia reprobatur 454
6. Solvitur difficultas 455
7. Scholion. Refellitur error A. Loisy 455

QUAESTIO XII

DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI ACQUISITA

Prologus

1. Ratio quaestionis 457
2. Divisio quaestionis 457

Art. I. — *Utrum secundum hanc scientiam Christus cognoverit omnia*

1. Ratio articuli 458
2. Prop. — Anima Christi per scientiam acquisitam cognovit α) omnia illa quae possunt sciri per actionem intellectus agentis, β) non autem omnia simpliciter. — Prob. 1ª pars 458
3. Prob. 2ª pars 459
4. Quaenam Christus per hanc scientiam non cognoverit 459
5. Scholion. Quomodo hac scientia omnia cognoverit 460
6. Corollarium. Perspicacitas ingenii Christi 461
7. Advertendum 461

Art. II. — *Utrum Christus in hac scientia profecerit*

1. Praenotanda 462
2. Prop. — Christus in scientia acquisita profecit. α) tum ex parte effectus. β) tum etiam ex parte ipsiusmet habitus scientiae. — Prob. 1ª pars 462
3. Prob. 2ª pars 463
4. Auctoritas S. Ambrosii 463
5. Scholion. Quid sibi velit Iesum profecisse sapientia 464
6. Corollarium. Differentia inter scientias beatam, inditam et acquisitam animae Christi 464

Art. III. — *Utrum Christus aliquid ab homine didicerit*

1. Duplex modus addiscendi 465
2. Comparatio inter modum acquirendi scientiam per inventionem, et modum illam acquirendi per disciplinam 466

Paginae
3. Ratio articuli ... 467
4. Prop. — Christus nihil ab homine didicit. — Prob. ... 467
5. Confirmatur ... 467
6. Solvitur tacita obiectio ... 468
7. Corollarium. Ignorantia in Christo nunquam fuit ... 468

Art. IV. — *Utrum Christus aliquid acceperit ab angelis*

1. Praenotandum ... 469
2. Ratio articuli ... 469
3. Prop. — Christus nihil ab Angelis accepit. — Prob. ... 470
5. Scholion. Christus non subiacuit illuminationibus angelicis ... 470
6. Corollarium. Christus illuminator angelorum ... 471
7. Quaestio. Quonam sensu debent intelligi verba (Luc. XXII, 43): *Apparuit angelus de caelo confortans eum* (Christum)? ... 471

QUAESTIO XIII

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI

Prologus

1. Ratio quaestionis ... 473
2. Error ... 474
3. Divisio quaestionis ... 474

Art. I. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter*

1 Ratio articuli ... 475
2. Prop. — Impossibile est animam Christi habere omnipotentiam simpliciter. — Prob. I. Auctoritate ... 475
3. II. Ratione theologica ... 475
4. Explicatur argumentum ... 476
5. Quaestio. Cur Christus potuerit cognoscere quodammodo omnia, non autem omnia facere? ... 476
6. Solvitur difficultas ... 478
7. Corollarium. Quomodo potestas Christo data fuerit ... 478
8. Scholion. Quid dicendum de immensitate Christi quoad humanitatem ... 479

Art. II. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum*

1. Praenotanda ... 480

Paginae

2. Prop. I. — Anima Christi α) secundum propriam naturam et virtutem habuit potentiam ad effectus faciendos animae convenientes; β) secundum quod est instrumentum Verbi, habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles in finem Incarnationis; γ) non tamen potuit creaturas in nihilum redigere. — Prob. 1ª pars..... 481
3. Prob. 2ª pars..... 481
4. Prob. 3ª pars..... 482
5. Solvitur difficultas..... 482
6. Quaestio. Utrum humanitas Christi fuerit physice causa efficiens gratiae et miraculorum?..... 483
7. Prop. II. — Humanitas Christi, ut est instrumentum Verbi, est in Nova Lege vera causa physica gratiae, miraculorum et aliorum huiusmodi supernaturalium effectuum. — Explicatur..... 483
8. Prob. 1. — Auctoritate..... 484
9. II. Ratione theologica..... 484
10. S. Thomae hac de re doctrina..... 485
11. Quid sit haec virtus..... 486
12. Vera sententia..... 487
13. Solvitur tacita obiectio..... 488
14. Scholion. In quo differunt sacramenta Novae Legis a sacramentis Veteris Legis..... 489
15. Auctoritas S. Thomae..... 490

Art. III. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis*

1. Sensus quaestionis..... 491
2. Prop. — Anima Christi α) secundum propriam naturam non habuit omnipotentiam respectu proprii corporis, sed tantum β) prout est instrumentum unitum Verbo Dei in persona. — Prob. 1ª pars..... 491
3. Solvitur tacita obiectio..... 492
4. Prob. 2ª pars..... 492
5. Quaestio. Quid Christus de diversis statibus assumpserit?..... 493

Art. IV. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis*

1. Ratio articuli..... 493
2. Prop. Anima Christi α) potuit implere, propria virtute, quaecumque voluit quasi per se implenda; β) quae autem voluit ut implenda virtute divina, potuit implere ut erat instrumentum divinitatis. — Prob. 1ª pars..... 493
3. Prob. 2ª pars..... 494

Paginae
4. Corollarium. Quomodo intelligenda sit petitio Christi..... 494
5. Quaestio. Utrum Christus aliquid voluerit per alios implendum, quod tamen non fuerit factum?..... 494
6. Scholia. I. Explicatio locorum Sacrae Scripturae hac de re. II. Verba S. Matthaei..... 496

QUAESTIO XIV

DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI

Prologus

1. Ratio quaestionis..... 497
2. Ordo quaestionis..... 497

Art. I. — *Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus*

1. Errores..... 498
2. Doctrina catholica..... 498
3. Praenotanda..... 499
4. Prop. — Conveniens fuit corpus assumptum a Filio Dei infirmitatibus et defectibus subiacere. — Prob. I. Argumento generali.. 500
5. II. Specialiter ex triplici capite. α) Ex fine Incarnationis..... 501
6. β) Ex fidei necessitate..... 501
7. γ) Ex necessitate exempli..... 502
8. Confirmatur..... 502
9. Solvitur difficultas..... 503

Art. II. — *Utrum Christus necessitatem his defectibus subiacendi assumpserit*

1. De quanam necessitate hic agatur..... 503
2. Prop. — Christus defectibus corporalibus α) secundum necessitamen materiae subiacuit; β) necnon secundum necessitatem coactionis ut repugnat naturae, non autem ut repugnat voluntati. Prob. 1ª pars..... 503
3. Confirmatur..... 504
4. Prob. 2ª pars..... 504
5. Confirmatur..... 504
6. Solvitur difficultas..... 505
7. Scholion. Controversia inter Philippum abbatem et Ioannem monachum..... 505
8. Quaestio. Utrum dicendus sit Christus simpliciter necessitatem moriendi habuisse?..... 506
9. Corollaria. I. Necessitas moriendi in Christo subdebatur di-

Paginae

vinae voluntati. — II. Subiectum adaequatum assumptionis defectuum est Christus 506

ART. III. — *Utrum Christus defectus corporales contraxerit*

1. Quid significet contrahere 507
2. PROP. — Christus non habuit defectus corporales illos contrahendo, sed voluntarie assumendo. PROB. 507
3. CONFIRMATUR 508
4. SOLVITUR DIFFICULTAS 508
5. SCHOLION. Sententia S. Thomae circa conceptionem B. Mariae Virginis 509

ART. IV. — *Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit*

1. Ratio dubitandi 509
2. PROP. — Christus α) non debuit omnes defectus humanos assumere, β) sed illos tantummodo qui sequuntur ex peccato communi totius naturae et non arguunt defectum scientiae et gratiae. — PROB. 1ª PARS 509
3. EXPONITUR 2ª PARS 510
4. COROLLARIUM. Diversa ratione fuerunt defectus in corpore Christi et perfectiones in anima eiusdem 510
5. SCHOLION. Christus omnes defectus curavit 511
6. SOLVITUR DIFFICULTAS 511
7. ADVERTENDUM 511

QUAESTIO XV

DE DEFECTIBUS ANIMAE A CHRISTO ASSUMPTIS

Prologus

1. Ratio quaestionis 514
2. Divisio quaestionis 514

ART. I. — *Utrum in Christo fuerit peccatum*

1. Ratio articuli 516
2. PROP. — Christus nullo modo assumpsit defectum peccati. — PROB. Auctoritate 517
3. PROB. Ratione theologica 517
4. EXPONITUR 517
5. CONFIRMATUR 518
6. QUAESTIO. Quonam sensu intelligenda sint verba (Ps. XXI, 2): *Deus, Deus meus, respice in me*, etc. 518

Pagina

7. Scholion. Christus in Adam non peccavit 519

Art. II. — *Utrum in Christo fuerit fomes peccati*

1. Quid sit fomes peccati 520
2. Error 521
3. Prop. — In Christo non fuit fomes peccati. — Prob. 521
4. Evolvitur argumentum 521
5. Confirmatur 522
6. Scholion. Christus habuit meritum sine fomite 522
7. Quaestio. Utrum, et qua ratione sit impeccantia Christo attribuenda? 523
8. Vera solutio 523
9. Solvitur difficultas 525

Art. III. — *Utrum in Christo fuerit ignorantia*

1. Ratio articuli 526
2. Prop. — In anima Christi nullo modo fuit ignorantia. — Prob. 526
3. Confirmatur 527
4. Solvitur difficultas 527
5. Quaestio. Quonam sensu intelligenda sunt verba (Is. VIII, 4): *Antequam sciat puer*, etc 527

Art. IV. — *Utrum anima Christi fuerit passibilis*

1. Differentia inter passionem animalem et corporalem 528
2. Ratio articuli 329
3. Quid sit passio 529
4. Error 530
5. Prop. — In Christo α) fuerunt passiones β) non tamen perfectae, sed quae magis proprie propassiones vocandae sunt. — Prob. 1ª Pars 530
6. Expenditur 2ª Pars 531
7. Scholion. Quare passiones in Christo proprie dicuntur propassiones 531

Art. V. — *Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis*

1. Ratio articuli 532
2. Prop. — Christus persensit verum dolorem. — Ostenditur prop. 532
3. Solvitur tacita obiectio 533
4. Scholion. Christus subiecit doloribus ex necessitate principiorum naturalium 533
5. S. Hilarii verba 534
6. Sensus horum verborum 535
7. Verba Clementis Alexandrini 535

ART. VI. — *Utrum in Christo fuerit tristitia*

Paginae

1. Dubitandi ratio 536
2. PROB. — α) In Christo fuit tristitia, β) non tamen secundum perfectam passionem, sed secundum propassionem. — PROB. 1ª PARS 536
3. EXPLICATUR 536
4. Stoicorum positionis refutatio 537
5. PROB. 2ª PARS 538
6. SCHOLION. Mala quae Christus suscepit, voluntarie suscepit 538

ART. VII. — *Utrum in Christo fuerit timor*

1. Ratio dubitandi 539
2. PROP. — α) In Christo fuit timor, non simpliciter sed secundum quid; β) qui tamen in eo non fuit passio perfecta. — PROB. 1ª PARS 539
3. COROLLARIUM 540
4. PROB. 2ª PARS 540

ART. VIII. — *Utrum in Christo fuerit admiratio*

. Ratio quaesiti 541
. PROP. — In Christo admiratio esse potuit, modo tamen eius perfectioni congruo. — PROB 541
3. NOTANDUM 542
4. SOLVITUR TACITA OBIECTIO 542

ART. IX. — *Utrum in Christo fuerit ira*

1. Quid sit ira 543
2. Quotuplex sit ira 543
3. PROP. — In Christo fuit ira per zelum. — OSTENDITUR PROP. ... 543
4. CONFIRMATUR 544
5. SCHOLION. Christi ira non conturbavit eius animam 544

ART. X. — *Utrum Christus simul fuerit viator et comprehensor*

1. In quonam consistat hominis beatitudo 545
2. Ratio articuli 546
3. PROP. — Christus ante suam passionem fuit simul comprehensor et viator. — PROB 546
4. SOLVITUR DIFFICULTAS 547
5. COROLLARIUM. Quare beati ante resurrectionem non dicantur viatores, sed solum comprehensores 547
EPILOGUS 548

PARS PRIMA

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO

TRACTATUS
DE
INCARNATIONIS MYSTERIO

PROOEMIUM

1. — Ratio huius tractatus. — Cum homo, qui inter res huius mundi visibiles et naturae ingenita dignitate et conditionis excellentia primatum tenet, ad ordinem vitae supernaturalis gratuita Dei benignitate fuerit elevatus, necessarium fuit tum ut veritates ad illius finem ultimum spectantes, necnon media ad hunc finem assequendum conducentia, sive immediate, sive mediate ipsi a Deo revelarentur, tum ut efficax auxilium ad tantum opus aggrediendum ipsi divinitus conferretur. Hinc duo homini necessaria sunt ut finem suum, id est beatitudinem aeternam, assequatur: videlicet *fides* et *gratia;* quae duo ad sacram doctrinam, seu ad theologiae scientiam proprie pertinent.

Theologia igitur, cum sit de Deo et de eis quae ad Deum spectant, sub lumine divinae revelationis, scientia, complectitur tum ea quibus Deus, finis ultimus, in suo esse suaque natura constitutus intelligitur, tum creaturas prout a Deo procedunt, et prout ad Deum actibus suis per gratiam reverti intelliguntur.

Et primum quidem tractatibus de Deo uno, seu de *unitione*, et de Deo trino, seu de *discretione*, absolvitur; alterum vero, in ea quidem parte quae agit de processu creaturarum a Deo, comprehendit tractatum de *creatione*, sub quo plures alii tractatus veniunt, scilicet de *substantiis spiritualibus* sive de angelis, de *opere sex dierum*, de *homine* tum quoad animam, tum quoad corpus, de *prima hominis formatione in ordine supernaturali,* necnon de *gubernatione;* in ea vero parte quae tractat de motu rationalis creaturae ad Deum, complectitur tractatus de *beatitudine hominis*, quae est eius finis; *de actibus humanis*, quibus homo ad beatitudinem pervenit; de *habitibus* et *virtutibus* et consequenter de *vitiis*, quae omnia sunt principia humanorum actuum; de *peccato*,

maxime originali, quo homo ab ordine vitae aeternae deiicitur, demum de *lege* et de *gratia*, quae sunt principia extrinseca actuum humanorum.

Hisce quidem tractationibus totus absolveretur de theologica scientia curriculus, nisi mirabili Dei dispensatione Verbum Homo factum esset, duas in una persona naturas inconfuse et incommunicabiliter adunans, divinam videlicet et humanam, ut homo a suae dignitatis sede deiectus, in pristinum statum restitueretur, et qui a latronibus despoliatus, plagis quoque coopertus, necnon semivivus relictus fuerat, a coelesti Samaritano misericordia moto sanaretur[1]. Magno quippe Dei beneficio factum est ut *Dilectus* Patris *in hortum* Ecclesiae *descenderet*, ibique *meteret myrrham* acerbarum passionum *cum aromatibus* odoriferarum virtutum, coelestemque doctrinam tanta suavitate praedicaret, ut videretur *comedere favum cum melle;* tum in ara crucis pendens, amarum mortis *vinum biberet*, spe tamen resurrectionis, tanquam dulci *lactis* poculo, temperatum; demum omnes ad sui consortium invitaret: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi*[2].

Igitur, perfecto Incarnationis mysterio, novus theologicae speculationi campus aperitur, in quo plenior de Deo, qui caro factus est, plenior quoque de humana natura, quam Deus assumpsit, notitia traditur. Quod exponit Angelicus Doctor in tertia Parte Summae theologicae, in qua nedum de ipso Servatore Christo (Quaest. I-LIX), necnon de sacramentis ab eo institutis, quae efficaciam habent a Verbo Incarnato, et per quae homo liberatur a morte culpae, salutemque consequitur (LX-LXVIII, Supplem.), sed etiam de fine immortalis vitae, ad quam per Christum resurgendo pervenimus, seu de resurrectione, per quam homo liberatur a morte poenae (LXIX-finem Supplem.), pertractat.

2. — **Divisio tractatus de Incarnatione.** — Duo autem sunt quae in praesenti tractatu praestari possent: quorum *unum* est de ipso Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo; *alterum* vero de his quae ipse Salvator noster, id est Deus incarnatus, egit et passus est. Et primum

1. Luc., X. — 2. Cant. V, 1.

quidem exponit S. Thomas a quaestione I usque ad quaestionem XXVI; alterum vero a quaestione XXVII usque ad quaestionem LIX abunde et dilucide prosequitur, considerando ea quae pertinent tum ad ingressum Christi in mundum, tum ad progressum vitae illius in hoc mundo, tum ad eius ab hoc mundo exitum, tum denique ad illius exaltationem post hanc vitam. Prima autem pars, quae potior est, cum in ea dogmatis fundamenta perpenduntur, et quam solum proinde pertractandam assumimus, duo consideranda complectitur : *primum* veluti praeliminare, de Incarnationis convenientia (I), alterum de ipsa Incarnatione (II-XXVI), tum quantum ad modum unionis Verbi incarnati (II-XV), tum quantum ad ea quae hanc unionem consequuntur (XVI-XXVI).

3. — Dignitas huius tractationis. — Iamvero, inter divinae Sapientiae opera nullum est maius, nullum sublimius, nullum mirabilius quam opus Incarnationis dominicae, quo Verbum, quod est *Splendor gloriae et figura substantiae* (Dei)[1], naturam humanam ita nobilitare dignatum est, ut in ipsa subsisteret, fieretque verus homo, seu, ut canit Fortunatus,

In Deitate aequale Patri, sed corpore matri,
Et sine peccato de Genitrice caro.

Siquidem fit in isto mysterio deitatis communicatio in creatura, non sub ratione similitudinis aut vestigii tantum, ut est in ordine naturali, nec solum secundum rationem gratiae et gloriae, ut est in ordine supernaturali, sed secundum communicationem subsistentiae divinae ; unde unio ista proprio nomine *hypostatica* dicitur. Quocirca recte vocatur omnium divinorum operum divinissimum, synthesis omnium Dei mirabilium, opus Dei κατ' ἐξοχήν, iuxta illud[2] : *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud ;* quod quidem opus praecedentia saecula praeparaverunt et subsecutura confirmare debent, et quod est veluti culmen ad quod iudaicus populus conatus est ascendere, et a quo christianismi tota ratio promanat.

Unde hoc mysterium vocatur etiam *verbum*, quod est *factum*,

1. Hebr. I, 3. — 2. Hab. III, 2.

quasi omnium divinorum verborum mirabilis synthesis, iuxta illud[1] : *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis ;* quo verbo maximum gaudium mundo allatum est : *Evangelizo vobis gaudium magnum.* — *Tria opera,* ait egregie S. Bernardus[2], *tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostrae carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram : coniuncta quippe sunt invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum : admirabiles illae mixturae et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem, potuerint coniungi.*

Sed huius operis excellentia ex fine quoque demonstratur, qui fuit ut homines ad salutem et beatitudinem adducerentur, teste angelo qui ad S. Ioseph ait[3] : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum,* cum Christus viam veritatis nobis in seipso verbo et exemplo demonstraverit, ut in eo essemus *nova creatura novumque figmentum*[4], Ecclesiam quoque condiderit, ut quasi arca salutis homines ad portum vitae aeternae deduceret, iuxta illud[5] : *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius Iesu Christi Domini Nostri.*

Quae cum ita sint, vix dici potest quanti momenti sit huius tractatus accurata expositio. Si enim, ut aiebat S. Petrus[6], *non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri,* evidens est unum prae omnibus esse necessarium, nempe scire *Iesum Christum, et hunc crucifixum*[7]. Accedit quod, sicut *finis legis Christus*[8] est, ita ultima eorum omnium, quae in Novo Foedere clauduntur, ratio, est ipsum Incarnatum Verbum, ad quod proinde omnia sunt ita ordinata, ut nihil unquam iuxta Dei Providentiam eveniat, quin respectum aliquem habeat ad hoc mysterium.

Quod si unquam alias, nunc certe ea scientia tum clero, tum fideli populo necessaria est, cum inferorum potestates vesano ausu contra Christum eiusque divinitatem nefanda quaeque moliuntur; ita quod, sicut Summus Pontifex Leo XIII[9] asserere

1. Luc., II, 15. — 2. Serm. V. in Vig. Nat. — 3. Matth., I, 21. — 4. S. Leo. — 5. 1. Cor., I, 9. — 6. Act. IV, 12. — 7. 1. Cor., II, 2. — 8. Rom., X, 4. — 9. Bulla *Properante ad exitum,* 11 Mart., 1899.

non dubitavit, *de ipsa Iesu divinitate arianum scelus non semel renovatum nostra vidit aetas*. Qui etiam haec alia praeclara habet[1]: *Alieni a Iesu Christo plerique sunt ignoratione magis, quam voluntate improba: qui enim hominem, qui mundum studeant dedita opera cognoscere, quam plurimi numerantur; qui Filium Dei, perpauci. Primum igitur sit, ignorationem scientia depellere, ne repudietur aut spernatur ignotus. Quotquot ubique sunt, christianos obtestamur dare velint operam, quoad quisque potest, Redemptorem suum ut noscant, qualis est: in quem ut quis intuebitur mente sincera iudicioque integro, ita perspicue cernet nec eius lege fieri quicquam posse salubrius nec doctrina divinius.*

Quocirca, etiamsi haec doctrina mira illa suavitate careret, quam omnes illius cultores unanimiter agnoscunt, adhuc tamen necessitas fidem catholicam explicandi, illustrandi, defendendi, omnem cordatum catholicum urgere adhuc deberet, ut totis viribus cognitioni Incarnationis assequendae incumberet.

4. — Nomina huius mysterii. — Porro, usuvenit in Ecclesia ut mysterium quo Verbum naturam humanam assumpsisse profitemur, *Incarnationis* nomine communiter vocaretur, cui respondet graecum σάρκωσις; quae vox in Scripturis Sanctis licet non expresse continetur, tamen implicite habetur, ubi dicitur[2]: *Et Verbum caro factum est;* unde Concilium Nicaenum I de Filio Dei profitetur: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto*. Haec proculdubio vox per synecdochen usurpatur, parte scilicet pro toto significando accepta, dum novimus Verbum non carnem tantummodo, sed carnem cum spiritu, scilicet totam atque integram naturam humanam assumpsisse. Nec sine ratione vox ista in Ecclesiae theologia consecrata est, qua mentis attentio specialiter defigitur α) in Verbi *humilitate*, cum exhibetur rem tam infirmam et vilem non abhorruisse; β) in ipsiusmet mysterii *scopo*, qui sane fuit ut natura humana per carnem vitiata repararetur, unde e contrario naturae humanae depravatio carnis corruptio in Sacris Litteris vocatur[3]: *Omnis quippe caro corruperat viam suam;* et antea dixerat Deus[4]: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeter-*

1. Encycl. *Tametsi futura prospicientibus*, 1 Nov. 1900. — 2. Io. I, 14. — 3. Gen. VI, 12. — 4. Ibid., 3.

num, quia caro est; γ) in *argumento* quod sub ipso latet vocabulo, quia si Verbum carnem assumpsit, a fortiori concluditur contra Apollinarem quod et spiritum, seu animam, assumere debuerit.

At vero, quod pro latinis est *Incarnationis* nomen, pro graecis est *oeconomia* (οἰκονομία), seu dispensatio, iuxta illud S. Pauli[1] : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et illuminare omnes quae sit dispensatio* (οἰκονομία) *Sacramenti absconditi a saeculis in Deo qui omnia creavit.* Cui loco advertens Hieronymus[2], de Apollinari, qui Christo adimebat animam rationalem, quae est altera pars humanae naturae, dicit *eum dimidiatam Christi introduxisse oeconomiam.* Porro, *oeconomiae* voce, licet aliquando designetur discreta theologia, seu Trinitatis mysterium, magis tamen proprie quaedam administratio, et veluti gestio circa salutem humanam procurandam innuitur; qua etiam voce distinctio significatur inter eam huius tractatus partem quae de eis agit quae Christus gessit, ab priori parte, quae circa huius mysterii intrinsecam rationem investigandam versatur, quamque graeci interdum *theologiam* simpliciter vocant.

Adsunt tamen et alia plura nomina, quibus una aliave mysterii proprietas significatur. Sic a graecis quidem, propter acceptam Incarnatione pleniorem de Deo manifestationem, *epiphania* (ἐπιφανία), aut etiam *theophania* (θεοφανία) dicitur; a latinis vero, propter ostensam in ea Dei profundissimam humiliationem, *exinanitio*, *demissio*, *abbreviatio*, aut iterum propter factam in persona naturarum unionem, *unio*, *adunatio*, *attemperatio* passim appellatur. Cum autem vi huius mysterii, et divina de homine, et humana de Deo praedicari oporteat, quemadmodum Incarnatio dici potest divinitatis ταπείνωσις, id est *humiliatio*, ita etiam congrue appellari valet humanae naturae ἀποθέωσις, quod est *glorificatio*.

Inter cetera tamen nomina, eminet ut Incarnatio dicatur *Sacramentum*, quasi signum sensibile rei sacrosanctae. Ita S. Paulus[3] : *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum* (ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶν τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον), *quod manifestatum est in carne,*

1. Eph. III, 8, 9. — 2. In Ep. ad Parm. et Ocean. — 3. 1. Tim. III, 16.

iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, assumptum est in gloria.

5.—Incarnatio est proprie dictum mysterium.—Rite autem Incarnatio mysterium dicitur, est enim unum ex proprie dictis mysteriis. Revera, mysterium, sive a μύω (*claudo, abscondo*), sive a μυέω (contract. μυῶ, *doceo, sacris initio*) originem trahere dicatur, proprie acceptum significat rem non uni alterive, sicut cum de mysteriis naturae agimus, sed cuivis omnino imperviam, cuius quidem terminos aliquali ratione apprehendere possumus, vim tamen nexumque convenientiae et intrinsecam rationem capere haudquaquam valemus, sed tantummodo fide accipere atque tenere, Deo ipso illud revelante. Unde Christus apostolis, quibus ista revelatio facta fuerat, aiebat[1] : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei;* et Paulus mysteriorum inevidentiam pro huius vitae conditione indicans, dicebat[2] : *Videmus nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Quod autem Verbi Incarnatio sit vere et proprie mysterium, nulli prorsus ambigendum est ; quandoquidem et quod ipsiusmet Verbi personalitas a personalitate Patris sit distincta, et quod divina persona vere et proprie in aliena, hacque finita, natura subsistat, sola fide accipitur. Unde Incarnationis mysterium recensetur inter mysteria quorum fides ad salutem necessaria est.

Quod quidem a S. Paulo ita exprimitur[3] : *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est : quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent. Sed, sicut scriptum est : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum : nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* — Ubi per *huius saeculi principes* possunt intelligi tum Herodes et Pilatus, necnon Iudaeorum principes, tum ipsimet daemones, qui utique omnes Christum non occidissent, si illum tanquam gloriae Dominum cognovissent, cum hunc non appetere nemo potest. Et illi quidem scire potuerunt Christum esse illum qui promissus erat

1. Marc. IV, 11. — 2. 1. Cor. XIII, 12. — 3. Ibid. II, 7, sqq.

in Lege, sed mysterium divinitatis eius, licet aliqualiter coniicerent, tamen proprie non cognoscebant, cum ex invidia obnubilatum haberent intellectum; unde ait S. Paulus[1] : *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* Similiter et daemones de Christi divinitate suspicionem habuerunt, unde et illum tentabant[2] : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum;* sed pariter sua irreparabili a Deo aversione prohibebantur ne usque ad revelationem a Christo factam pervenirent. At vero, quod sapientibus et prudentibus absconditum est, parvulis revelatum fuit; et quod in cor hominis ex naturalibus ascendere nequit, utpote omnia visibilia transcendens, auditu fidei simplices et parvuli susceperunt; unde Christus dicebat[3] : *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*[4]. Ex quo sequitur eum ab huius mysterii cognitione penitus arceri, qui sola ratione, fide abiecta, ducitur.

6. — Duo scopuli praecavendi. — Porro, pium huius mysterii inquisitorem, adhuc in conspectu totius huiusce tractatus consistentem, praemoneri oportet ut a duplici scopulo, omni qua potest sedulitate praecaveat. Quorum unus est, propter unitatem personae, naturas confundere, quod quidem Eutyches fecit; alter vero, quia duae naturae in Christo distinctae agnoscendae sunt, ideo etiam personam distinguere, in quem scopulum incidit Nestorius: fides enim catholica exigit ut confitemur duas in Christo esse naturas in unitate personae. Siquidem, *hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino Nostro Iesu Christo et vera Deitas et vera credatur humanitas : Deitas, qua ante omnia saecula in forma Dei aequalis est Patri; humanitas qua, novissimis diebus, in forma servi unitus est homini*[5].

Praeterea, theologo cavendum est ne quidquam divinitati, quidquam pariter detrahatur humanitati : nequit enim Christum Deum dicere qui Verbi cum Patre consubstantialitati ariano sensu refragetur, nec eum itidem hominem vocitare, qui verum corpus ab eo assumptum fuisse cum Manichaeis infitietur, aut cum Apollinaristis veram animam.

1. Act. III, 17. — 2. Matth. IV, 6. — 3. Luc., X, 22. — 4. Cf. S. Thom. Comment. in hunc loc. — 5. S. Leo. Serm. 4 de Epi.

Fidei autem catholicae normam sequentia exhibent[1] : *Exivi de Paradiso ; dixi : rigabo hortum plantationum, ait ille coelestis agricola, qui vere fons sapientiae Verbum Dei a Patre in Patre manens genitum ab aeterno, novissime diebus istis, fabricante Spiritu Sancto, in utero Virginis caro factum, exivit homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum, exemplar se dando coelestis vitae, praebens hominibus semetipsum.* Prae oculis quoque habenda haec sunt : *Haec etiam nos sequi oportet, et verba et doctrinas cogitantes, quid significet incarnari et humanari Dei Verbum. Nec enim dicimus quia Dei Verbi natura transformata facta est caro ; sed nec quia in totum hominem, qui est ex anima et corpore, commutata est ; sed illud potius sentiendum, quia carnem animatam, anima videlicet rationali, uniens sibimet secundum substantiam, Deus Verbum inenarrabiliter atque inscrutabiliter factus est homo*[2].

7. — De nomine Verbi incarnati. — Quia autem omnis disputatio a nominali rei definitione proficisci debet, ut tandem ad quid rei cognoscendum perveniat, hinc non abs re praemittendam esse censemus ipsius nominis, quo Verbum incarnatum designare solemus, expositionem.

Solet Verbum incarnatum vocari Iesus Christus, admirabile quidem et adorabile nomen, *quod est super omne nomen*[3], quod ita a Mellifluo Doctore celebratur :

Nil canitur suavius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius
Quam Iesus Dei Filius.

In hoc autem nomine, iubet Apostolus ut *omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum*[4] ; in eo quoque apostoli miracula patraverunt, sicut S. Petrus dum ait[5] : *In nomine Iesu Christi Nazareni, surge et ambula* ; pariter pro hoc nomine confessores *digni habiti sunt.., contumeliam pati*[6] ; in eo demum omnia nos iubemur et petere[7] et facere[8].

Est autem huius nominis in Messiam divina impositio. Siquidem

1. Clem. tit. XI, cap. 1. — 2. Ex act. Conc. Chalced. Ep. S. Cyrilli ad Nest. approbata cum caeteris a Concilio C. P. VI, act. 17. — 3. Phil. II, 9. — 4. Ibid., 10. — 5. Act. III, 6. — 6. Ibid. V. 41. — 7. Io., XVI, 23. — 8. Col. III, 17.

angelus Ioseph in somnis apparens, de Maria locutus, dixerat[1] : *Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Unde iam nato Domino, et *postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur*[2].

Porro derivatur hoc nomen a יָשַׁע quod in Kal inusit. *salvare* significat; et idem est ac σωτήρ graece, et *Salvator* aut etiam *Salutaris* latine. Unde dicebat Beata Virgo[3]: *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo,* ἠγαλλίασεν τὸ πνεῦμά μου ἐν τῷ θεῷ τῷ σωτῆρί μου ; sub quo adspectu saepius in Veteri Testamento Christus praenuntiatur ; sic[4] : *Videbunt omnes fines terrae Salutare Dei nostri,* יְשׁוּעַת אֱלֹהֵינוּ ; et expressius[5]: *Exultabo in Deo Iesu meo,* אָגִילָה בֵאלֹהֵי יִשְׁעִי. Idem autem est ac nomen Iosue יְהוֹשֻׁעַ ducis Hebraeorum, et nomen prophetae Isaiae יְשַׁעְיָהוּ, necnon nomen Oseae הוֹשֵׁעַ, quo nomine ipse Iosue antea vocabatur[6].

Nomen autem *Christus* graece χριστός, *unctus*, idem est ac Messias quod derivatur a מָשַׁח, *ungere oleo*, sive *pingere coloribus*. Commune nomen est regibus, sacerdotibus et prophetis, isti enim ungi consueverunt, et ideo vocati sunt etiam *Christi*. Ita de sacerdotibus dicitur[7] : *Testis... Dominus... et testis Christus eius.* Pariter Cyrus, qui iudaeis libertatem dedit et regnum Persarum condidit, Christus vocatur[8] : *Haec dicit Dominus Christo meo Cyro.* Et de prophetis dicitur[9]: *Nolite tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Optime autem Verbum incarnatum *Christus* dicitur ; quia quemadmodum de ipso praenuntiatum erat[10] : *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae,* ita factum est, iuxta illud : *Vos scitis Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Dominus Spiritu Sancto et virtute*[11].

Licet igitur Verbi incarnati nomen, in vi duarum dictionum, alicui purae creaturae aliquando fuerit attributum, in vi tamen unius dictionis illum tantum convenientissime designat, qui homo simul et Deus sua propria operatione hominum Salvator extitit, cui hoc opus qualecumque sit, dedicamus, cuique sit honor et gloria.

1. Matth., I, 21. — 2. Luc., II, 21. — 3. Ibid., I. 47. — 4. Is. LII, 10. — 5. Hab., III, 18. — 6. Num., XIII, 17. — 7. 1. Reg. XII, 5. — 8. Is. XLV, 1. — 9. Ps. CIV, 5. — 10. Ibid. XLIV, 8. — 11. Act. X, 38.

QUAESTIO PRIMA

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS

PROLOGUS

1. — Sensus quaestionis. — Cum nulla scientia probat suum obiectum, ideo aggrediens loqui de illo mysterio, in quo confitemur

> *... non Bacco, non Peana,*
> *Ma'tre persone in divina natura,*
> *Ed in una persona essa e l'umana*[1],

supponere debet quod Christus iam advenerit, quod quidem demonstrare ad illam theologiae partem proprie pertinet, quae praeparatoria est, et apologia fidei christianae solet vocari; quod tamen nos in fine huius quaestionis praestabimus, ne quid desit amplitudini huiusce tractatus. Primum autem quod inquisitivae mentis considerationi obversatur est de huius mysterii convenientia, ex propriis Dei absolute et modo transcendente quamcumque creaturarum convenientiam consideranda. Quae quidem convenientia, supra meram possibilitatem seu meram terminorum non repugnantiam aliquid addit, scilicet quamdam terminorum adaptationem et quasi inclinationem, ita ut ex convenientia ad possibilitatem argumento a fortiori recte concludatur.

Praesentis autem articuli doctrina physiotheos, seu naturalistas indirecte quidem impetit, qui cum omnem rerum possibilium

1. DANTES, Parad. XIII 25.

ambitum exploratum se habere effutiunt, istud caeteraque religionis nostrae mysteria ceu impossibilia ablegant; magis tamen directe adversus Baylium pugnat, qui reputavit mysterium istud, licet non omnino sit reiiciendum, posse tamen evidentibus rationibus impugnari.

2. — Ordo quaestionis. — Haec autem de Incarnationis convenientia quaestio ita pertractari debet, ut primo consideretur in se (1-4), secundo vero in suis circumstantiis (5-6). In se autem considerata rursus bipartitur, secundum quod consideratur per respectum ad ipsum mysterium (1), aut per respectum ad illius finem (2-4). Finis autem Incarnationis est peccati destructio, qui quidem finis iterum inspici potest tum absolute (2-3), tum comparative (4). Absolute quidem, ut determinetur de Incarnationis necessitate, nedum in praesenti rerum conditione (2), verum etiam hypothesi facta quod homo non peccasset (3). Comparatio autem fieri debet inter peccatum actuale et peccatum originale per respectum ad finem Incarnationis. Demum circumstantiae illius mysterii inspiciendae, sunt circumstantiae temporis, ut scilicet mundi tum principium (5), tum finis excludatur (6). Quibus expensis, facile patebit S. Thomam quaestionibus *an est* in primo articulo, *propter quid est*, in tribus subsequentibus articulis, *qualiter est* in duobus ultimis respondisse, praetermissa quaestione *quid est*, quae, quantum ad nunc attinet, satis innotescit ex ipsomet mysterii nomine.



Unde sex quaeruntur :

Primo. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.

Secundo. Utrum fuerit necessarium ad reparationem generis humani.

Tertio. Utrum, si non fuisset peccatum, Deus incarnatus fuisset.

Quarto. Utrum principalius sit incarnatus ad tollendum originale peccatum quam actuale.

Quinto. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari a principio mundi.

Sexto. Utrum eius Incarnatio differri debuerit usque in finem mundi.

ARTICULUS I. — *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.*

1. — Ratio articuli. — Hic non inquirimus de convenientia Incarnationis dominicae a priori, quasi Deo id quod mens nostra tanquam illi conveniens repererit imponere velimus, ut faciunt Sociniani, qui rationis lumen pro unica fidei regula accipientes, antequam de mysterio aliquo affirment quod in Scripturis revelatum sit, inquirendum esse decernunt an sit possibile et rationis humanae iudicio consentaneum. Igitur, facto ipso Incarnationis fide divina iam accepto, illiusmet convenientiam ex iis quae de Deo aliunde novimus scrutari et admirari volumus.

2. — PROP. — **Convenientissimum fuit Deum incarnari.**

Prob. I. A posteriori. — Illud, quo invisibiles Dei perfectiones manifestantur, est convenientissimum. Atqui per Incarnationem invisibiles Dei perfectiones manifestantur. Ergo convenientissimum fuit Deum incarnari.

Maior innititur illi S. Pauli[1] : *Invisibilia* (Dei) *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur* ; quibus verbis Apostolus innuit mundum ad hoc esse factum, ut per eum invisibiles Dei perfectiones manifestentur.

1. Rom., I, 20.

Minor expenditur. Inter Dei perfectiones seu attributa, illa nobis maxime commendantur, quibus nobis manifestatur ratio divinorum operum, scilicet sapientia, iustitia, fortitudo et bonitas, quibus quamdam affinitatem habent cardinales virtutes in humanis, scilicet prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia. Atqui per Incarnationem, Dei *sapientia* manifestatur, in eo quod aptissimam invenit viam ad subveniendum hominis indigentiae; *iustitia*, in eo quod victum fecit victorem, illius tamen libertatem non adimendo; *fortitudo*, eo quia Incarnatio est summum operum divinorum, ut dictum est; *bonitas*, eo quod infirmitatem humanam Deus minime despexerit. — *Per Incarnationis mysterium*, ait S. Ioannes Damascenus[1], *monstratur simul bonitas et sapientia et iustitia et potentia Dei vel virtus : bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem; iustitia vero, quoniam homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem ; sapientia vero, quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem; potentia, vero, sive virtus infinita, quia nihil est maius, quam Deum fieri hominem*[2].

3. — **Prob. II. Directe.** — Quod competit alicui secundum rationem propriae naturae est sibi conveniens. Atqui Deo, secundum rationem propriae naturae competit esse summum bonum. Ergo id quod est de ratione summi boni est Deo conveniens. Atqui de ratione summi boni est ut se summe communicet. Ergo Deo convenit quod summe se communicet, quod quidem in hoc praecise consistit, quod humanam naturam assumpserit, seu incarnatus fuerit.

4. — **Explicatur.** — Ad huius argumenti pleniorem intelligentiam recolendum est Deum esse summum bonum, cum bonum sit id quod omnia appetunt, omnia autem appetant propriam perfectionem; unde debent etiam appetere id quod est causa suae perfectionis, in quo effectus perfectio praeexistere debet: Deus ergo, cum sit prima omnium causa, summum bonum esse debet. Sed et est ipsa per essentiam bonitas, cum omnis bonitas, quae

1. L. III, Orthod. Fid. c. 1. — 2. Cf. Frayssinous, Conférences sur la Religion, *Excellence du mystère de l'Incarnation*, t. III, p. 103, Paris, 1825.

concipi potest, sive ex parte naturae, sive ex parte qualitatum rei, sive ex parte finis, in Deo sit una et eadem simplicissima res cum divina Essentia quae est ipsum esse, in qua non sunt qualitates ad instar accidentium, et quae est suusmet finis[1].

Porro, de ratione boni est ut se aliis communicet, unde dicitur quod bonum est diffusivum sui[2]: ideoque de ratione summi boni est quod se summe communicet. Communicat autem Deus semetipsum tum necessario, tum libere. Necessario quidem, cum naturam suam ad intra communicat in mysterio Trinitatis; libere vero in communicationibus ad extra, sed multiplici differentia. Primo, res condendo, et conservando in earum naturali ordine; secundo, creaturas rationales elevando ad ordinem supernaturalem, gratiae et gloriae elargitione; tertio, et hic potissimus est modus qui superari nequit, communicando alicui creaturae proprium esse infinitum, propriamque subsistentiam, quod fit per hoc quod *naturam creatam sic sibi coniungit, ut una persona fiat ex tribus*: *Verbo, anima et carne*[3].

5. — Difficultas. — Id non est Deo conveniens, quod offendit contra eius α) immutabilitatem, β) dignitatem, γ) sanctitatem, δ) immensitatem. Atqui Incarnatio offendit contra Dei α) *immutabilitatem,* cum ab aeterno Deus caruerit carne, et solum in tempore sit factus homo; β) *dignitatem*, cum non sit ulla proportio inter infinitum Deum et finitam naturam humanam; γ) *sanctitatem*, cum corpus distet a summo spiritu sicut malitia a summa bonitate; δ) *immensitatem,* quia si intra corpusculum vagientis infantiae claudatur divinitas, ad illud transferat oportet curam totius mundi, ut Volusianus scribebat ad S. Augustinum. — Resp. negando *minorem* per partes.

6.— α) Incarnatio non offendit contra Dei immutabilitatem.— Revera, Incarnationis mysterium non est impletum per hoc quod Deus aliquo modo sit a suo statu mutatus in quo ab aeterno fuit, sed per hoc quod novo modo se creaturae univit, seu potius per hoc quod novo modo creaturam sibi univit; unde tota mutatio

1. Cf. I, Quaest. VI, art. 1, 2, 3. — 2. Ibid., Quaest. V, a. 4. — 3. S. Aug., l. XIII de Trin., c. 17.

se tenet ex parte creaturae, quemadmodum, ait Battini[1], *si novus crearetur planeta, qui circum solem ageretur et a sole collustraretur, non utique in sole, at in planeta illa mutatio et collustratio fieret.* Unde Ecclesia canit[2]: *Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturae : Deus homo factus est : id quod fuit permansit et quod non erat assumpsit, non commixtionem passus neque divisionem.* Et S. Augustinus[3] : *Homo quidem Deo accessit, sed Deus a se non recessit.* Quinimmo aliqua convenientia in creatura ex hac parte videtur adesse, ut quae secundum rationem suam mutabilis est, non semper eodem modo se habeat; et sicut incepit esse cum prius non esset, ita cum prius non esset Deo unita in persona, convenienter ei postmodum uniretur[4].

7. — β) **Nec contra Dei dignitatem.** — Revera, quae nullam omnino habitudinem habent inter se, scilicet nec causae ad effectum, nec materiae ad formam, nec aliquid huiusmodi, inconvenienter quidem iunguntur, sicut humano capiti cervix equina[5]; sed licet caro a perfectione divina in infinitum distet, et Deus carnis naturam in infinitum excedat, tamen est aliqua carnis ad Deum habitudo, ad minus habitudo effectus ad causam; quo ex capite caro, sicut caeterae creaturae, aliqualiter similis Deo praedicari potest. Quod maxime valet, sumpta carne pro natura humana, unde dicit Angelicus : *Homo secundum ordinem suae naturae habet Deum pro fine, et natus est ei per intellectum uniri. Nihil dignitatis Deo deperit ex hoc quod aliqua creatura quamtumcumque ei appropinquat, etsi hoc creaturae accrescat*[6]. Insuper advertere oportet convenientiam unionis huiusmodi non esse ex parte carnis, sed ex parte divinae bonitatis, propter cuius excellentiam unio facta est[7].

8. — γ) **Nec contra sanctitatem Dei.** — Negandum omnino est corpus a Summo Spiritu distare sicut distat malitia a summa bonitate. Nam quamvis corpus et quaecumque alia creatura in infinitum distent a Summo Spiritu qui est Deus, tamen creatura

1. Theol. Dogm. Colle, 1837, p. 12. — 2. Offic. Circumc. Dom. in antiph. ad Bened. — 3. Ep. ad Volus. — 4. Ad 1^m. — 5. Horat. de Arte Poet. — 6. L. IV, C. Gent., c. 55, — 7. Ad 2^m.

corporea, et omnes conditiones per quas a Deo differt, sunt a Dei sapientia et ad Dei bonitatem ordinatae. Deus enim increatus, immobilis et incorporeus cum sit, propter suam bonitatem, produxit creaturas mobiles et corporeas. Sed et malum poenae, quippe quod ad redintegrationem ordinis confert, a Dei iustitia et propter gloriam Dei est introductum. Solum malum culpae est Deo indecens, quippe quod committitur per recessum ab arte divinae sapientiae; ideoque Deus convenienter potuit assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream, et poenalitati subiectam, minime autem malum culpae[1].

9. — δ) **Nec contra Dei immensitatem.** — Siquidem, corrigenda est imaginatio, qua quis putet quod per Incarnationem virtus Dei fuerit coarctata aut inclusa in corpusculo. *Non habet hoc christiana doctrina,* ait S. Augustinus[2], *quod ita sit Deus infusus carni humanae, ut curam gubernandae universitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam transtulerit : hominum enim est iste sensus, nihil nisi corpora valentium cogitare... Deus autem non mole, sed virtute magnus est: unde magnitudo virtutis eius nullas in angusto sentit angustias : nec est incredibile, si verbum hominis transiens simul auditur a multis et singulis totum, quod Verbum Dei permanens simul ubique sit totum*[3].

ARTICULUS II. — *Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.*

1. — **Errores.** — Circa hanc rem plures habentur fidei contrariae positiones. Cum enim de duplici necessitate hic agi possit, formali scilicet et finali — nam evidens est necessitatem ex materia aut ex causa efficiente, quae violentia dicitur, in Deum cadere non posse, qui et immaterialis est et nullum habet superiorem se — hinc ex duplici capite inveniuntur errores.

α) Alii cum Wiclefo contenderunt Incarnationem omnino fuisse

1. Ad 3ᵐ. — 2. Ep. ad Volus., 3. — 3. Ad 4ᵐ.

necessariam necessitate quasi naturae seu formae divinae, ita ut ab ea decernenda Deus abstinere minime potuerit, cui adversantur tum illud Apostoli[1] : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit*, tum quod Deus in operibus ad extra omnino liber est. Hanc necessitatem, non absolute, sed in hypothesi creationis mundi, praedicavit Raymundus Lullus et postea Malebranchius, quasi Incarnatio sit ultima perfectio mundo acquirenda, cui sententiae facile respondetur tum mundo sufficere perfectionem quae suo fini respondeat, tum Deo non esse necesse ut suam gloriam omni possibili modo manifestet.

β) Ex parte *finis*, necessitas alia est absoluta, alia relativa. *Primo modo* aliquid necessarium est, sine quo aliud esse non potest, quo modo cibus necessarius est ad conservationem vitae humanae ; *secundo* autem *modo*, id est necessarium, per quod melius et convenientius ad finem pervenitur, sicut equus necessarius est ad iter.

Igitur alii posuerunt Incarnationem necessariam fuisse posito hominum lapsu, quam sententiam Petavius ipsimet S. Anselmo tribuit, licet alii rectius id negent. Facile autem isti redarguuntur, quia Deus nulla lege tenetur ad hominem redimendum, sicut legimus[2] : *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu.* Revera, haec opinio contra Dei omnipotentiam offendit, quasi Deus per suam virtutem non potuerit humanam naturam aliis modis reparare ; unde ait S. Augustinus[3] : *Sunt stulti qui dicunt : non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur de femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus, poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret.* Aliunde, nihil virtutis per carnem assumptam Verbo successit, ut sine ipsa non potuisset naturam humanam reparare, cum ipsa autem potuerit[4]. Unde restat ut dicatur

2. — PROP. — **Incarnatio fuit necessaria, ut melius et convenientius humanae naturae reparatio haberetur.**

Haec est S. Augustini doctrina, dum ait[5] : *Verum etiam osten-*

1. Tit. III, 5. — 2. Rom. III, 24. — 3. L. de Agone Christ., c. 11. — 4. Ad 1um. — 5. De Trin., l. XIII, c. 10.

damus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati omnia aequaliter subiacent, sed sanandae miseriae nostrae convenientiorem alium modum non fuisse. Revera, *licet*, ait Angelicus[1], *ad omnia facienda Dei voluntas sufficiat, tamen divina sapientia exigit ut rebus singulis, secundum earum congruentiam, provideatur a Deo : rebus enim singulis proprias causas convenienter instituit. Unde, licet Deus sola sua voluntate efficere potuerit in humano genere omnes utilitates quas ex Dei Incarnatione dicimus provenisse, tamen congruebat humanae naturae ut huiusmodi utilitates inducerentur per Deum hominem factum.* Porro, *si quis*, ait idem S. Doctor[2], *diligenter et pie Incarnationis mysterium consideret, inveniet tantam sapientiae profunditatem, quod omnem humanam cognitionem excedat, secundum illud Apostoli[3] : Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Unde fit, ut pie consideranti, semper magis ac magis admirabiles rationes huiusmodi mysterii manifestentur.*

Re quidem vera, ad hominis reparationem convenientius procurandam, necesse erat ut ille et in bonum promoveretur a quo exciderat, et a malo retraheretur in quod inciderat. Unde dicitur[4] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Atqui utrumque per Incarnationem Domini mirabiliter habitum est. Ergo.

3. — Exponitur minor. — I. Per Incarnationem homo fuit promotus in bonum.

Primo quidem, quantum ad *fidem*, circa quam certiores sumus, eo quod ipsemet loquitur cui credere debemus, unde ait Apostolus[5] : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. — Ut homo fidentius ambularet ad veritatem*, ait S. Augustinus[6], *ipsa Veritas Dei Filius, homine assumpto, constituit atque fundavit fidem.* Et idem Angelicus idipsum expendens[7], ait : *Cognitionem qua homo in ultimum finem dirigitur, oportet esse certissimam, eo quod est principium omnium quae ordinantur in ultimum finem, sicut et*

1. L. IV, C. Gent., c. 55. — 2. Ibid., c. 54. — 3. 1. Cor. I, 25. — 4. Io., III, 16. — 5. Hebr. I, 1, 2. — 6. L. XI de Civ. Dei, c. 2. — 7. L. cit., c. 54.

principia naturaliter nota certissima sunt. Certissima autem cognitio alicuius esse non potest, nisi vel illud sit per se notum, sicut prima demonstrationis principia, vel in ea quae per se nota sunt resolvatur, qualiter nobis certissima est demonstrationis conclusio. Id autem quod de Deo nobis per fidem tenendum proponitur non potest esse homini per se notum, cum facultatem humani intellectus excedat. Oportuit igitur hoc homini manifestari per eum cui sit per se notum. Et quamvis omnibus divinam essentiam videntibus sit quodammodo per se notum, tamen ad certissimam cognitionem habendam oportuit reductionem fieri in primum huius cognitionis principium, scilicet in Deum, cui est naturaliter per se notum, et a quo omnibus innotescit; sicut et certitudo scientiae non habetur, nisi per resolutionem in prima principia indemonstrabilia. Oportuit igitur hominem, ad perfectam certitudinem consequendam de fidei veritate, ab ipso Deo instrui homine facto, ut homo secundum modum humanum divinam instructionem perciperet.

Secundo, quantum ad *spem*, quae ex manifestatione divini amoris maxime erigitur. — *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram*, ait S. Augustinus[1], *quam ut demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid vero huius rei isto indicio manifestius, quam quod Dei Filius naturae nostrae dignatus est inire consortium?* Insuper, ut advertit idem Angelicus[2], *per hoc quod Deus humanam naturam sibi unire voluit in persona, evidentissime hominibus demonstratur quod homo per intellectum Deo potest uniri, ipsum immediate videndo. Fuit igitur convenientissimum quod Deus humanam naturam assumeret, ad spem hominis in beatitudinem sublevandam; unde post Incarnationem Christi homines coeperunt magis ad coelestem beatitudinem aspirare secundum quod ipse dicit*[3]*: Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.*

Tertio, quantum ad *charitatem*, quae maxime ex ostensione dilectionis excitatur. — *Quae maior est causa adventus Domini*, ait S. Augustinus[4], *nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Et postea : *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.* Ubi iterum advertit Angelicus[5]: *Nihil autem sic ad amorem alicuius*

1. L. XIII de Trinit., loc. cit. — 2. C. Gent., loc. cit. — 3. Io., X, 10. — 4. L. de Cat. rud. c. 4. — 5. C. Gent., loc. cit.

nos inducit, sicut experimentum amoris illius ad nos. Amor autem Dei ad homines nullo modo efficacius homini potuit demonstrari, quam per hoc quod homini uniri voluit in persona; est enim proprium amoris unire amantem cum amato, in quantum possibile est. Necessarium igitur fuit homini, ad beatitudinem perfectam tendenti, quod Deus fieret homo. Amplius: cum amicitia in quadam aequalitate consistat, ea quae multum inaequalia sunt in amicitia copulari non videntur. Ad hoc igitur quod familiarior amicitia esset inter hominem et Deum, expediens fuit homini quod Deus fieret homo, quia etiam naturaliter homo homini amicus est, ut sic, dum visibiliter Deum cognoscimus, in invisibilium amorem rapiamur.

Quarto, quantum *ad rectam operationem*, in qua nobis Christus exemplum se praebuit. — *Homo*, ait sanctus Augustinus[1], *sequendus non erat qui videri poterat; Deus sequendus erat qui videri non poterat; ut ergo exhiberetur homini et qui videretur ab homine, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* — *Ad virtutem*, ait Angelicus[2], *et verbis et exemplis provocamur; exempla autem alicuius et verba tanto efficacius ad virtutem inducunt, quanto de eo firmior bonitatis habetur opinio. De nullo autem homine puro infallibilis opinio bonitatis haberi poterat, quia etiam sanctissimi viri in aliquibus inveniuntur defecisse. Unde necessarium fuit homini, ad hoc quod in virtute firmaretur, quod a Deo humanato doctrinam et exempla virtutis acciperet; propter quod ipse Dominus dicit*[3]*: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos facialis.*

Quinto, quantum ad *plenam divinitatis participationem*, in qua vera hominis beatitudo, finisque humanae vitae ultimus consistit, quod quidem per Christi humanitatem nobis collatum est. — *Factus est Deus homo*, ait S. Augustinus[4], *ut homo fieret Deus.* Et S. Athanasius iam dixerat[5]: *Ipse factus est homo, ut nos dii fieremus*, αὐτὸς ἐνηνθρώπησεν, ἵνα ἡμεῖς θεοποιηθῶμεν. Quae quidem non sunt nisi resonantia illius S. Petri[6]: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec effi-*

1. Serm. de Nativ. Dom., 22 de temp. — 2. C. G. loc. cit. — 3. Io., XIII, 15. — 4. Serm. de Nativ. Dom., 13 de temp. — 5. De Incarn., p. 54, Opp. I, 108. — 6. 2 Ep. I, 4.

ciamini divinae consortes naturae, δι' ὃν τὰ μέγιστα καὶ τίμια ἡμῖν ἐπαγγέλματα δεδώρηται, ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως. Unde concludit S. Gregorius Nazianzenus[1]: *Fiamus dii propter ipsum, quia et ipse propter nos homo factus est*, γενώμεθα θεοὶ δι' αὐτόν, ἐπειδὴ κἀκεῖνος δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος.

4. — II. Per Incarnationem homo fuit convenienter remotus a malo.

Primo, quidem, per hoc quod homo diabolum non sibi praeferat, et illum veneretur, qui est peccati auctor, dum instruitur Deum non angelum sed hominem assumpsisse. — *Quidam*, ait Angelicus[2], *considerantes quarumdam creaturarum excellentiam super homines quantum ad aliqua, earum cultui se adstrinxerunt, colentes mundum et partes eius propter magnitudinem quantitatis et temporis diuturnitatem; vel spirituales substantias, angelos vel daemones, propter hoc quod hominem excedere inveniuntur tam in immortalitate, quam in acumine intellectus, aestimantes in his, ut puta supra se existentibus, hominis beatitudinem esse quaerendam. Quandoquidem*, ait S. Augustinus[3], *sic potuit Deo coniungi humana natura, ut fieret una persona, superbi illi maligni spiritus non ideo se audeant homini praeponere, quia non habent carnem.*

Secundo, per hoc quod homo *peccato non inquinetur*, dum instruitur quanta sit dignitas humanae naturae. — *Demonstravit nobis Deus*, ait S. Augustinus[4], *quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura in hoc quod hominibus in vero homine apparuit*. Et S. Leo Papa dicit[5]: *Agnosce, o christiane, dignitatem tuam; et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. — Ex hoc enim*, ait Angelicus[6], *contingit quod quidam considerantes se secundum naturam corpoream et sensitivam, quam cum aliis animalibus habent communem, in rebus corporalibus et delectationibus carnis quamdam beatitudinem bestialem requirunt.*

Tertio, ut homo a *praesumptione* removeretur, ad quam tollendam gratia Dei nullis in nobis meritis praecedentibus in homine Christo commendatur, ut habet Augustinus[7].

1. Or. I, 5. — 2. C. Gent., loc. cit. — 3. L. XIII de Trin., c. 17. — 4. L. de vera Rel. c. 16. — 5. Serm. I de Nativ. — 6. C. Gent. Ibid. — 7. L. XIII de Trin. loc. cit.

Quarto, ad tollendam hominis *superbiam*, quae maxime impedimento est ne inhaereat Deo, quae quidem superbia redarguitur et sanatur summa Dei humilitate, hominis naturam suscipientis.

Quinto, quod quidem praecipuum est, ad liberandum hominem *a servitute peccati*.— Hoc autem, ait S. Augustinus[1], *fieri debuit sic, ut diabolus iustitia hominis Iesu Christi superaretur, quod factum est, Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto genere humano; Deus autem satisfacere non debebat : unde oportebat Deum et hominem esse Iesum Christum.* Et S. Leo Papa[2] : *Suscipitur a virtute infirmitas, a maiestate humilitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum mediator, et mori ex uno, et resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non praeberet exemplum.*

5. — **Conclusio**. — Per Incarnationem igitur ad quintuplex *bonum* homo promovetur, scilicet, ad α) fidei certitudinem, β) spei erectionem, γ) charitatis excitamentum, δ) boni operis impletionem, ε) perfectam divinitatis participationem; — a quintuplici itidem *malo* liberatur, nempe α) ab indebita subiectione, β) ab ignorantia propriae dignitatis, γ) a falsa in semetipso fiducia, δ) ab appropriatione boni indebiti, ε) ab obligatione cui satisfacere nequibat.

Haec tamen non sunt unica Incarnationis beneficia; multae enim aliae utilitates exinde derivantur, quae quidem sunt supra sensus carnalis apprehensionem, intellectui tamen fide collustrato necnon pie et humiliter rem consideranti perviae[3].

6. — **Difficultas**.— Id non est utile homini, quo honor divinus diminuitur. Atqui per Incarnationem honor divinus diminuitur. Ergo. — *Maior* probatur a contrario, quia ad salutem hominis praecipue pertinet ut Deum revereatur, unde dicitur[4] : *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus; et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* — *Minor* quoque probatur ex eo quod tanto magis homines Deum reverentur, quanto magis illum considerant elevatum et ab hominum sensibus remotum, unde dicitur[5] : *Excelsus*

1. L. XIII de Trin., c. 13. — 2. Loco citato. — 3. Cf. Catechism. Rom. C. IV, n. 11. — 4. Mal. I, 6. — 5. Ps. CXII, 4.

super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius; et postea subditur[1]: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat?* In Incarnatione autem Deus apparet quasi annihilatus.

Resp. Conc. mai. Nego min. — Diminutio enim honoris et reverentiae non habetur per hoc quod aliquis se humiliet, sed per hoc quod amittat quidquam eorum quae ipsi debentur. Incarnatio vero Verbi peracta est absque ulla maiestatis diminutione; unde reverentiae Deo debitae diminutionem haudquaquam attulit. Immo haec reverentia succrevisse dicenda est; siquidem incrementum honoris et reverentiae habetur ex perfectiori cognitione dignitatis illius cui honor debetur. Atqui Verbum, dum per carnis assumptionem nobis appropinquare voluit, nos ad sui cognitionem perfectius perduxit[2].

7. — Quaestio. — Occasione desumpta ex supra recensitis S. Augustini verbis : *Homo purus satisfacere non poterat pro toto genere humano,* dubium exurgit, utrum aliquis purus homo dari possit, qui pro peccato generis humani satisfacere valeat.

Praenotanda. — I. Hic sermo est, non de qualicumque satisfactione, sed de satisfactione *perfectissima* seu *adaequata*, quae etiam dici solet *ex toto rigore iustitiae*, in qua debitum solvitur, non modo secundum quantitatem, sed etiam servato ordine vel forma strictae iustitiae, quae est ut quis solvat ex propriis et creditori nullo alio titulo debitis, et ut creditor illud teneatur acceptare; et in ea attenditur perfecta adaequatio ad recompensationem.

II. Homo purus hic debet sumi qui divinitati non sit hypostatice coniunctus, scilicet cum exclusione Christi; ita quod sensus sit utrum quilibet homo, imo quaecumque creatura, citra ordinem hypostaticum, potuerit praedictam satisfactionem Deo exhibere.

8.— Responsio negativa omnino tenenda est, cuius duplex ratio a S. Thoma affertur[3]. — *Primo, quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personae, vel etiam plurium poterat per aequiparantiam totius naturae detrimentum recompensare.* Haec ratio desumitur ex inaequalitate satisfactionis quasi materialiter sumptae, et valet etiamsi plures sic satisfactores in-

1. Vers. 5. — 2. Ad 3um, — 3. Ad 2um.

troducantur : non enim sufficit unius vel plurium satisfactio ad tollendam offensam omnium.

Quid igitur, si fingatur aut quod unusquisque pro semetipso, aut saltem quod creatura quaedam superioris ordinis pro genere humano satisfaciat ? Adhuc negandum est, et hic valet *secunda* S. Thomae ratio : *peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae Maiestatis : tanto enim offensa est gravior, quanto maior est ille in quem delinquitur.* Peccatum igitur infinitatem quamdam habet, non in genere entis, sed in genere moris, seu secundum obiectum, quia offensa Dei est malum infinitum. Satisfactionis autem valor ex persona satisfaciente computatur, ita ut tanto pluris fiant honor et humiliatio, in quibus satisfactio consistit, quanto maior est persona honorans et se humilians; nam honor est in honorante, et humilians se, hoc ipso honorato se subiicit. Sed quantacumque sit creaturae dignitas, semper in linea finiti continetur, unde eius satisfactio est finita, proindeque nulla pura creatura potest adaequatam satisfactionem Deo exhibere. Accedit quod quidquid homo Deo praestat, aut praestare potest, ad Deum iure pertinet ex titulo creationis, conservationis et motionis; aliunde Deus nulla lege tenetur illudmet acceptare.

Ad hoc igitur ut adaequata satisfactio Deo exhibeatur, necessaria est actio quae, licet sit res quaedam creata ac simpliciter finita, tamen sit propria infinitae personae, ideoque ens quoddam habens infinitam efficaciam in genere satisfactionis ex infinitate personae, quales quidem fuerunt operationes Hominis-Dei, ut ostendetur in quaestione XIX. Et quia Christus satisfaciens pro tota natura humana tantum dedit quantum debebatur, et quidem ex propriis dedit et ex nullo alio titulo debitis, et Deus illud acceptare debuit, ideo haec satisfactio, et haec sola, potest dici perfectissima et ex toto rigore iustitiae facta[1].

Vi autem huius satisfactionis, quasi universalis et primae causae, satisfactio hominis puri sufficiens reputatur, cum haec efficaciam accipiat ex Christi satisfactione, cuius virtutem quodammodo induit. Quocirca, nostra in praesenti satisfactio potest dici sufficiens

1. Unde a Clarmo P. Billot hac in re dissentimus, negante Christum ex rigore iustitiae satisfecisse. *De Verbo Incarn.*, p 457. Romae, 1900.

imperfecte, nempe *sicut secundum acceptationem eius qui est ea contentus, quamvis non sit condigna : et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens : et quia omne imperfectum praesupponit aliquid perfectum a quo sustentetur, inde est quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi*[1]. — Quod quidem valet tum pro satisfactione quae vocatur *de condigno*, sic dicta quia non est adaequate digna, et quae innititur Dei promissis infallibilibus, quam scilicet homo praestat in statu gratiae, tum etiam aliquo modo pro satisfactione *de congruo*, quam scilicet homo praestat in statu peccati, et quae innititur Dei misericordiae, qui, cum pronior sit ad miserendum quam ad ulciscendum, sicut homini imputat ad poenam actum peccati, ita imputare debet ad meritum actum bonum. Attamen, nec satisfactio de congruo, nec satisfactio de condigno nunc valerent, nisi habita fuisset Christi satisfactio : quandoquidem tunc non adfuisset perfectum illud quo omne imperfectum postulat sustentari.

Notandum autem est ex hac doctrina negari non debere hominem purum, id est citra Incarnationem, potuisse Deo satisfacere, in hypothesi quod Deus, ex misericordia, hominem sibi ita ad hoc gratum fecisset, ut satisfactionem sic exhibitam acceptasset; nam, ut habet Angelicus[2], *sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinae maiestatis, ita et satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinae misericordiae, prout est gratia informata, per quam Deo acceptum redditur quod homo reddere potest.* At talis satisfactio non esset *ad aequalitatem*, sed ex misericordia[3].

Unde tria dantur de facto satisfactionum genera, scilicet *adaequata, de condigno* et *de congruo;* praeter quas satisfactiones, est etiam possibilis satisfactio modo recensita.

ARTICULUS III. — *Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.*

1. — Ratio articuli. — Quaestio est utrum decretum Incarnationis dominicae fuerit, necne, ex motivo humanae redemptionis,

1. Ad 2um. — 2. 2. Dist. XV, q. 1. a. 2. ad 1^{m}. — 3. Cf. Caiet.

ideoque subsequens, modo nostro intelligendi, decretum de permissione lapsus. S. Thomas, quanquam alibi[1] utrumque ceu probabile habuerat, et quaestionem solutu impossibilem declaraverat, eo quod *solus scire ille potest qui natus et oblatus est quia voluit*, hic tamen sententiae neganti *magis assentiendum* esse categorice decernit.

2. — Sententiae. — Igitur proponenda thesis est contra Scotum necnon Suaresium eorumque asseclas, quorum prior ait decretum Incarnationis dominicae praecessisse decretum permissionis lapsus, et ideo Deum decrevisse opus Incarnationis, ut genus humanum nobilitaretur; sed insuper aliud circa Incarnationem decretum confinxit, scilicet circa circumstantiam passibilitatis, quod novum decretum, iuxta illum, permissionem lapsus secutum est. Alter vero duo pariter circa Incarnationem dominicam decreta commentatur, sed diversa ratione : scilicet primum quidem decretum ante lapsus permissionem absolutum, propter intrinsecam Incarnationis excellentiam; aliud vero post lapsus permissionem, non modo circa circumstantiam passibilitatis, sed etiam circa ipsam Incarnationis substantiam, quasi prioris decreti confirmativum.

Nos S. Doctorem secuti, a cuius doctrina hac in re fere nullus theologus recedit, negativam responsionem amplectimur, sistentes intra ambitum eorum quae in praesenti ordine nobis manifestantur : nam velle scrutari mentem divinam circa ea quae mere possibilia sunt, temerarium est : *quis enim cognovit sensum Domini*[2]? Sit igitur

3. — PROP. — Si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset.

Sic quippe legimus in *Symbolo Nicaeno* : *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo*, quod sane in opinione adversariorum dici non posset : non enim *propter nostram salutem* simpliciter descendisset Verbum de coelo, sed tantum secundum quid, id est tali modo, scilicet per passionem. Ubi

1. III, Dist. I. q. 1, a. 3. — 2. Rom. XI, 34.

adverti debet particulam *et* non esse multiplicativam, sed explicativam, quasi dicatur : *propter nos salvandos.*

4. — Ratio theologica. — *Ea quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit.* Atqui in Sacra Scriptura Incarnationis ratio vel motivum *ubique* assignatur peccatum primi hominis, et finis eiusdem deletio peccati. Ergo.

Circa *maiorem*, duo sunt notanda. *Primum*, quod hic est sermo de iis quae ex Dei voluntate proveniunt *supra omne debitum* creaturae. Revera, duplex attenditur in natura humana, sicut in quavis creatura, capacitas : *una*, secundum ordinem potentiae naturalis sive secundum exigentiam cuiusque rei. De debito secundum hanc capacitatem non est hic sermo, quia semper a Deo impletur, qui providet unicuique rei secundum suam potentiam naturalem, sicut homini Deus dat esse, vivere, sentire, ratiocinari ; quae omnia ad illius potentiam naturalem spectant. *Altera* capacitas attenditur supra ordinem potentiae naturalis, et mensuratur secundum ordinem divinae potentiae, cui omnis creatura obedit ad nutum. Hanc autem capacitatem Deus non semper implet, secus non posset facere in creatura nisi id quod facit ; unde ad hoc ut huiusmodi nobis innotescant, cum ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, necesse est ut nobis a Deo revelentur. Huiusmodi autem profecto est quod Deus sit factus homo[1].

Alterum notatu dignum est, quod ista revelatio nobis innotescit per Dei verbum, quod in Scriptura continetur, sive explicite ut cum conceptis verbis ibi habetur, sive implicite, scilicet per definitionem Ecclesiae. In praesenti tamen re, Ecclesiae definitio desideratur.

5.— Ostenditur minor, praesertim relate ad τὸ ubique. — Revera a sanctis prophetis Christus exhibetur missus ad reparandum hominem : sic[2] : *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde ;* et apud Danielem[3] indicatur ungendus eo fine, ut

1. Ad 3um. — 2. Is. LXI, 1. — 3. C. IX, 24.

consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas. Item apud Zachariam[1]: *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem... et auferam iniquitatem terrae illius in die una.*

Expressius autem hoc in Novo Testamento traditur[2]: *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* Pariter[3]: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et[4]: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli;* et[5]: *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Quibus locis infinita alia possunt addi; unde concludit S. Thomas[6]: *In canone Scripturae et in dictis sanctorum expositorum haec sola assignatur causa Incarnationis, redemptio scilicet hominis a servitute peccati.*

6. — **Patrum** quoque haec est mens, quorum unum alterumve recensuisse satis erit. S. Irenaeus ait[7]: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Pariter S. Gregorius Naz.[8]: *Quae humanitatis a Deo propter nos susceptae causa extitit? profecto ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causae afferri possit?* Et S. Ioannes Chrys.[9]: *Propter hoc carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, ut misereatur nostri; non enim est alia quaepiam causa dispensationis quam haec sola.* Similiter S. Leo[10]: *Si homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, in suae honore naturae mansisset,... Creator mundi creatura non fieret.* S. quoque Ambrosius[11]: *Quae erat causa Incarnationis: nisi ut caro quae peccaverat per se redimeretur?* Demum S. Augustinus[12]: *Si homo non peccasset, Filius hominis non venisset*[13]. *Nulla causa fuit veniendi Christo, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicinae causa.*

Hanc quoque doctrinam Ecclesia in sua liturgia consecravit, dum canit[14]:

Qui daemonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus est.

1. C. III, 8, 9. — 2. Luc. XIX, 10. — 3. 1. Tim. I, 15. — 4. 1. Io., III, 8. — 5. Ibid., IV, 10. — 6. III. Dist. I, q. 1, a. 3. — 7. L. V adv. Haer. — 8. Or. 36. — 9. Hom. V in Epist. ad Hebr. — 10. Serm. 3 de Pent. — 11. L. de Inc. Sacr., c. 6. — 12. Serm. 18 de Verb. Apost. — 13. Serm. 9. — 14. Hymn. Ier. II ad Vesp.

7. — **Scholion.** — Quod si interdum in Sacris Scripturis aut Patrum libris, Incarnationis causa apparenter alia ab hominis liberatione assignatur, puta, gloria aut bonitas aut misericordia Dei, non propter hoc realiter excluditur hominum salus, immo includitur : siquidem per Incarnationem formaliter redemptivam, Deus praefata attributa excellentissime manifestavit. Nec bene assignatur causa Incarnationis dominicae exaltatio nostrae humanae naturae in Christo : haec enim non erat secutura, nisi mediante humiliatione passionis, quam omnes agnoscunt ordinatam fuisse ad reparationem nostram : *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam*[1]. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et Deus exaltavit illum*[2]. Insuper, aliae utilitates Incarnationis, quas articulo praecedente recensuimus, et ad quas alludit S. Augustinus, dum dicit[3] : *Alia multa sunt cogitanda in Christi Incarnatione, praeter absolutionem a peccato,* pertinent omnes ad remedium peccati : homo enim, si non peccasset, perfusus fuisset a Deo lumine divinae sapientiae et perfectus rectitudine iustitiae ad omnia necessaria cognoscenda et agenda : cum autem, Deo deserto, ad corporalia collapsus est, conveniens fuit ut Deus, carne assumpta, etiam per corporalia, salutis remedium homini praeberet ; unde dicit S. Augustinus[4] : *Caro te obcoecaverat, caro te sanat : quoniam sic venit Christus, ut de carne carnis vitia extingueret*[5].

8. — **Confirmatur.** — α) Ex diversis officiis Christo attributis, puta pastoris, magistri, ducis, regis, praedicatoris, quae quidem officia important ordinem ad redemptionem. Revera Christus venit ut *magister*, ut errantes in veritatis tramitem reduceret ; ut *pastor*, ad quaerendam et salvandam ovem quae perierat ; ut *dux* et *rex*, ad eruendum ex mortis periculo populum suum ; ut *praedicator*, ad annuntiandum captivis indulgentiam, etc. — β) Ex eo quod mos Ecclesiae est, et nos iubemur, Deo gratias agere pro hoc mysterio, propterea quod sic nos salutem sumus consecuti. — γ) Ex eo quod in executione huius operis, scilicet ab infantia Domini usque ad eius ascensionem, omnia ad nostram

1. Luc. XXIV. 26. — 2. Phil. II, 8, 9. — 3. L. XIII DE TRIN., c. 7. — 4. TRACT. II, Sup. Io. 1. — 5. Ad 1um.

salutem diriguntur. — δ) Maxime vero ex ipso nomine Iesu quod Christo divinitus fuit impositum, et quod *Salvatorem* seu *Redemptorem* significat[1].

9. — Difficultates. — I. Opus quo divina potentia exhibetur tanquam infinita, et quod est perfectivum universi, debuit fieri, etiam homine non peccante : sic enim omnipotentia divina maxime manifestatur. Atqui Incarnatio, et ipsa sola est huiusmodi; nam α) per ipsam et per ipsam solam infinita potentia manifestatur, dum infinite distantia coniunguntur; et β) est perfectiva universi, dum homo, qui ultimo creatus fuit, coniungitur primo principio, quod est Deus. Ergo Incarnatio fieri debuit etiam homine non peccante.

Resp. Nego min., ex qua parte exclusiva est. — Revera α) in ipsa creatione, virtus Dei sufficienter ostenditur infinita ex ipso modo productionis rerum ex nihilo ; et β) ad perfectionem universi sufficit quod creatura naturali modo ordinetur in Deum, sicut in finem ; quod autem uniatur Deo in persona, limites excedit perfectionis naturae[2].

II. Absonum est ponere quod opus perfectissimum dependeat a conditione peccati. Atqui Incarnatio est opus perfectissimum. Ergo non debet pendere a peccato.

Resp. *Nego mai.* — Revera nihil prohibet naturam humanam ad aliquid maius perductam fuisse post peccatum : Deus enim non permittit mala fieri, nisi ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur[3]: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia ;* et Ecclesia in benedictione cerei paschalis, canit : *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem*[4]. — Nec dicatur propterea opus Incarnationis dominicae esse occasionatum, aut secundario tantum processisse : Deus enim omnium operum suorum rationes ab aeterno cognoscit, et nihil praeter intentionem operatur ; illud autem opus principaliter a Deo procedit, quod praestantius est, quanquam non haberetur, nisi praesupposita praescientia alicuius operis mali.

1. Cf. Matth., I, 21; vide supra, PROOEM. n. 7, p. q. — 2. Ad 2^m. — 3. Rom. V, 20. — 4. Ad 3^m.

Nec ex eo quod Incarnatio sit opus excellentius quam deletio peccati, sequitur quod non potuerit ordinari ad illud : ordinatur quippe Incarnatio ad deletionem peccati, non tanquam ad finem ultimum, sed tanquam ad finem proximum sive intermediarium : finis autem ultimus est gloria Dei. Ita Deus mittit angelos ad custodiam nostram, et sacerdos missam celebrat pro infirmi sanitate recuperanda, non quasi angeli ad nos, aut missa ad sanitatem, tanquam ad ultimum finem ordinentur, sed quia haec ulterius ordinantur ad Dei gloriam. Unde, licet lapsus hominis sit Incarnationis motivum, non tamen est eius finis ultimus ; sed finis ultimus et adaequatus Incarnationis est gloria Dei ; imo, ut mox dicetur, ipsa Incarnatio est finis humanae praedestinationis. Sic sol nobilior est quam terra : ad hanc tamen ordinatur, non secundum quod haec consideratur in se, sed secundum quod ordinatur ad integritatem universi[1].

III. Primus homo cognovit mysterium Incarnationis, non cognito proprio lapsu. Ergo si homo non peccasset, adhuc Deus incarnatus fuisset. — *Prob. antec. quoad primam partem.* Siquidem, adducta ad se Eva, dixit Adam[2] : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, quod Apostolus dicit esse *magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia*[3] : secunda pars *antecedentis* ostenditur eadem ratione qua et probatur quod angelus non fuit praescius sui casus, nempe quia secus miser fuisset, ut ostendit S. Augustinus[4].

Resp. *nego conseq.* — Potuit quippe Adae revelari effectus, non revelata causa ; et ita primo homini revelari potuit Incarnationis mysterium, quin tamen ille praescius esset sui lapsus : non enim necesse est ut quicumque cognoscit effectum, cognoscat et causam[5]. *Ante statum peccati*, ait S. Thomas[6], *homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem et resurrectionem.*

IV. Quod est ab aeterno praedestinatum nequit non impleri.

1. 1, Quaest. LXX, art. 2, ad 4^m. — 2. Gen. II. 23. — 3. Eph. V, 32. — 4. L. XI Sup. Gen., ad litt., c. 18. — 5. Ad 5^m. — 6. 2 2^ae, Quaest. II, art. 7.

Atqui Christus ab aeterno praedestinatus est iuxta illud : *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*[1]. Ergo, etiam peccato non existente, Incarnatio locum habuisset.

Resp. *Dist. mai.* Secundum praescientiam eorum quae Deus praeordinaverit, *conc.;* sine ullo ad hanc respectu, *nego. Dist min.* Habito respectu ad lapsum hominis, *conc.* ; sine tali respectu, *nego. Neg. conseq. et conseq.* — Non officit certitudini praedestinationis, quod huius executio sit decreta aliqua conditione mediante, sicut Deus praedestinat alicuius hominis salutem per orationes aliorum implendam, nam praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum ; et sic quod Incarnationis opus ordinatum fuerit in praevisionem peccati, illius certitudini non officit, siquidem praedestinatum est in remedium humani peccati[2].

10. — Corollarium. — Igitur peccato non existente, non fuissent *Deipara Virgo*, nec etiam *Ecclesia,* prout est corpus vivificatum sub capite Christo, nec *sacramenta;* pari ratione *matrimonio* defuisset munus quo nunc decoratur, scilicet significandi coniunctionem Christi cum Ecclesia. Quocirca Christus est nobis considerandus formaliter tanquam *Redemptor* seu *Salvator* generis humani, ideoque vere et propriissime vocandus est *Dominus noster,* quippe qui simpliciter propter nos salvandos factus est homo.

11. — *Quaestio. — *Quomodo praedestinatio Christi praecesserit praedestinationem nostram*[3].

Ex praecedenti doctrina videretur sequi quod, sicut permissio lapsus hominis praecessit decretum de Christi Incarnatione, ita etiam hominis praedestinatio praecesserit Christi praedestinationem, siquidem Verbum incarnatum fuit ad hoc ut hominem salvaret. Cui tamen contrariatur illud quod ex S. Scriptura et Ecclesiae magisterio edocemur circa praedestinationem Christi, scilicet, eam esse causam tum finalem, tum exemplarem, tum meritoriam praedestinationis nostrae, ut etiam inferius ostendetur[4]. *Finalem* quidem, nam Concilium Tridentinum dicit[5] iustificationis nostrae causam finalem esse *gloriam Dei et Christi ac vitam aeternam*, et S. Paulus dicit[6] : *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi,*

1. Rom. I, 4. — 2. Ad 4^m. — 3. Cf. ad 4^m. — 4. Quaest. XXIV. — 5. Sess. VI, c. 7. — 6. 1. Cor. III, 22, 23.

Christus autem Dei; meritoriam quoque, nam Deus *elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate*[1]; denique *exemplarem*, nam filiatio naturalis Christi fuit typus filiationis nostrae adoptivae: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*[2]; et rursus: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*[3]; et: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*[4].

Quae cum ita sint, dubium haud leve exurgit, quomodo Christi praedestinatio dicenda sit praecessisse praedestinationem nostram.

Ad cuius solutionem, sciendum est aliud esse praescientiam, aliud praedestinationem. Haec enim respicit formaliter transmissionem creaturae rationalis in finem vitae aeternae; illa vero generaliter complectitur quidquid, sive bonum, sive malum, sub ordine divinae Providentiae cadit, in finem ultimum aliquando ordinandum. Unde praescientia hoc lato sensu accepta prior est praedestinatione: complectitur enim non modo ipsammet praedestinationem, sed etiam quidquid aut praedestinationem praeparat aut ad illam quomodolibet concurrit, immo et complectitur reproborum damnationem: reprobi enim praesciuntur, non praedestinantur. Attamen, in aliquo singulari individuo, praedestinatio praecedit praescientiam, et ratio est quia praedestinatio est omnino gratuita: scilicet ideo scitur a Deo praedestinatus quia praedestinatur a Deo, et non praedestinatur a Deo quia cognoscuntur eius merita praecedentia vel aliquid huiusmodi. Quocirca, in aliquo homine singulari, primo est praedestinatio ad gloriam, et consequenter eodem actu ad gratiam et merita, cum vita aeterna habeat rationem coronae et praemii; et postea sciuntur de ipso defectus, peccata, etc., quod ad effectum illius praedestinationis quadam ratione ultimo ordinantur. Sed in universali praescientia primo complectitur omnes res, omnesque eventus mundanos, ex quibus, veluti ex quadam massa accipitur quorumdam praedestinatio, quorumdam vero reprobatio[5].

1. Eph. I, 4. — 2. Rom. I, 4. — 3. Eph. I, 5. — 4. Rom. VIII, 29. — 5. Cf. quae diximus in Tract. DE PERTINENTIBUS AD DIVINAM OPERATIONEM, Quaest. XXIII, art. 5.

Itaque Deus, cum in sua infinita praescientia haberet rationes omnium rerum possibilium, in primo quasi rationis signo, per creationem intendit gloriam suam extrinsecus manifestare, siquidem *universa propter semetipsum operatus est Dominus*[1]; in secundo autem decrevit ut esset ordo naturalis cum suis perfectionibus et defectibus, ordo etiam gratiae, pariter cum suis defectibus, id est cum peccato, quo permisso, Deus decrevit ut Verbum incarnaretur, et sic Christum praedestinavit *Filium Dei in virtute*[2], non absolute, sed habito respectu ad huiusmodi peccatum delendum, seu illum praedestinavit formaliter ut *redemptorem*, ad cuius gloriam, et per cuius similitudinem, et per cuius merita homines praedestinarentur.

Quapropter, *obiicienti :* Quod dependet ab altero non est huius motivum; atqui salus nostra dependet a praedestinatione Christi; ergo non est eius motivum, seu decretum Incarnationis Verbi non pendet a lapsu hominis reparando — *respondetur conc. mai., dist. min.* : secundum quod salus nostra significat praedestinationem nostram, *conc.*, secundum quod importat lapsum in peccatum, *nego. Nego conseq. et conseq. — Praedestinatio,* ait Angelicus, *praesupponit praescientiam futurorum; et ideo sicut Deus praedestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam praedestinavit opus Incarnationis in remedium humani peccati*[3].

Et ita Christi praedestinatio, ex motivo lapsus hominis decreta, fuit typus praedestinationis nostrae; ut, quemadmodum ille fuit praedestinatus formaliter tanquam *Redemptor* ex propriis meritis gloriam assecuturus, ita, homo praedestinetur formaliter ut *redemptus*, gloriam etiam per propria merita, Redemptoris tamen gratia comparanda, assecuturus. Unde proprium nomen praedestinatorum est ut dicantur *redempti*, et pariter proprium nomen Verbi Incarnati est ut dicatur *Redemptor* aut *Salvator*, quod est Iesus. Unde, dicebat sanctus Iob[4]: *Scio quod Redemptor meus vivit;* et pariter in Psalmo legitur[5] : *Deus excelsus Redemptor eorum est.* Isaias quoque de Christo praenuntians, aiebat[6] : *Ego Dominus,*

1. Prov. XVI, 4. — 2. Rom. I, 4. — 3. Ad 4^m. — 4. C. XIX, 25. — 5. LXXVII, 35. — 6. C. XLIX, 26.

salvans te et Redemptor tuus. Et in Apocalypsi[1] a Christo redempti hanc Redemptori laudem tribuunt : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.*

Quia Christo, ait Angelicus[2], *hoc munus gratiae collatum erat, ut per ipsum omnes salvarentur, ideo convenienter vocatum est nomen eius Iesus, id est Salvator.* Qua de causa, licet idem sit *Iesus* ac *Christus*, tamen Augustino videtur prius esse principalius, quia magis proprium altero. *Aliam significationem*, ait[3], *habet Iesus, aliam habet Christus. Cum Christus sit unum, Iesus Christus Salvator noster, Iesus tamen proprium nomen est illi; ... Christus autem sacramenti nomen est, quomodo si dicatur propheta, quomodo si dicatur sacerdos.*

Quoniam autem Deo placuit ut Beata Virgo Maria sacramenti humanae redemptionis patrandi administra foret[4] et ut vera Iesu Christi Mater, illius sacrificio associaretur et humanae saluti cooperaretur, ideo nomen quod prae caeteris Deiparae competit est *Corredemptrix generis humani*[5].

12. — Conclusio. — Christus igitur recte dicitur primo omnium praedestinatus, α) quia praedestinatus est ut caput, caeteri vero ut membra; β) quia eius praedestinatio est causa finalis praedestinationis nostrae, finis autem est prior secundum intentionem; γ) quia eius praedestinatio est causa meritoria et exemplaris praedestinationis nostrae, merita autem et exemplar praecedunt effectum et exemplatum. Et hoc sensu intelligi debent aliquorum Patrum dicta hisce similia : *Si propter nos factus est Filius, et non propter Filium nos, erimus nos ipso multo praestantiores*[6], et[7] : *Praefundatur ante nos Christus, et in ipso nos omnes superaedificamur, idque ante initium mundi in praescientia Dei;* et rursus[8] : *Sed Deus, qui futura omnia novit, aeternaliter quoque fundavit quantum ad cognitionem suam Filium suum; hoc est, fundamentum illud futurum constituit ut nos superaedificati in ipso, a*

1. C.V. 9. — 2. 3. Quaest. XXXVII, a. 2. — 3. Expos. in 1. Io. Tract. III. — 4. Leo XIII. Encycl. *Adiutricem*, 5 sept. 1895. — 5. Vide Quae scripsimus in Tract. de Bma Virgine Maria Matre Dei, 2ª Ed. Appendix, §. XX, p. 530. — 6. S. Cyrillus Alexandr. l. V, Thesauri, c. 5. — 7. C. 8. — 8. Ibid.

corruptione in incorruptionem resurgamus: sciebat enim mortales nos futuros propter peccatum, ac ideo ex misericordia sua ante saecula constituit ut Verbum suum homo et initium viarum et fundamentum fieret.

Pariter, quando Christus exhibetur in divinis Scripturis intentione primus omnium, verbi gratia[1]: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, quod apud LXX legitur: κύριος ἔκτισέ με αρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, aut[2]: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*, quod concilium Sardicense[3] de Christo intelligit, aut cum Christus dicitur[4] *primogenitus omnis creaturae*, — haec et his similia, nisi intelligi velint de divina Verbi generatione, eo sensu sumenda sunt, ut innuant Christum fuisse primum omnium praedestinatorum, in cuius gratiam alii homines, quicumque illi sint, praedestinantur. Unde rectissime ait S. Paulus[5]: *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Quinimmo, ut inferius dicetur[6], nec ipsi angeli praedestinati sunt absque omni prorsus ad Christum respectu; non quidem ut efficienter aut meritorie gratiam ab ipso reciperent, nam, ut habet S. Thomas[7], *quantum ad praemium essentiale bonorum angelorum, quod est beatitudo aeterna, et quantum ad poenam essentialem angelorum malorum, quae est damnatio aeterna*, (iudicium) *factum est per Christum, in quantum est Verbum Dei, a principio mundi*[8]. Sed angeli dicuntur praedestinati per respectum ad Christum, quia Deus, gratiam angelis infundendo, respectum habuit ad Christum, tanquam ad eorum caput, ut eorum gratiae et gloriae Christus esset causa exemplaris et finalis.

Porro hoc non tollit quominus, si Deus voluisset, Verbum fuisset incarnatum, etiam homine non peccante; sed in praesenti ordine, de quo tantum hic sumus solliciti, concludendum est quod, *peccato non existente, Incarnatio non fuisset, quamvis*, addit S. Doctor, *potentia Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim etiam peccato non existente, Deus incarnari*, ex quo apparet non aliud praesente articulo intendi, nisi quod Incarnatio fuerit ad nostram salutem formaliter ordinata.

1. Prov. VIII, 22. — 2. Eccli. XXIV, 5. — 3. Ep. ad omnes Episc. — 4. Col. I, 15. — 5. Rom. X, 4. — 6. Quaest. VIII, a. 4. — 7. 3, Quaest. LIX, art. 6. — 8. Cf. Ibid., resp. ad 1^m.

13. — **Auctoritas S. Pauli.** — Quomodo Christi praedestinatio sit nostrae praedestinationis causa, pulchre exponit Apostolus his verbis[1] : *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cuius gratia estis salvati) et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu, ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae, in bonitate super nos in Christo Iesu.*

Hic S. Paulus statum culpae ante Incarnationem exagerat, ut Incarnationis beneficia extollat, quae quidem a sola Dei charitate tanquam α) a causa *efficiente* pendet : *Propter nimiam charitatem suam.* Multis enim modis Deus amorem suum erga nos iam ostenderat : et *primo* quidem, cum nos in esse produxerat, iuxta illud[2] : *Diligis omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae fecisti; secundo* cum nos ad suam imaginem creaverat, et capaces effecerat suae beatitudinis[3] : *Et cum eo sanctorum millia... Dilexit populos; omnes sancti in manu illius sunt; tertio*, cum homines per peccatum corruptos reparare voluerit[4] : *In charitate perpetua dilexi te, et ideo attraxi te miserans tui.* Ast vero nondum sic *nimia* apparebat charitas Dei; unde necesse fuit ut non qualicunque modo consuleret nostrae saluti, sed ad hoc opus mitteret Unigenitum Filium suum[5] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Maxima certe charitas, quae a nullo alio praestari poterat, nisi ab eo, *qui dives est in misericordia.*

Et bene quidem dicitur *dives in misericordia*, quandoquidem nos non ex iustitia diligit, sicut ex iustitia cum nos diligere tenemur, sed ex mera *misericordia;* qui et *dives in misericordia* praedicatur, et quidem solus sic dives, cuius divitiae nullis coarctantur limitibus, quia has divitias possidens absque nocumenti timore, avarus non est, sed maxime liberalis in illis elargiendis, et in hac divitiarum suarum communicatione, nulla superioris lege coarctatur.

Charitas ergo Dei est α) causa *efficiens* nostrae salutis per Iesu Christi merita; sed Christus ipse est praeterea β) causa *exem-*

1. Eph. II, 4-7. — 2. Sap. IX, 25. — 3. Deut. XXXIII, 2, 3. — 4. Hier. XXXI, 3. — 5. Io., III, 16.

plaris tum iustificationis, tum resurrectionis, tum gloriae venturae. Iustificationis quidem ; eamdem enim cum eo et per eum vitam habemus, unde dicit Apostolus : *Convivificavit nos in Christo*, scilicet, simul vivere fecit cum Christo. Resurrectionis autem, tum quoad animam in re, tum quoad corpus in spe : *Et conresuscitavit*. Gloriae denique, quia simul cum eo regnabimus, unde dicit Apostolus : *Et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu ;* ubi praeteritum ponitur pro futuro, tanquam iam factum sit id quod certissime eventurum est.

Denique γ) causa *finalis* Incarnationis est *ostensio abundantium divitiarum gratiae Dei in saeculis supervenientibus*. Ubi per *supervenientia saecula* intelligi potest tum vita praesens, sic, ut ostensione divinae misericordiae posteri facilius Dei bonitatem admirentur et ad hanc convertantur ; unde idem Apostolus dicit[1] : *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum qui crediturí sunt illi, in vitam aeternam*. Potest etiam intelligi vita futura : quamvis enim unum tantum sit ibi saeculum, quia una tantum est aeternitas, tamen multi sunt sancti participantes hoc saeculum sive hanc aeternitatem, ut sic tandem causa finalis nostrae praedestinationis sit gloria Dei et Christi[2].

ARTICULUS IV. — *Utrum principalius Christi Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale.*

1. — Praenotandum. — Certum est Christum venisse ad tollendum quodcumque peccatum hominum, scilicet, non solum originale, sed etiam actuale. *Hominum* inquam, non enim hanc gratiam angelis contulit, quorum Redemptor proprie non est. Haec doctrina est de fide tenenda, dicente absolute Tridentino[3] : *Hunc* (Christum) *proposuit Deus propitiationem pro peccatis nostris, non solum pro nostris, sed etiam pro totius mundi*. Et Patres Con-

1. 1 Tim. I, 15, 16, — 2. Cf. Comment. S. Thomae in h. l. — 3. Sess. VI, c. 2.

cilii Toletani sexti[1] profitentur quod *ex tribus personis divinis solus Filius ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, quae per inobedientiam Adae originaliter et nostro libero arbitrio contraximus, resolvenda, a secreto Patris arcanoque prodierit et humanitatem assumpserit.* Unde prophetico spiritu Isaias dicit[2] : *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra;* et Ioannes, factum recolens, ait[3] : *Sanguis Iesu Christi... emundat nos ab omni peccato.*

2. — *__Auctoritas S. Pauli.__ — Huius autem rei ratio est quia Christus exhibuit remedium sufficientissimum ad omnia delenda peccata. Quod pulcherrime exprimit S. Paulus[4], ostendens primo gratiam Christi Iesu modo quasi parallelo cum peccato processisse, ita ut sicut peccato unius omnes sunt infecti, ita unius gratia omnes possint reparari; tum, seipsum quasi corrigendo, declarat quod gratia Christi illuc quoque pertigerit, quo non pertigit peccati virus, quandoquidem Beata Virgo gratiam Salvatoris recepit, quae tamen peccato nulla ratione fuit infecta. Dicit ergo Apostolus[5] : *Non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit* — εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν. Statim tamen convertens sermonem, Apostolus adinvenit summum differentiae caput inter gratiam Christi et peccati virus, ex eo quod unum peccatum homines in iudicium Dei adduxit, dum multa peccata iustificationem Christi provocaverunt; unde addit[6] : *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum : nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem* — καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήματος τὸ δώρημα· τὸ μὲν γὰρ κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. Non tamen exinde sequitur omnia peccata deleri; gratia enim Christi habet rationem principii activi respectu humanae voluntatis; haec autem summa lex est, quod quia forma ab agente

1. C. 1. — 2. C. LIII, 5. — 3. 1. Epist. I, 7. — 4. Rom, V. — 5. Loc. cit., vers. 15. — 6. Vers. 16.

imprimitur in patiente disposito, quantumcumque causa aliqua activa sit sufficiens ad producendum effectum in patiente, nisi patiens causae iungatur, non poterit agentis influxum recipere, sicut quis calefieri nequit, nisi ad ignem accedat. Humana autem voluntas divinae motioni iungitur, dum homo gratiae libere cooperatur, *Dei enim sumus adiutores*[1]. Atqui saepius fit ut homines veritatis lumen respuentes, rebelles fiant divinae gratiae. Unde dicebat Christus[2]: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem;* et apud Iob dicitur[3]: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius nec reversi sunt per semitas eius.*

3. — PROP. — **Christus fuit incarnatus principalius ad tollendum peccatum originale quam peccatum actuale.**

PROB. Ad illud peccatum tollendum principalius venit Christus, quod fuit simpliciter maius. Atqui peccatum originale est simpliciter maius quam peccatum actuale. Ergo ad illud principaliter tollendum venit Christus.

Maior constat ex praecedentis articuli doctrina: si enim propter delendum peccatum venit Christus, ergo principalius propter illud delendum, quod simpliciter maius est. — *Prob. minor.* Iamvero, quod peccatum originale simpliciter maius sit quam actuale, de facili ostenditur. Revera, aliquid potest dici maius dupliciter. Uno modo *intensive*, alio modo *extensive*. Intensive quidem, sicut maior est albedo quae est intensior; extensive vero, sicut maior est albedo quae est in maiori superficie. Porro, intensive non est maius peccatum originale quam actuale, nam actuale peccatum plus habet de ratione voluntarii, ex quo intensiva peccati gravitas computatur, et ideo maior ipsi poena debetur secundum illud S. Augustini: *Minima poena debetur originali peccato*[4]. Sed est extensive maius, quia per illud totum genus humanum inficitur; peccatum autem actuale est proprium singularis personae. Atqui illud est simpliciter maius quod ad plures se extendit, iuxta illud Philosophi[5]: *Bonum gentis divinius et eminentius est quam bonum unius,* ἀγαπητὸν μὲν γὰρ καὶ ἑνὶ μόνῳ· κάλλιον δὲ καὶ θειότερον ἔθνει καὶ πόλεσιν. — Quem locum commentans S. Thomas, ait: *Manifestum est quod unaquaeque*

1. 1. Cor. III, 8. — 2. Io. III, 19. — 3. C. XXIV, 13. — 4. L. V, c. Iulian, c. 11. — 5. Ad 1^m. — 6. L. I. Ethic., c. 2.

causa tanto prior est et potior, quanto ad plura se extendit. Et ideo, si idem bonum est uni homini et toti civitati, multo videtur maius et perfectius suscipere, procurare et salvare illud quod est bonum totius civitatis, quam id quod est bonum unius hominis.

4. — ***Confirmatur.** — **I.** Ex verbis S. Ioannis[1]: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, pro quo in graeco habetur *peccatum*: ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, quod exponens Ven. Beda, ait[2]: *Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi.*

II. Cum Christus venerit pro reparatione generis humani, pro illo peccato delendo principalius venit, quod est radix omnium peccatorum. Atqui peccatum originale est radix et origo peccatorum actualium. Ergo.

Quocirca Ecclesia canit[3]:

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad crucem
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.

5. — **Difficultates.** — **I.** Ad illud peccatum delendum principalius venit Christus, cuius poenalitates in se assumpsit. Atqui Christus assumpsit in se poenalitates peccato actuali debitas, id est poenam sensus, non autem poenalitates debitas peccato originali, ipse enim nunquam passus est poenam damni, quae sola debetur peccato originali. Ergo principalius venit Christus ad delctionem peccati actualis quam ad deletionem peccati originalis.

Resp. *Transm.mai. Dist. min.* Christus non assumpsit in se poenalitates peccato originali debitas in altera vita, *conc.;* in praesenti vita, *nego. Nego cons. et conseq.* — Revera, poena damni debetur quidem peccato originali, sed nonnisi in altera vita ; illi tamen in praesenti vita debentur poenalitates sensibiles, verbi gratia, fames, sitis, morbus, mors et alia huiusmodi, quae Christus assumpsit, ut plene pro peccato originali satisfaceret, et illius poenalitates in seipso consumeret. — Dixi *transmissa maiori*, quia ad hoc ut quis

1. C. I, 29. — 2. Glossa ord., ex Hom. in Oct. Epiph.— 3. Hymn. Fer. II, ad Vesp.

pro aliqua culpa satisfaciat, non est necesse ut illius poenam sentiat, sicut non fuit necesse ut Christus poenas inferni sentiret culpae mortali debitas ; pro quibus tamen, sicut et pro poena damni abundantissime satisfecit[1].

II. Christus venit ad delendum peccatum quod est maius extensione. Atqui actuale peccatum est maius, etiam extensione, quam originale. Ergo. — *Prob. min.* Nam omnes qui inficiuntur peccato originali, etiam peccato actuali inficiuntur, saltem regulariter loquendo, id est ubi homo est rationis capax et citra specialissimum privilegium, iuxta illud S. Pauli[2]: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.*

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Peccatum actuale est maius extensive quam originale, extensione materialiter accepta, *transeat ;* extensione formaliter sumpta, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Licet enim omnes homines singillatim peccent, hoc tamen per accidens est, non autem per se, seu hoc est contingenter, non necessario. Quilibet enim peccans peccat non necessitate naturae sed electione voluntatis, et sic peccatum actuale non aufert nisi bonum privatum hominis. E contra peccatum originale per se omnes inficit, non contingenter, sed necessario ; et est vere tale peccatum, quod aufert bonum totius naturae aut gentis ; ita quod, pro quanto natura humana multiplicetur, multiplicari etiam debeat, citra speciale privilegium, peccatum originale quod ideo vere universale dici potest.

6. — Quaestio. — *Quisnam sit sensus verborum S. Pauli*[3]: (Christus) DILEXIT ME ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO ME, — *quibus videretur innui, propter propria uniuscuiusque peccata, et ideo non propter originale peccatum, quod est omnibus commune, Christum advenisse?*

RESP. Verba ista non debent sumi sensu exclusivo, quasi aut pro uno solo, aut pro solis individualibus peccatis singulorum Christi satisfactio valeat. Attamen unusquisque satisfactionem pro omnibus communiter datam ita sibi propriam existimare potest, ac si pro se solo esset oblata, propterea quod peccatum in unoquoque ita perfecte curatum est, ac si ipse solus obnoxius fuisset

1. Ad 2[m]. — 2. Rom. III, 23. — 3. Gal. II, 20.

peccato. Sed et quod alii de ista curatione participent, unusquisque sibi adscribere potest, propter virtutem charitatis, quae gaudet de bonis alienis perinde ac si essent sua propria. Hisce advertens S. Ioannes Chrysostomus ait[1] : *Hic est affectus servi fidelis, ut beneficia domini sui, quae communiter omnibus data sunt, quasi sibi soli praestita reputet ; quasi enim de se solo loquens Paulus ita scribit : Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Subdit autem postea idem Chrysostomus[2] : *Verba illa dicebat Apostolus, non quasi diminuere volens amplissima et per orbem terrae diffusa Christi munera ; sed ut prae omnibus se solum iudicaret obnoxium. Quid enim interest, si et aliis praestitit, cum quae tibi sunt praestita, ita integra sunt et ita perfecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit praestitum*[3]?

7. — Corollarium. — Ex his autem sponte sequitur quod solis actualibus peccatis existentibus, Christus non venisset; venisset autem solo originali existente sine actualibus.

ARTICULUS V. — *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.*

1. — Sensus quaestionis. — Deum ab initio mundi incarnari dupliciter potest intelligi, scilicet ante peccatum Adae, aut immediate post eius peccatum. Porro quod non fuerit conveniens Deum incarnari a principio humani generis ante peccatum, constat ex dictis : siquidem opus Incarnationis principaliter ordinatum fuit ad reparationem humanae naturae per peccati abolitionem ; igitur non debuit fieri ante peccatum : medicina enim non datur nisi infirmis ; unde dicit Christus[4] : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus ; .... non enim veni vocare iustos sed peccatores.* Unde quaestio est utrum conveniens fuerit Deum incarnari statim post peccatum : sic enim videretur quod plures homines consequi potuissent salutem aeternam. At contra statuimus

1. L. II de Compunctione cordis c. 5. — 2. C. 6. — 3. Ad 3^m. — 4. Matth. IX, 12, 13.

2. — PROP. — **Non fuit conveniens Deum incarnari statim post peccatum.**

Prob. Opus α) quod ordinabatur ad curandam hominis superbiam, β) quo natura humana ad summam perfectionem erat adducenda, γ) quod futurum erat summae intrinsecae excellentiae, δ) quod fervori excitando destinabatur, non debuit fieri statim post peccatum. Atqui tale erat opus Incarnationis dominicae. Ergo.

3. — **Exponitur argumentum.** — α) **Incarnatio utpote ordinata ad curandam hominis superbiam, non debuit fieri statim post peccatum.** — Siquidem, haec erat conditio humani peccati quod ex superbia provenerat, ut per hoc auferretur, quod homo humiliatus recognosceret se liberatore indigere: quod ut obtineret, necesse erat ut prius relinqueretur in libertate arbitrii in lege naturali, ut ita naturae suae vires experiretur. Deficientibus vero naturae viribus, quo quidem in casu arguitur defectus scientiae, homo legem accepit, qua data, invaluit morbus, non legis sed naturae vitio; unde ait Paulus[1] : *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris.* Quo in statu homo, licet abundante lumine perfunderetur, tamen defectum suum expertus est in virtutis exercitio; unde cognita undequaque sua infirmitate, clamavit ad medicum, ut gratiae quaereret auxilium. Hinc legitur in Glossa[2] : *Magno Dei consilio factum est, ut post hominis casum, non illico Dei Filius mitteretur.*

4. — β) **Nec in quantum per eam natura humana nobilitabatur.** — Nam in unoeodemque haec naturae lex est, ut imperfectum praecedat perfectum : unde Incarnationem, per quam homo ad multiplex bonum fuit adductus, imperfectionis periodus debuit praecedere. Cui attendens Paulus ait[3] : *Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus vero Adam in spiritum vivificantem;* ubi pulcherrima antithesi statuta, Apostolus innuit secundum Adam non viventem tantum esse, sed et vitam dantem, id est vivificantem, *de plenitudine* (enim) *eius nos omnes acce*

1. Gal. III, 19. — 2. In loc. sup. cit. — 3. 1. Cor. XV, 45.

pimus[1]. — *Veni*, dicebat Christus, *ut vitam habeant, et ut abundantius habeant*[2]. Subdit autem Apostolus[3] : *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale*, quo quidem ostenditur ordinem promotionis in bonum postulare, ut de imperfecto in perfectum procedatur, cuius signum est, ut ait Augustinus, quod primogeniti antiquitus consueverunt esse animales, ut Cain respectu Abelis, Ismaël respectu Iacob[4]. Deinde concludit Apostolus[5] : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis*, ubi particula *de*, quae primam partem rei in eius fieri designat, sicut cum dico : *Cultellus est de ferro factus*, satis ostendit differentiam primi Adae ab Adam secundo in perfectione ex parte originis.

5. — ***Tacita obiectio.** — *Dices :* Natura sumit initium a perfectis, ut ait Boetius[6]. Atqui opus gratiae non est minus ordinatum quam opus naturae. Ergo opus gratiae a principio debuit esse perfectum, perfectione adducta per Incarnationem, secundum illud[7] : *Verbum caro factum est;* et postea subditur : *Plenum gratiae et veritatis.*

Resp. *Dist. mai.* In diversis *conc.;* in eodem *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — In utroque ordine, naturae scilicet et gratiae, in diversis quidem perfectum praecedit imperfectum ; in uno tamen et eodem subiecto imperfectum praecedit perfectum. Ita, in generatione alicuius hominis, perfectum praecedit in diversis, siquidem generatio supponit perfectionem in eo qui generat, scilicet in patre qui perfectus est, eo quod potest generare sibi similem. Sed in ipsomet homine genito imperfectum praecedit perfectum ; est enim primo infans, deinde puer, postea vir. Sic etiam in ordine gratiae : in diversis quidem, perfectum praecedit imperfectum, scilicet Deus, a quo est omnis perfectio ; in uno autem et eodem, scilicet in homine qui in gratia promovetur, imperfectum praecedit perfectum : transit enim homo ab ordine incipientium, ad ordinem proficentium, ut demum perveniat ad ordinem perfectorum. Igitur imperfectionem naturae humanae in ordine gratiae praecedit aeterna Dei perfectio ; subsequitur

1. Io. I, 16. — 2. Ibid., X, 10. — 3. Ibid., 46. — 4. Cf. S. Thom. Expos. in Ep. S. Pauli h. l. — 5. Ibid., 47. — 6. L. III de Cons. Phil. pros. 10. — 7. Io. I, 14.

autem illam consummata eiusdem perfectio in aeterna unione cum Deo.

6. — γ) **Nec in quantum Incarnatio erat opus summae excellentiae.** — Summa dignitas Verbi Incarnati exigebat ut longa prophetarum et patriarcharum serie annuntiaretur. *Quanto maior iudex veniebat,* ait S. Augustinus[1], *tanto praeconum series longior praecedere debebat.* Ideo Deus sapientissime praefinivit tempus quo Filius suus incarnaretur, iuxta illud[2] : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Plenitudo videlicet temporis praefiniti a Deo, quod quidem tempus fuit plenum, tum propter gratiarum copiam, tum propter figurarum impletionem, tum denique propter promissorum executionem.— *Sic congruebat,* ait S. Leo[3], *illos populos erudiri, ut quae revelata non caperent, obumbrata susciperent; et maior Evangelii esset auctoritas, cui tot signis totque miraculis atque mysteriis Veteris Testamenti paginae deservissent.*

7. — δ) **Nec quatenus Incarnatio ad fervoris excitamentum ordinabatur.** — Siquidem, haec morum humanorum conditio est, ut quia primus fervor conceptus non diu perseverat, ideo homines a sanctitate vitae paulatim deficiunt; unde Dominus Noster praenuntiavit quod circa finem mundi *refrigescet caritas multorum*[4]. Ea igitur tempestate venire debuit Christus, qua tepescentem, temporis prolixitate, fidei fervorem excitaret; unde dicitur[5]: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?*

8. — ***Confirmatur.** — Accedit quod adventus Domini in alia quam prima mundi aetate, mundo ipsi varietatis decorem contulit. —*Sicut absurdus est,* ita S. Augustinus[6],*qui iuvenilem tantum aetatem vellet esse in homine, invideret enim ceteris pulchritudinibus, quae ceteris aetatibus suas vices atque ordinem gerunt, sic absurdus est qui in ipso universo genere humano unam aetatem desiderat, nam et ipsum tamquam unus homo suas aetates agit. Nec oportuit divinitus venire Magistrum, cuius imitatione in mores optimos forma-*

1. Tract. XXXI, in Io. — 2. Gal. IV, 4. — 3. Serm. XIII de Pass. — 4. Matth. XXIV, 12. — 5. Luc. XVIII, 8. — 6. L. 83, Quaest., q. 44.

retur, nisi tempore iuventutis. Unde Apostolus[1] *: Sub lege custodiebamur conclusi : itaque lex paedagogus noster fuit in Christo.*

9. — ***Solvitur dubium.** — Si quis autem quaerat quomodo ad salutem pervenire potuerint illi qui ante Christum vixerunt, cum redemptionis beneficium nondum existeret, *respondetur* salutem illos fuisse consecutos per fidem in Christum venturum, qui statim post hominis lapsum coepit praenuntiari, et cuius praevisis meritis homines iustificari coeperunt.

10. — **Difficultates** — **I.** Incarnatio fuit opus summae charitatis, nam S. Paulus ait[2] : *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Sed charitas non tardat subvenire amico indigentiam patienti : *Ne dicas amico tuo : vade et revertere, cras dabo tibi : cum statim possis dare*[3]. Ergo conveniens fuit ut Incarnationis opus non differretur.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Salva personarum conditione et negotiorum opportunitate, *conc.*; secus *nego. Neg. conseq.* et *conseq.* — Ratio tum negotii peragendi, tum personarum in quarum gratiam peragebatur, exigebat ut differretur Incarnationis opus. Negotii quidem peragendi, quia tale erat, quo ad summam perfectionem adduceretur natura humana : perfectum vero tempore subsequitur imperfectum ; personarum autem in quarum gratiam hoc opus fiebat, quia cum homo ex superbia peccaverat, conveniens erat ut prius infirmitatem suam agnosceret. Unde sicut medicus non statim ab initio aegritudinis medicinam dat infirmo, ne ipsum potius laedat quam sublevet, ita Dominus sapientissime decrevit differendum esse Incarnationis remedium[4].

II. Si a principio humani generis Deus fuisset incarnatus, plures salvi facti fuissent ; plurimi enim Deum ignorantes in suo peccato perierunt. Sed, teste Apostolo[5], *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Ergo convenientius fuisset quod Verbum a principio mundi incarnatum fuisset.

Huic difficultati diversae a diversis responsiones dantur. *Prima*

1. Gal. III, 24. — 2. Eph., II, 5. — 3. Prov. III, 28. — 4. Ad 1^m. — 5. 1 Tim. I, 15.

est ut dicatur quod Christus voluerit venire in hoc loco et in hoc tempore, quando scivit plures futuros esse qui in se crederent erant : quasi in locis et in temporibus quibus non venit, ipse praevidisset omnes futuros esse tales, quales non quidem omnes, sed multi fuerunt quando venit, scilicet incredulos. Ita quidem S. Augustinus responderat dicens[1], *quod tunc voluit Christus hominibus apparere, et apud eos praedicari suam doctrinam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri : his enim temporibus, et his in locis, quibus Evangelium eius non est praedicatum, tales omnes in eius praedicatione futuros esse praesciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali praesentia fuerunt; qui nec in eum, suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt.*

At responsioni isti aperte contradicunt verba Christi[2] : *Vae tibi, Corozaïn, vae tibi Bethsaïda; quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* Unde S. Augustinus illud quod antea dixerat postea reprobavit, dicens[3] : *Numquid possumus dicere, Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse aut credituros non fuisse si fierent, cum ipse Deus attestetur eis quod acturi essent magnae humilitatis poenitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum?* Solvensque hanc dubitationem, sequentia subdit[4] : *Sicut Apostolus ait[5] : Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei ; qui his quos praevidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subvenit, aliis autem non subvenit, de quibus in sua praedestinatione occulte quidem, sed aliud iuste iudicavit : itaque misericordiam eius in his qui liberantur, et veritatem in his qui puniuntur sine dubitatione credamus*[6].

Igitur ad aliam responsionem, quae scripturalis est et unica, confugiendum est, qua misericordiae divinae adscribitur eorum qui per Christum salvantur praedestinatio. Haec autem his verbis innuitur[7] : *Miserebor cuius misereor, et misericordiam praestabo cuius miserebor;* vel, ut habetur[8] : *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.* Quo in loco tria distingui possunt :

1. Lib. de sex Quaest. Pagan., Epist. 102, Quaest. 2. — 2. Matth., XI, 21. — 3. Lib. de Persever., cap. 9. — 4. Cap. 11. — 5. Rom., IX. — 6. Cf. L. DE PRAED. SS. c. 9. — 7. Rom., IX, 15. — 8. Exod. XXXIII, 19.

praedestinatio, vocatio et iustificatio, glorificatio; quasi dicatur: Cuius misereor, illum praedestinando, illius quoque miserebor, illum iustificando; illi denique gloriam praestabo, cuius misertus fuero.

Ubi theologum cavere magnopere oportet quominus iustificationis causam assignet aut merita praeexistentia in altera vita, ut fecit Origenes, aut aliqua merita praeexistentia in hac vita. Alterius enim vitae merita chimaera sunt; praesentis autem vitae merita, etiam subsequentia gratiam, sunt praedestinationis effectus, non causa; sicut enim in rebus naturalibus non solum Deus causat formas, sed etiam motus formarum, ita praedestinatio se extendit non solum ad infusionem gratiae, sed etiam ad usum eiusdem.

Quocirca ultimam dubii solutionem subdit Apostolus: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*[1]; quasi dicat nemini praedestinationem deberi propter aliquam eius voluntatem aut actionem, licet et haec in praedestinationis executione locum habeat, sed praedestinationis causa est Dei misericordia[2].

ARTICULUS VI. — *Utrum Incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi.*

1. — Duo Christi adventus. — Duos Christi adventus catholica veritas confitetur: unum misericordiae, alterum iudicii: per illum remittuntur peccata, per istum iudicatur mundus. Et hunc quidem in fine mundi futurum esse postulat ipsa iudicii ratio; quocirca de illo dubitatur, de quo testatur Ioannes[3]: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. — Duo*, ait S. Ioannes Chrysostomus[4], *sunt Christi adventus: primus quidem ut remittat peccata, secundus ut iudicet mundum; si enim hoc non fecisset, universi simul perditi essent, omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*[5].

1. Rom., IX, 16. — 2. Ad 3[m]. Cf. S. Thom., Comment. in Ep. S. Pauli in h. l. — 3. III, 17. — 4. Homil. XXVII in Io. — 5. Ad 3[m].

2. — PROP. — **Non fuit conveniens ut Incarnatio differretur usque ad finem mundi.**

Prob. Id quod α) futurum erat causa efficiens perfectionis humanae naturae, β) quod destinabatur ad renovandam notitiam reverentiamque Dei, necnon morum honestatem, γ) quod ordinabatur ad salutem hominum, non debuit differri usque in finem mundi. Atqui tale erat opus Incarnationis. Ergo conveniens non fuit ut usque ad finem mundi differretur.

3. — **Exponitur argum.** — α) **Incarnatio, in quantum futura erat causa efficiens perfectionis humanae naturae, non debuit differri usque ad finem mundi.** — Revera, iam dictum est imperfectum, uno modo, tempore praecedere perfectum, proindeque conveniens fuisse ut natura humana non statim ad perfectionem sui perveniret, sed paulatim tantum perduceretur ad sui veluti ἀπόγαιον in unione cum Verbo, nam in Christo *complacuit omnem plenitudinem* (divinitatis) *inhabitare*[1]; alio autem modo perfectum, viceversa, praecedere debet imperfectum, tum tempore, tum natura, utpote quo imperfectum ad suam perfectionem sit perducendum. Atqui ipsum Verbum incarnatum est perfectionis humanae naturae causa efficiens. Ergo conveniens fuit ut, sicut naturam humanam dignitate praecedit, ita illam tempore quoque praecederet, per hoc quod non in fine mundi, sed in medio annorum Incarnatio sit peracta. Unde ait S. Ioannes[2]: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* — ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος.

Ubi plenitudo sumitur non modo quae sit *sufficiens* ad actus meritorios et excellentes faciendos, sicut illa quae S. Stephano data est, ubi dicitur[3]: *Stephanus autem, plenus gratia et fortitudine,* etc.; nec solum *redundans*, id est plenitudinem omnium sanctorum superans, qualis fuit plenitudo B. Mariae Virginis, cui dictum est[4]: *Ave gratia plena*, sed plenitudo significatur *efficientiae* et *effluentiae*, qualis decebat auctorem omnis gratiae.

De huius igitur plenitudine totum genus humanum accepit:

1. Col. I, 19. — 2. C. I. 16. — 3. Act. VI, 8. — 4. Luc., I, 28.

quae particula *de* non modo denotat originalem causam, sicut cum dicitur radius exire de sole, sed etiam consubstantialitatem quamdam, quandoquidem idem Spiritus Sanctus quo plenus erat Christus, est et in nobis : dicitur enim[1] : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem,* licet in nobis recipiatur solum secundum partialitatem seu *participative;* nam de Christo dicitur[2] : *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum;* de nobis vero[3] : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

Gratiam quoque pro gratia accepimus, id est Novum Testamentum loco Veteris, ut explicat Chrysostomus : non enim parum fuit quod hominibus idololatris data fuerit lex : unde gratiae locum pro ipsis lex tenuit, quod ostendit Paulus aiens[4] : *Quid amplius Iudaeo, aut quae utilitas circumcisionis ? Multum quidem per omnem modum. Primo, quia credita sunt eis eloquia Dei.* Attamen Novae Legis gratia Legis Veteris perfectionem longe superat, *nihil enim ad perfectum adduxit lex*[5] *;* unde Novae Legis gratia ante finem mundi elucescere debuit, qua homines ad summam perfectionem adducerentur[6].

4. — Corollarium. — Ex hac ratione deduci etiam debet perfectionem gloriae debuisse differri usque ad finem mundi : quandoquidem rationem termini habet, ad quem natura humana ultimo perducenda est per Verbum Incarnatum.

5. — β) **Nec in quantum ordinabatur ad renovandam notitiam Dei, morumque honestatem.** — Ex hoc capite evidens est Incarnationem usque ad finem mundi differri non debuisse, quo tempore, Incarnatione non existente, Dei notitia morumque honestas totaliter forsan abolitae fuissent in terris. *In potestate dantis est,* dicitur a quodam pio auctore[7], *quando vel quantum velit misereri : venit ergo quando et subveniri debere scivit et gratum futurum beneficium : cum enim languore quodam humani generis obsolescere coepisset cognitio Dei inter homines, et mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renovatae notitiae Dei et morum ; et cum adhuc*

1. Act. II, 17. — 2. Io. III, 34. — 3. Eph., IV, 7. — 4. Rom., III. 1, 2. — 5. Heb., VII, 19. — 6. Cf. S. Thom., Comment. in Ep. S. Pauli in h. l. — 7. L. de Quaest. Vet et Nov. Test., q. 83, inter Opp. Aug.

reverentia segnior esset, postea per Moysem legem litteris dedit; et quia eam gentes spreverunt non se subiicientes ei, neque hi qui acceperunt eam servaverunt, motus misericordia Dominus misit Filium suum, qui data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos iustificatos offerret.

6. — γ) **Nec in quantum ordinabatur ad salutem hominum.** — Siquidem, per hoc quod Verbi Incarnatio non fuit dilata usque ad finem mundi, virtus divina magis manifestatur, cum pluribus modis homines salvaverit, scilicet, non solum per fidem futuri et praesentis, sed etiam per fidem praeteriti. — Item decuit ut Incarnatio non modo per anxia suspiria prophetarum celebraretur, ut cum Isaias dicit[1] : *Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum*, et Amos[2] : *Comprehendet arator messem, et calcator uvae mittentem semen, et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt;* nec tantum per turbarum exultationes, conclamantium[3] : *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis;* sed etiam per gratiarum actiones eorum qui postea venerunt.

7. — **Scholion.** — Quo tempore peragendum fuerit Incarnationis mysterium, praenuntiatum refertur a propheta Habacuc his verbis[4] : *Domine, audivi auditionem tuam et timui. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* Quod apud Septuaginta ita legitur : Κύριε εἰσακήκοα τὴν ἀκοήν σου, καὶ ἐφοβήθην· κατενόησα τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην· ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ· ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ· ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου, ἐν ὀργῇ ἐλέους μνησθήσῃ. Medium autem hic positum potest intelligi sive de medio mundi tempore, sive de ultima inter septuaginta hebdomadas a Daniele praenuntiatas, sive de medio annorum vitae humanae ordinariae, id est anno trigesimo quarto vel circiter vitae Christi, quo tempore mysterium redemptionis impletum est[5]. Quod autem ibi sit sermo de Incarnatione, docent Augustinus[6], Hieronymus[7] aliique.

1. C. XLV, 8. — 2. C. IX, 13. — 3. Matth., XXI q. — 4. C. III, 2. — 5. Cf. Cornel. a Lapide, h. l. — 6. L. XVIII de Civ. Dei, c. 32. — 7. Sup. Hab.

Revera, ly *in medio annorum* hic non significat nisi intra annos, sive intra temporis plenitudinem, sicut quando dicitur[1] : *Fugite de medio Babylonis*. Sensus igitur est : ubi venit tempus praefinitum a Deo, quod quidem fuit in ultima aetate, scilicet in senectute aut vespere mundi, iuxta illud[2] : *Senectus mea in misericordia uberi*, id est in novissimo, ut Glossa interpretatur[3]. Nam, licet tempus Incarnationis possit comparari iuventuti, propter vigorem fervoremque fidei quae per dilectionem operatur, senectuti tamen etiam potest dici simile, propterea quod Christus in ultima mundi aetate venerit, quae est gratiae aetas, cui alia successura non est. Nec contradictio habetur in eo quod Christi adventus modo iuventuti, modo senectuti comparetur : quod quidem licet in corpore simul esse nequeat, potest tamen esse simul in anima, illa propter alacritatem, ista propter gravitatem. Unde ait S. Augustinus[4] : *Non oportuit divinitus venire Magistrum, cuius imitatione humanum genus in mores optimos formaretur, nisi tempore iuventutis*[5].

Quapropter, cavendum sedulo est ne medium hic mathematice sumatur, quasi aequaliter distans ab utroque extremo, quo sensu Virgilius[6] ex oraculis Sybillae Cumaeae, Augusto Caesari, eo tempore quo natus est Christus, adulabatur :

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Caesaris, et nomen fama tot ferre per annos
Tithoni prima, quot abest ab origine Caesar.

Quod autem idem Augustinus[7] ait Christum in sexta humani generis aetate, tamquam in senectute, venisse, intelligendum ita est, ut *prima* aetas porrigatur ab Adam usque ad Noe; *secunda*, a Noe usque ad Abraham; *tertia*, ab Abraham usque ad Moysen; *quarta*, a Moyse usque ad Salomonem ; *quinta*, a Salomone usque ad Christum; *sexta*, denique a Christo usque ad finem mundi[8].

8. — **Difficultas.** — Hic autem obiicitur difficultas non spernenda, tum contra primam rationem allatam a S. Doctore, tum contra ipsam articuli doctrinam. Procedit autem ex hoc quod Incarnatio

1. Hier. LI, 6. — 2. Ps. XCI, 11. — 3. H. l. — 4. L. I de Gen. cont. Man., c. 23. — 5. Ad 1^m. — 6. Georg. III. — 7. Loc. cit. — 8. Parum differt computatio quam habet S. Gregorius M., Homil. XIX in Ev.

Verbi est causa efficiens perfectionis in humana natura, non modo secundum quod est actu, sed etiam secundum quod futura est : revera sancti Veteris Testamenti salvi facti non sunt, nisi per praevisam Christi Incarnationem. Igitur ad hoc ut Incarnatio sit causa perfectionis in humana natura, non est necesse ut iam actu sit, sed sufficit ut Deus ad illam respectum habeat : et proinde ruit ratio allata ad ostendendum quod Incarnatio non debuerit differri usque ad finem mundi, scilicet eo quod perfectum, ut est causa efficiens, debet actu praecedere imperfectum.

Sed si quis recte consideret differentiam oeconomiae salutis ante et post adventum Christi, de facili deprehendet inanem esse difficultatem, solideque stare S. Thomae rationem. Revera, licet salus fuerit obtenta etiam ante adventum Christi, et quidem per eius praevisa merita, attamen non tam efficaciter. Et differentia praecise in hoc consistit quod Incarnatio praevisa salutem operata est modo morali, Incarnatio autem actu peracta illam operatur modo physico. Nam, in Veteri Lege, gratia fuit quidem collata, sed sacramentis fidei protestativis Deum moraliter tantum inducentibus ad gratiam conferendam ; in Nova autem Lege gratia confertur, operantibus sacramentorum ritibus tanquam Christi instrumentis. Qui tamen ritus non potuissent, de lege Dei ordinaria, gratiam ita causare, nisi iam advenisset Christus, qui contactu suo consecrasset aquam in baptismate, chrisma in confirmatione, panem in Eucharistia, et qui cetera sacramenta immediate instituisset, eis conferendo vim gratiam causandi, non morali tantum ratione, sed physico influxu, ut sic copiosissima esset a Christo allata redemptio[1].

Unde *argumento* sic in forma proposito : Illud usque ad finem mundi potuit differri, quod potuit esse causa perfectionis humanae naturae, etiam secundum quod in apprehensione mentis constitit ; atqui talis fuit Incarnatio Verbi, ergo Incarnatio Verbi potuit differri usque ad finem mundi, — *resp. dist. mai.* Quod potuit esse causa perfectionis tum physice tum moraliter, *conc.* ; moraliter tantum, *nego. Dist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.*

1. Cf. 3., Quaest. LXII, art. 6.

DISSERTATIO SPECIALIS

DE INCARNATIONIS EXISTENTIA

PROLOGUS

Habito ex praecedenti quaestione quod convenientissime factum est ut Deus carnem assumeret, iuvat factum ipsum retrorsum inspicere, ut perpendantur momenta quibus illius existentia innititur. Quod quidem huius loci non esset, cum omnis scientia supponit suum obiectum, unde hoc probare proprie spectat ad propedeuticam, seu ad illam theologiae partem quae praeparatoria est, et in qua fides christiana apologetice defenditur; attamen hic omnino praetermittendum non est; ita ut si cui iam ista lecta fuerint, magis adhuc suaderi possint; ei autem qui nunquam eis mentem applicuerit, penitus extranea non maneant.

Factum enim Incarnationis fidei nostrae fundamentum constituit[1], quod tum Iudaei tum infideles quicumque infringere unquam conati sunt: illis quidem alium adhuc Messiam frustra expectantibus, istis vero nec eum qui venit recipientibus nec de venturo curantibus. Qui tamen omnes non sunt una via arguendi. Nam licet tum iudaei tum infideles, si quidem nolint apertae veritati contradicere, auctoritatem humanam librorum tum Veteris tum Novi Testamenti agnoscere cogantur, quandoquidem eorum authenticitas et genuinitas argumentis ex ratione deductis ultro vindicantur, tamen Veteris Testamenti paginas fide supernaturali iudaei suscipiunt, imo nobis fideliter transmiserunt, unde paeda-

1. Videsis quod scripsimus: *The Incarnation of our Lord, as being the foundation and the whole substance of Catholic belief.* PROCEEDINGS OF THE FIRST AUSTRALASIAN CATHOLIC CONGRESS, Sydney, 1900, pp. 57, sqq.

gogi nostri ad Christum existunt[1]. Quocirca ex ipsis Veteris Testamenti prophetiis argumentum contra eos invictissimum desumitur, illum qui praenuntiatus est iamdiu advenisse, quandoquidem in Christo omnes istae prophetiae completae sunt.

Infideles vero, hac supernaturali fide privati, si tamen auctoritatem humanam divinorum Librorum agnoscant, mirabili consensione quae est inter utriusque Testamenti libros perciti, supernaturale quoddam in Christo suspicari possunt, et, adiuvante divina gratia per humilem orationem postulata, usque ad fidem in eius divinitatem et ipsi perduci[2].

Huic autem rei magnum afferent adiutorium argumenta tum intrinseca, tum extrinseca, ex Sacris Scripturis generaliter hausta, quibus Christi divinitas insinuatur. *Intrinseca* quidem, ut, exempli gratia, sanctitas vitae in morum honestate, in singulari Dei cultu et amore hominum manifestata, mirabilis doctrina, non humanitus accepta et cum potestate tradita, miracula innumera virtute propria et cum potestate hanc virtutem aliis delegandi patrata. *Extrinseca* vero, scilicet hominum testimonium, Christum uti Deum agnoscentium, maxime vero ipsiusmet Dei testificantis[3] : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quibus accedit praeclarissimum inter omnia miracula ad confirmandam Christi existentiam simul et divinitatem, religionis nempe ab ipso fundatae mirabilis constitutio, mirabilior propagatio, magis adhuc miranda conservatio, iuxta haec Alighierii :

Se 'l mondo si rivolse al cristianesmo,
Diss'io, senza miracoli, quest'uno
E' tal, che gli altri non sono 'l centesmo[4].

Haec autem omnia ita a S. Thoma[5] in compendio traduntur, cuius omnino praeclara verba per integrum hic transcribimus.

Huiusmodi autem veritati, ait, cui ratio humana experimentum non praebet, fidem adhibentes non leviter credunt, quasi indoctas fabulas secuti, ut secunda Petri[6] *dicitur.*

Haec enim divinae Sapientiae secreta, ipsa divina Sapientia, quae

1. Gal. III, 24. — 2. Cf. I. I. C. Gent., c. 2.— 3. Matt., III, 17. — 4. Parad. cant. XXIV, vers. 107, sqq. — 5. L. I. Contra Gent., c. 6. — 6. C. I, 16.

omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quae sui praesentiam et doctrinae et inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea, quae naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quae totius naturae superant facultatem; videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, coelestium corporum mirabili immutatione, et, quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione, ut idiotae et simplices, dono Spiritus Sancti repleti, summam sapientiam et facundiam in instanti consequerentur.

Quibus inspectis, praedictae probationis efficacia, non armorum violentia, non voluptatum promissione, et, quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem, innumerabilis turba non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum, ad fidem christianam convolavit; in qua omnem humanum intellectum excedentia praedicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia quae in mundo sunt haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium assentire et maximum miraculum est, et manifestum divinae inspirationis opus, ut, contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non subito neque casu, sed divina dispositione factum esse manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus multis ante prophetarum praedixit oraculis, quorum libri penes nos in veneratione habentur, utpote nostrae fidei testimonium adhibentes.

Huius quidem confirmationis modus tangitur[1]*: Quae (scilicet humana salus) cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis Spiritus Sancti distributionibus. Haec autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem christianam indicium certissimum est praeteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis mirabilius si, ad credendum tam ardua et operandum tam difficilia et ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus; quamvis non cesset Deus, etiam nostris temporibus, ad confirmationem fidei, per sanctos suos miracula operari.*

Hi vero, qui sectas errorum introduxerunt, processerunt via con-

1. Hebr. II, 3 et 4. Cf. S. August., L. XXII de Civ. Dei. c. 5.

traria, ut patet in Mahumete, qui, carnalium voluptatum promissis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Praecepta etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, quibus in promptu est a carnalibus hominibus obediri. Documenta etiam veritatis non attulit, nisi quae de facili a quolibet mediocriter sapiente, naturali ingenio, cognosci possint; quin potius vera quae docuit multis fabulis et falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solum divinae inspirationi conveniens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quae non potest esse nisi divina, ostendit doctorem veritatis invisibiliter inspiratum; sed dixit se in armorum potentia missum, quae signa etiam latronibus et tyrannis non desunt. Ei etiam non aliqui sapientes in rebus divinis, et de divinis et humanis exercitati, a principio crediderunt, sed homines bestiales in desertis morantes, omnis doctrinae divinae prorsus ignari, per quorum multitudinem alios, armorum violentia, in suam legem coëgit. Nulla etiam divina oracula praecedentium prophetarum ei testimonium perhibent; quin potius quasi omnia Veteris et Novi Testamenti documenta fabulosa narratione depravat, ut patet eius legem inspicienti. Unde astuto consilio libros Veteris et Novi Testament suis sequacibus non reliquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur. Et sic patet, quod eius dictis fidem adhibentes leviter credunt[1].

Porro, duo in hac dissertatione ordinatim trademus; in *primo*, quod quidem pluris faciendum est, Veteris Testamenti prophetiae Messiam respicientes expendentur; in *altero* gentilitatis potiora testimonia Christi divinitati faventia recitabuntur.

1. De martyrio, quod etiam inter signa verae religionis iure recensetur, scite advertit Fr. Hettinger : *Wir setzen das Wesen des christlichen Maryriums nicht in die Todesverachtung allein, sondern zugleich in die Sache, wofür, die Weise, in welcher der Blutzeuge stirbt; jene kann auch anderswo vorkommen, aus einem fanatischen Rausche, selbst aus geistiger Stumpfheit hervorgehen. Dem Martyrer gab das Bekenntniss Spott, Schmerz und Tod, der Abfall Leben, Lohn und Ehre... Gegenüber einer solchen Menge, die durch fast 300 Jahre die Probe bestand, können vereinzelte Erscheinungen sogen. politischer Martyrer und religiöser Schwärmer nicht in Betracht kommen.* Lehrbuch der Fondamental-Theologie, Freiburg im Breisgau, 1888, p. 387.

CAPUT PRIMUM

De Prophetiis Veteris Testamenti

Exposito primo loco generali vaticinio circa adventum Messiae, quod protoevangelium audit, postea tradentur prophetiae messianicae per ordinem quem ipsa praedicamentorum dispositio suaserit

§ I

De Protoevangelio

Primo igitur loco recensendum est celebre illud vaticinium quo homini, post primum lapsum, venturae reparationis beneficium Deus repromisit : quod quidem, licet generalibus conceptum verbis non exprimat distinctam Redemptoris promissionem, tamen probabilius collustrante primi hominis mentem luce divina, includebat claram revelationem alicuius mediatoris Dei ad hominem, qui utriusque naturam in se adunaret. Hoc enim exigebat alta existimatio quam homo de tanto mysterio concipere debebat; hoc quoque postulabat ipsius mysterii ratio, cuius fides saltem implicita ad salutem necessaria erat; hoc denique vindicabat primi hominis conditio, quem utique primum esse decebat non in carnis procreatione tantum, sed etiam in spiritus illustratione, postquam delicti sui veniam obtinuerat, a quo *Sapientia illum eduxerat*[1].

Vaticinii verba desumuntur ex Genesi[2] : *Ait Dominus Deus ad serpentem :... Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius* — וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃

1. Sap. X, 2. — 2. III, 14, 15.

Quod apud Septuaginta ita legitur : καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ, καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. — Contra rationalistas nonnisi mythum philosophicum, et Origenem solam allegoriam hic videntes, retineri oportet constantem fuisse Ecclesiae traditionem narrationem hanc tum de serpentis suggestione, tum de lapsu Adae, tum de Dei locutione, sensu vere historico sumi debere.

Porro, sub nomine serpentis intelligi debet non tam materialis ille serpens, cuius instrumentalitate daemon usus est, quam daemon ipse suggestionis causa : quia licet fuerit serpenti sua poena decreta, naturali illius conditione versa in poenam, nam et homini quoque instrumenta quibus in peccando utitur, saepe in poenam vertuntur, tamen potior poena debita fuit principali agenti, daemoni scilicet eiusque soboli, id est, aliis daemonibus ipsi subiectis, necnon malis hominibus, contra quos infensissimum bellum praedicitur a muliere et eius semine indicendum, in quo bello ipsa daemoni mulier, licet huic ille insidiari conetur, caput contritura praenuntiatur.

Quid vero nomine mulieris eiusque seminis intelligatur, non una omnium interpretum sententia fert. Alii volunt sub nomine mulieris intelligi Ecclesiam, et sub nomine seminis illius, Ecclesiae filios, qui sic in praedicto vaticinio diaboli semini, id est malis hominibus opponuntur, quos tanquam ex diabolo ortos Iesus increpabat[1] : *Vos ex patre diabolo estis.* Quae tamen interpretatio non tam bona est, tum quia non de quocumque bello spirituali hic agitur, sed de exitiali bello; homines autem in Ecclesia constituti, praeterquam quod diabolo non semper bellum indicunt, aliquando ab ipso vincuntur, cum multi sint etiam peccatores, imo et reprobi; et iusti qui diabolum aliquando vincunt, non virtute propria, sed tantum Christi virtute diabolum superant.

Igitur longe probabilior et verior est sententia, qua nomine mulieris, הָאִשָּׁה, intelligitur Beata Virgo Maria, et nomine eius seminis, Christus eius Filius. Ita S. Hieronymus[2] : *Aliud semen*

1. Io., VIII, 44. — 2. Ep. de Viro perf., c. 6.

mulieris nullum accipio, nisi illud quod Apostolus ait factum ex muliere.... Mater itaque Domini Nostri Iesu Christi in illa iam tunc muliere promissa est. Isidorus quoque Pelusiota[1] : *Illud mulieris semen Dominus Noster Iesus est. Nam ipse mulieris semen singulariter ex ea natus est.* Hoc innuere videtur praefixum ה quod graecorum ἡ respondet, et sermonem defigit in una speciali persona : ἡ γυνή, scilicet in muliere specialis excellentiae ; quemadmodum in Ioannis Apocalypsi[2] legitur : *Et draco stetit ante mulierem quae erat paritura,* καὶ ὁ δράκων ἔστηκεν ἐνώπιον τῆς γυναικὸς τῆς μελλούσης τεκεῖν : quasi Deus Evae praevaricatrici opponat Mariam reparatricem. Et bene Christus dicitur mulieris semen, cum natus sit sine viri consortio. — Igitur, inter daemonem eiusque progeniem, ex una parte, et ex altera Deiparam Virginem et Christum, mortales inimicitiae praenuntiantur, illis calcaneo insidiari, ut serpentium mos est, conantibus, his vero hostis antiqui cervicem conterentibus.

Nec praetereunda est diversitas hebraei et graeci textuum a Vulgata latina relate ad pronomen *ipsa*. Siquidem hebraice habetur הוּא, quod forma masculina est, et referri debet ad זֶרַע ; graece quoque habetur αὐτός, quod ad σπέρμα referendum est, concordantia non grammaticali, sed logica ; unde in hisce textibus sensus est, non quod mulier, sed quod mulieris semen sit caput contriturum diaboli ; at huic contrarium non est, quod ipsamet Beatissima Virgo in Vulgata legitur contritura esse caput diaboli, quandoquidem hoc nonnisi per Filium suum perfectura erat.

Quae ita cum sint, nemo est qui non videat quam fideliter huius vaticinii conditionibus respondeant ea quae, inde ab exordio Ecclesiae ad haec usque tempora, de diaboli eiusque sequacium bello in Christum et eius sanctissimam Matrem illato, deque plenissimo horum in illos triumpho historici narrant.

§ II

De Vaticiniis respicientibus Messiae Progenitores.

Inter Messiae progenitores a prophetis annuntiatos, potissime

1. Ep. I, 426. — 2. XII, 4.

recensendi sunt α) Abraham, β) Iacob, γ) David, δ) Achaz, ε) Virgo.

Quod Messias sit α) ex *Abraham* oriundus, saepius praedicitur. Sic[1] : *Faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae.* Hanc autem promissionem firmat Deus[2] : *Num celare potero Abraham quae gesturus sum* (in perditione Sodomae et Gomorrhae) ? *Cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae?* Rursus, post sacrificium Isaac[3] : *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* Tandem, oborta fame super terram, Dominus prohibet Abrahae ne descendat in Aegyptum, addens[4] : *Dabo posteris tuis universas regiones has et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.*

Quibus omnibus locis constanter repromittitur benedictionum spiritualium — de his enim agitur — plenitudo, non uni tantummodo iudaico populo, sed gentibus toto terrarum orbe disseminatis, tribuenda per Abraham, et signanter per excellentissimum quemdam inter eius posteros : dicitur enim : *Benedicentur in semine tuo.*

β) Et quia virtus istius benedictionis maxime in intellectus illuminatione et in voluntatis directione consistit, hinc venturus Christus prophetae Balaam ostenditur, sub nomine stellae et virgae, ubi simul praedicitur ex *Iacob* oriundus. Cum enim a Balac rege Moab propheta vocatus esset ut malediceret Israelitis, loco maledictionis semel atque iterum benedictionem protulit ; et sumpta parabola : *Videbo eum,* inquit[5], *sed non modo ; intuebor illum, sed non prope : orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel.*

γ) Quod autem de familia *David* esset oriundus comprobant verba libri secundi Regum[6], in quibus David volenti domum Domino aedificare, repromittit Nathan propheta amplissimam Dei remunerationem pro eius familia : *Praedicitque tibi Dominus quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui,*

1. Gen. XII, 2, 3. — 2. Ibid., XVIII, 17, 18. — 3. Ibid., XXII, 18. — 4. Ibid., XXVI, 4. — 5. Num., XXIV, 17. — 6. 2, Reg. VII, 11, et sqq.

et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.

δ) At vero quod ex Virgine Messias oriundus foret, evincit sequens celeberrimus Isaiae locus[1]. Obsessa Hierusalem a Rasin rege Syriae et a Phacee rege Israel, Deus dat Achaz, regi Iudae, per manus Isaiae, liberationis promissionem. Signum quod impius Achaz, contra Dei iussum, petere noluerat, exhibetur[2]: *Audite ergo domus David... Ecce virgo concipiet et pariet Filium-* הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן *— et vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.*

Periclitante igitur domo David, Achaz tanquam signum futurae liberationis Hierusalem nuncium accipit venturi Messiae qui sessurus est rex in solio David. In hoc autem vis huius probationis reponitur, quod si possibile est virginem parere, a fortiori fieri poterit ut Hierusalem a *duabus caudis titionum fumigantium*[3] liberetur.

Obiicienti quod signum huiusmodi non fuerit factum praesente ipso Achaz, respondetur satis esse ut detur praesente domo David, in cuius gratiam haec liberatio promittebatur ; unde dictum est[4] : *Audite ergo domus David.*

Porro genealogia Christi ad amussim respondet isti parentum seriei et in B. Virgine Maria completur. *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob... Ioatham autem genuit Achaz... Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*[5]; unde addit Evangelista[6] : *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit et pariet Filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus.*

Praeclarus quoque est Isaiae locus, ubi ait[7] : *Egredietur virga*

1. C. VII. — 2. 13-16. — 3. Vers. 4. — 4. Vers. 13. — 5. Matth., 1. — 6. Vers. 22-23. — 7. XI, 1.

de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Quae verba interpretans S. Leo Magnus[1] dicit: *In qua virga non dubie Beata Virgo Maria praedicta est, quae de Iesse et David stirpe progenita et Spiritu Sancto foecundata, novum florem carnis humanae utero quidem materno, sed partu est enixa virgineo.* Et S. Ambrosius[2]: *Radix enim* (est) *familia Iudaeorum, virga Maria, flos Mariae Christus.* Sanctus quoque Hieronymus[3]: *Virgam et florem de radice Iesse ipsum Dominum Iudaei interpretantur, quod scilicet in virga, regnantis potentia, in flore, pulchritudo monstretur. Nos autem virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligamus, quae nullum habuit sibi fruticem cohaerentem.... et florem Dominum Salvatorem.*

Signanter vero prophetiam in favorem domus David a Nathan prolatam Christo litteraliter congruere, qui in throno David sessurus erat, illumque usque in sempiternum stabiliturus, ostendit Paulus[4] qui eidem applicat verba superius relata: *Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium,* et confirmat S. Petrus dicens[5]: *Propheta igitur cum esset* (David) *et sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, providens locutus est de resurrectione Christi,* etc.

§ III.

De Vaticiniis respicientibus Messiae attributa.

Licet plura sint attributa, sub quibus Messias venturus praenuntiatus est, tamen praecipuum illud est, quo praedicitur venturus tanquam *propheta.* Cum populus israeliticus in Sinai Deum postulasset ut voluntatem suam tam terrifico apparatu ultra non manifestaret, Moyses spiritu Dei actus, praenuntiavit venturum esse post se Messiam, tanquam prophetam magnum, ipsius Moysis dotibus exornatum: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*[6].

Quibus verbis Deus populo hebraico pollicetur se missurum esse prophetam (נָבִיא), id est hominem a Deo edoctum atque

1. Serm. 4 in Nat. Dom. — 2. De Ben. Patriarch. CIV, 19. — 3. L. IV in cap. 11, Isaiae. — 4. Hebr., I, 5. — 5. Act. II, 30, 31. — 6. Deut. XVIII, 15.

illuminatum, qui suam voluntatem sub ipsius Dei ductu manifestaturus sit. Ubi non de prophetis in genere, sed de singulari quodam propheta est sermo ; nec de Iosue quidem, ut aliqui volunt, ipse namque antea iam suscitatus fuerat[1], sed de specialissimo quodam propheta, cui caeteri prophetae testimonium essent perhibituri[2]. Haec autem de propheta venturo persuasio hebraeorum et samaritanorum mentibus alte insita erat, ut patet ex hoc[3] : *Dicit ei mulier, scio quia Messias venit qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.*

Porro, quod Dominus Noster propheta fuerit, evidentissime patet ex hoc[4]: *Illi ergo homines, cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum,* ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. Pariter populi dicebant[5] : *Hic est Iesus propheta,* οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ προφήτης. Rursus legimus[6] : *Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones eius, dicebant : Hic est vere propheta,* οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης. Denique praedictum Deuteronomii vaticinium de semetipso fuisse prolatum, Iesus ipse testatus est[7] : *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Unde Petrus hanc qualitatem uni Christo κατ' ἐξοχήν attribuit[8] glossam addens[9] : *Omnis anima quae non audierit prophetam illum exterminabitur de plebe.*

§ IV.

De Vaticiniis circa Messiae actiones et passiones.

Circa haec duo praedicamenta, sedulo advertendum est ita illa ad invicem interseri, ut vix de Christi gestis gloriosis sermo incidat, quin et eius passio et mors commemorentur, et viceversa dolorum eius praedictionem triumphus excipiat. Ex quo efficaciter refelluntur Iudaei, qui prophetiarum vim ad Christum pertinentium eludere haud valentes, duos comminiscuntur futuros esse

1. Num. XXVII, 18, 23. — 2. Act. X, 43. — 3. Io., IV, 25. — 4. Ibid., VI, 14. — 5. Matth., XXI, 11. — 6. Io., VII, 40. — 7. Ibid., V, 46. — 8. Act. III, 22. — 9. Vers. 23.

Messias : unum in carne passibili pauperem et humilem, alium in gloria potentem et divitem. Et illum quidem iam advenisse ultro concedunt, cum prophetiae ad dolorem spectantes in ipso sint verificatae : hunc autem adhuc venturum expectant, qui regnum Israel restituturus sit. Quos tamen ingens deceptio fallit ; nam et in prophetiis quae Christum venturum exhibent, gaudium cum dolore constanter miscetur, gloria cum ignominia, opulentia cum paupertate ; eiusque in terris vita, licet ut plurimum passionibus repleatur, tamen summis etiam triumphis signata manet, sicut cernere est in Magorum adoratione, in gloriosa transfiguratione, in ingressu hierosolymitano, etc.

Qua de re duo tantum loca seligimus, quibus Messiae futurae actiones et passiones aperte praenuntiantur. Primus locus est apud Isaiam[1] : *Requiescet super eum Spiritus Domini ; spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae, et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius... In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum eius gloriosum.*

Alter locus est apud eumdem Isaiam[2] : *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti : non est species ei, neque decor ; et vidimus eum et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum... Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra... Quia abscissus est de terra viventium ; propter scelus populi mei percussi eum. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate : si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur.*

Porro, ex simplici conspectu ad Novi Foederis paginas, satis

1. C. CXI, 2, sqq. — 2. C. CLIII, 2, sqq.

evincitur quam optime ista omnia quadrent cum iis quae de Christo Domino historici testantur.

§ V.

De Vaticiniis respicientibus Messiae locum originis.

A prophetis Messias perhibetur α) in civitate Bethlehem oriundus, β) commoraturus vero in finibus Galilaeae, γ) moriturus tandem Hierosolymis.

Primum legimus apud Michaeam[1] : *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis... Et erit iste pax.* Talem autem fuisse traditionem iudaicam constat ex Magorum historia[2], necnon ex hoc Ioannis[3] : *Nonne Scriptura dicit quia ex semine David et de Bethlehem castello ubi erat David, venit Christus?* Hoc autem factum esse Evangelistae testantur : *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda*[4], etc.

Secundum ita tradit Isaias[5] : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali... Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis... Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum.* De tribubus Zabulon et Nephthali, quae in Galilaea habitabant, specialius hic agitur, eo quod prae caeteris Palestinae tribubus durius erant tractandae, postea vero maiori honore et laetitia donandae, propter praedicationem et miracula Christi et apostolorum. Nazareth autem erat in Galilaea inferiori; unde cum Christus, relicta Nazareth, venisset et habitasset in finibus Zabulon et Nephthali, dicit Matthaeus[6] : *Ut adimpleretur quod dictum est per*

1. C. V. 2, 5. — 2. Matth. II. — 3. C. VII, 42. — 4. Matth., II, 1. — 5. C. IX, 1, sqq. — 6. C. IV, 14, 15.

Isaiam prophetam : Terra Zabulon et terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilaea gentium ; populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam.

Tertium apud Zachariam[1] reperitur : *Effundam super domum David, et super habitatores Hierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum*, etc. Atqui historia teste, Christus Hierosolymis occisus est, quod ipsemet quidem subobscure praenuntiaverat[2] : *Hierusalem, Hierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.*

§ VI.

De Vaticiniis respicientibus tempus adventus Messiae.

In hac, quae potior est huius disquisitionis parte, cum in ea concludatur ex professo tempus in vaticiniis praefixum pro Messiae adventu iamdudum fuisse elapsum, triplicis generis testimonia proferemus, sic digesta, ut *primo* loco adducamus Iacob vaticinium Iudae filio suo factum ; *secundo* loco celeberrimum Danielis de septuaginta hebdomadibus vaticinium ; *tertio* demum loco vaticinia trium ultimorum Veteris Testamenti prophetarum, scilicet Aggaei, Zachariae et Malachiae.

1. — Vaticinium Iacob. — Iacob mox e vita decessurus, Iudam filium suum alloquens, primo generali modo annuntiat gloriam, illi, prae aliis eius fratribus, obventuram, his verbis[3] : *Iuda, te laudabunt fratres tui. Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis, Iuda : ad praedam, fili mi, ascendisti ; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena, quis suscitabit eum?* Moxque huic, veluti introductorio discursui, succedunt explicita promissionis verba[4] : *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* — לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים

1. C. XII, 10. — 2. Matth., XXIII, 37. — 3. Gen., XLIX, 8, 9. — 4. Vers. 10.

Huius vaticinii duplex sensus esse potest, secundum quod coniunctio *donec* sumitur aut in sensu cessationis, aut in sensu continuationis. In sensu cessationis sicut cum legitur[1] : (Isaac) *ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est;* et rursus[2] : (Filii Israel) *crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum;* — in sensu vero continuationis, sicut in isto[3]: *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquae super terram;* et rursus[4] : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* et iterum[5] : *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.*

Utraque sententia suos habet patronos. Secundae sententiae patroni, quos inter Caietanus, Huetius aliique, ita dividunt coniunctionem עַד כִּי, ut sensum faciant : *Non auferetur sceptrum de Iuda in aeternum, quando venerit*, etc.; quasi regnum iudaicum mutatum in spirituale tempore Christi, nunquam desiturum sit, quo sensu vaticinium istud omni vi careret ad designandum tempus adventus Messiae.

Sed longe probabilior et communior est eorum sententia, qui hanc coniunctionem in sensu cessationis ita intelligunt, ut inibi significatam accipiant determinationem temporis adventus Messiae, ut scilicet Messias tunc venturus foret, quando sceptrum de Iuda ablatum fuisset. Quae quidem erat intima atque communis ex hoc loco persuasio apud Iudaeos, ut constat ex paraphrasi Chaldaica, ex interpretatione Rabbi-Salomon, etc.; ita quod deficiente sceptro in Iuda, quidam Herodem, quidam Ioannem Baptistam, quidam Vespasianum, Messiam esse putaverint. Insuper, accentus *athnah* (֑), qui immediate ante hanc coniunctionem positum reperitur, prohibet quominus particula אַד a כִּי separetur, ita quod sensum continuationis faciat.

Itaque, cum iamdiu tribus iudaica regibus et regno orbata ucrit, immo tota Iudaeorum natio, eversa Hierosolyma temploque igni consumpto, exlorris et profuga iamdiu fuerit super terram, hinc concludere fas est Messiam iam advenisse, frustraque alium venturum expectari. Quam autem accurate ista subversio fuerit

1. Gen., XXVI, 13. — 2. Iudic. IV, 24. — 3. Gen., VIII, 7. — 4. Ps., CIX, 1. — 5. Matth., I, 25.

praenuntiata, patet; nam in Osee habetur[1] : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari et sine ephod, et sine teraphim.* Et rursus[2] : *Sic conteram populum istum et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli quod non potes, ultra instaurari.*

Praestat modo sensum singularum vocum huius prophetiae aperire.

Sceptrum, שֵׁבֶט, significat regiae sive autonomae potestatis insigne, aut, secundum alios, tribum seu formam tribulem, deoque aut designat seriem regum a quibus populus iudaicus regendus erat, aut formam politicam in tribu Iuda.

Contendunt aliqui ex Iudaeis, *schevet* hic significare *virgam afflictionis*, sicut quando dicitur[3] : *Reges eos in virga ferrea* תִּרְעֵם בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל. Perperam tamen; quia licet aeque significet utrumque, in casu tamen hunc non esse sensum ostenditur α) ex eo quod Iacob fausta ominabatur; β) ex facto quod a David usque ad Sedeciam (500 an.), et pariter post captivitatem babylonicam usque ad Herodem, tribus Iuda non gemuerit sub virga afflictionis, sed suis steterit legibus.

לֹא־יָסוּר falso a quibusdam vertitur *non accedet*; nam *mem* praefixum *Iudae* ablationem designat; unde proprie significat *non auferetur*, seu *non recedet*.

De Iuda, מִיהוּדָה, solam tribum Iudae significat, cum soli Iudae et eius propagini haec benedictio detur.

Et dux de foemore eius, וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו, litteraliter : *et baculus imperii de inter pedes eius;* ubi allusio fit ad morem regum orientalium, qui solebant sceptrum suum valde longum inter pedes collocare dum throno insiderent.

Donec veniat qui mittendus est, שִׁילֹה, si quidem haec debeat esse propria huius vocis lectio, nomen proprium Messiae est, ut constat ex traditione iudaeorum. Revera, in thalmude babylonico[4] quaerenti : *Quodnam est nomen Messiae*, respondetur : *Schiloh est nomen eius, sicut dictum est*[5] *: donec veniat Schiloh.* De huius vocis derivatione magna est inter eruditos linguae hebraicae contentio :

1. C. III, 4. — 2. Hier., XIX, 11. — 3. Ps., II, 9.— 4. Tract. Sanhedr, f. 15. — 5. Gen., XLIX.

non inconvenit tamen ut dicatur eam esse formam apocopatam, pro שְׁלֵוָה a שָׁלָה *tranquillus fui*, et significat *pacificum*[1]. Et propterea Salomon, cuius nomen שְׁלֹמֹה *pacificum* significat, typus Christi κατ'ἐξοχήν extitit. Notandum vero quod septuaginta interpretes, loco : *donec veniat qui mittendus est*, habent : *Donec veniant quae reposita sunt ei*, ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, scilicet benedictiones promissae[2].

Et ipse erit expectatio gentium, וְלוֹ יְקְהַת עַמִּים, litteraliter : *et ipsi obedientia vel aggregatio populorum*, graece autem : καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν, *et ipse expectatio gentium*, quae propterea ponuntur, ut praerogativae Messiae expressius designentur. Igitur ablationi sceptri et regiae potestatis in Iuda successura repromittuntur et adventus praenuntiati Messiae, et gentium ad illius fidem advocatio.

Quae omnia de nullo alio dici valent, nisi de Iesu Christo, quandoquidem in ipso solo cunctae huius vaticinii partes verificantur. Non enim de Moyse haec dici possunt, licet fuerit dux Israel, nam ante ipsum nullus fuit rex in Iuda, post ipsum vero reges extiterunt potentissimi ; non de Saul, licet aliqui id reputent eo quod ipse fuerit de Silo, nam eius tempore, sceptrum de Iuda non recesserat ; pari ratione, non de David aut Ieroboam aut quocumque alio rege, qui praeterea expectatio gentium dici nequeunt ; sed nec de Cyro, cum post ipsum reges Iudaeorum extiterunt, licet in hoc et ipse Cyrus Christi typus extiterit, quod populum iudaicum liberaverit.

2. — Vaticinium Danielis. — Danielem in oratione loquentem Domino et confitentem peccata sua, Gabriel tetigit in tempore sacrificii vespertini, מִנְחַת־עֶרֶב, dicens ei[3] : α) *Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es : tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.* β) *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur*

1. Cf. I. Corluy. Spicilegium Dogmat. Bibl. T. I, p. 468. Gandavi, 1884. — 2. Cf. Matth., XI, 3. — 3. C. IX, 22, sqq.

iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. γ) *Scito ergo, et animadverte : ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt; et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum.* δ) *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

Ad huius vaticinii intelligentiam, quatuor veluti momenta in eo distinguenda sunt. — α) Imprimis notanda est apta designatio eius qui vaticinium exequitur, *Gabrielis* nempe, ut post sanctos Irenaeum, Hieronymum et Ambrosium, notat Suarez, cuius nomen *Dei fortitudinem* significans, ipsum Messiae nomen congrue praefigurat, iamdiu praedictum in Isaia[1] : אֵל גִּבּוֹר, *fortis Deus*, et qui postea nuntius missus est ad Beatam Virginem[2].

Quod autem dicitur : *egressus est sermo* significat: exiit a Deo praeceptum, ut ego ad te venirem. Quod vero additur: *vir desideriorum es*, חֲמוּדוֹת, potest dupliciter intelligi, scilicet, vel passive, pro : *tu es vir valde amabilis,* ut habet Symmachus, quo sensu Christus appellatur *desiderium collium aeternorum*[3], et Salomon a Nathan[4] vocatur *amabilis Domino*, יְדִידְיָה, *eo quod diligeret eum Dominus;* vel active, scilicet, *cum generis humani salutis desiderio ardeas, ideo venio ad te,* etc.

β) Secunda pars exhibet generali ratione vaticinium quod in tertia parte specialiter determinabitur. Nomine *hebdomadarum* hic intelligendae sunt hebdomades annorum, scilicet spatium 490 annorum, quod constat etiam ex parallelismo in Levitico[5], ubi septem hebdomades annorum numerandae ante iubilaeum, Deo ipso interprete, signant septies septem annos, scilicet spatium quadraginta novem annorum. Et congrue transactis hebdoma-

1. C. IX, 6. — 2. Luc, I, 26. — 3. Gen. XLIX, 26. — 4. Reg., XII, 25. — 5. C. XXV, 8.

dibus septuaginta, iubilaeum Danieli indicitur, cum actu tunc versaretur in contemplatione desolationis Hierosolymae et captivitatis babylonicae a Hieremia praedictarum, quae spatio septuaginta annorum compleri debebant.

Quod autem dicuntur istae hebdomades abbreviatae, non est intelligendum, quasi decretum iam factum Deus mutaverit, sed quod in sua aeternitate ordinaverit Danielis preces, ut de congruo mererentur adventum Christi accelerare.

Quo in loco adsignatur finis adventus Messiae, scilicet — I. ut removeat culpam tum praesentem, tum praeteritam, tum futuram, et consequenter ut adducat iustitiam, de qua dictum est[1]: (Christus) *factus est nobis a Deo iustitia, et sanctificatio et redemptio;* II. ut impleantur figurae illum respicientes[2]: *Omnes enim prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt;* III. ut ungatur sanctus sanctorum, hebraice וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים, litteraliter *sanctitas sanctitatum,* sive *sanctissimus,* iuxta indolem linguae sanctae. Pro quo Septuaginta habent : *Ut laetetur sanctum sanctorum,* quod hebraicae locutionis sensum non aufert, sed potius complet : siquidem Christus prius fuit unctus *oleo laetitiae*[3] in sua Incarnatione, postea vero haec unctio proclamata fuit in eius baptismate.

γ) In tertia parte statuitur distributio huius longioris intervalli in tres distinctas periodos, tum adsignatur tempus quo inchoandae sunt hebdomades ; demum statuitur quomodo istud mysterium sit in ultima hebdomada complendum.

Primo, in tres distinctas periodos totum intervallum septuaginta hebdomadarum dividi ita debet, ut prima periodus ex septem hebdomadibus, secunda ex sexaginta duabus, tertia vero ex una hebdomada constare debeat.

Porro, tempus in quo prima periodus inchoari debeat, statuitur a decreto promulgato circa instaurationem Hierosolymae quoad muros et loca publica, quae aedificatio primis septem hebdomadibus complenda erat, id est quadraginta novem annis, quod factum est. Nec obstat quod Christo dixerint Iudaei[4] : *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc,*

1. 1, Cor., I, 30. — 2. Matth., XI, 13. — 3. Ps., XLIV, 8. — 4. Io., II, 20.

et tu in tribus diebus excitabis illud? — nam, ut notat Eusebius[1], recte a Iosepho alii tres anni adiunguntur, quibus ornamenta templi fuerant absolvenda. Cum vero quatuor decreta emissa fuerint ad restaurationem Hierusalem respectum habentia, nempe Cyri[2], Darii Histaspis filii[3], primum Artaxerxis Longimani[4], et secundum eiusdem[5], probabilius hic videtur initium hebdomadarum sumi debere a primo decreto Artaxerxis Longimani, anno septimo regni eius, id est temporis quo a morte Xerxis patris sui solus regnare coepit. Annus vero regni Artaxerxis septimus est 457 ante aeram nostram ; cui anno si adiungantur septem et sexaginta duae hebdomades annorum, id est anni 483, perducimur ad annum vigesimum sextum aerae nostrae, et decimum quintum imperii Tiberii Caesaris, quo anno Christus refertur baptizatus[6]. Si autem ponatur mors Christi evenisse anno vigesimo nono aerae nostrae, adamussim quadrat cum vaticinio Danielis, dicentis quod in dimidio hebdomadis defectura sint hostia et sacrificium[7]. Dicuntur autem platea et muri aedificari in angustia temporum, quia aut relative brevissimo tempore ista aedificatio completa est, aut hebraei tunc temporis multis angustiis ab hostibus premebantur.

γ) Igitur media ultima hebdomada locum habere debent Christi occisio et confirmatio pacti בְּרִית, necnon cessatio sacrificii ritu mosaico peragi soliti, ubi tamen de abrogatione legali et iuridica, non vero de abrogatione actuali hic est sermo, quia, ut ait S. Hieronymus, *quidquid in templo postea factum est, non fuit sacrificium Dei, sed cultus diaboli.*

Quod autem additur : *Et non erit eius populus qui eum negaturus est,* paraphrasis est pro hebraico וְאֵין לוֹ, litteraliter : *et non ipsi ;* cuius sensus est quod aut non sibi nec sui causa mortem sit perpessurus, aut non amplius sint extitura ea quae ad Christum pertinent, scilicet civitas sancta, sanctuarium, et maxime populus iudaicus[8]. Unde dicitur[9] : *Voca nomen eius non populus meus, quia*

1. Demonst. Evang., I. VIII, p. 414, Ed. Migne. — 2. 1 Esd., I, 2, sqq. — 3. Ibid., VI, 1-12. — 4. Ibid., VII, VIII. — 5. 2. Esd. II, 1-8. — 6. Luc, III, 1. — 7. Videsis de hac quaestione Corluy. S. I. Spic. Dog. bibl. T. I, p. 498, Gandavi 1884. — 8. Videsis Corluy. Ibid., p. 482. — 9. Os., I, 9.

vos non populus meus, et ego non ero vester. Sed et in tanti criminis poenam, populus romanus sub duce suo Tito, civitatem templumque destruet : in quo summa erit civitatis populique ruina.

Ultimo praedicitur *abominatio desolationis* oritura, sive ex seditiosis quibusdam iudaeis qui se zelotas appellantes, templo tanquam arce occupato, rapinis et caedibus in concives grassaturi erant, sive ex romanorum exercitu, vexilla Hierosolymis circumlaturo repraesentantia idolorum simulacra. His ergo ita stantibus, luce clarius constat omnia ista adamussim collineare cum iis quae de Christo Domino historia evenisse narrat.

3. — Vaticinia trium ultimorum prophetarum. — Ultimi tres prophetae ordine temporis fuerunt Aggaeus, Zacharias et Malachias, post quos, Hieronymus testatur[1] se *nullos alios prophetas usque ad Ioannem* (vidisse). *Voluit nempe Deus,* pergit ille, *ista fame verbi, ut prophetae loquuntur, appetentiores Messiae facere Iudaeos, qui prophetas omnes miraculis esset superaturus.*

A. — Vaticinium Aggaei. — Aggaeus propheta, cuius nomen *festivum* significat, cum consolari vellet iudaeorum seniores qui, a captivitate babylonica reduces, querebantur quod secundi templi gloria non aequaret gloriam templi salomonici, cuius magnificentiam recordabantur, sic in Dei nomine vaticinatur[2] : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes ; et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria... Meum est argentum, et meum est aurum... Magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae... et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Messianicum esse hoc vaticinium accipimus ex Paulo qui eo utitur[3], necnon ex ratione allata de gloria secundi templi, quae videlicet non ex auri aut argenti copia proventura sit, sed ex praesentia *desiderati gentium*, quod et hebraice ita habetur : וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל הַגּוֹיִם. Equidem Septuaginta habent : ἥξει ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν : *venient electa cunctarum gentium*, sed nostro argumento nihil inde detrahitur ; nam, ut observat S. Augustinus[4],

1. Comment. XIII, in Is. c. 49. — 2. C. II, 7, sqq. — 3. Hebr. XII, 26. — 4. L. XVIII de Civ. Dei, C. 45.

Septuaginta interpretes alium sensum magis corpori quam capiti, hoc est magis Ecclesiae quam Christo convenientem prophetica auctoritate dixerunt: Venient quae electa sunt Domini de cunctis gentibus, id est homines, de quibus ipse Iesus in Evangelio[1]*: Multi, inquit, vocati, pauci vero electi. Talibus enim electis gentium domus Dei aedificatur per Testamentum Novum lapidibus vivis, longe gloriosior quam templum illud fuit, quod a rege Salomone constructum est, et post captivitatem instauratum.*

At secundum templum gloriam prioris nunquam exaequavit in auro et argento; immo ipsi defuerunt prioris templi insigniores gloriae, arca scilicet Foederis cum propitiatorio, Urim et Thummim, seu rationali iudicii; quinimmo iamdiu eversum est; quapropter non alia eius gloriae causa valet assignari, quam quod *Desideratus cunctis gentibus* iampridem illudmet praesentia sua cohonestaverit.

Quando autem motae fuerint omnes gentes, indicat S. Augustinus[2]: *Movit enim coelum angelorum et siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram ingenti miraculo de ipso Virginis partu, et tot aliis quae hunc sunt consecuta. Movit mare et aridam, cum et in insulis et in orbe toto Christus annunciatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem.*

B. — Vaticinium Zachariae. — Zacharias, cuius nomen *memoriam Domini* significat, Aggaei aequalis, totus est in cohortando populum iudaicum ad templi aedificationem et ad annuntiandum Incarnationis mysterium. Hic enim vitam, passionemque Christi tam accurate praedicit, ut potius evangelista quam propheta fuisse videatur. Qui, postquam generaliter praenuntiavit venturum Messiam his verbis[3]: *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem,* mox determinat, quamquam paulisper subobscure, tempus Christi adventus futurum esse post successionem regnorum, α) Assyriorum et Chaldaeorum quae sub specie equorum ruforum designantur, β) Persarum et Medorum, sub specie equorum nigrorum, γ) Graecorum sub specie equorum alborum, δ) Romanorum sub specie equorum variorum et fortium[4], quorum tem-

1. Matth. XXII, 14. — 2. L. XVIII de Civ. Dei, c. 35. — 3. C. III, 8. — 4. C. VI, 2. sqq.

pore Christus venturus praenuntiatur[1] : *Ecce vir, Oriens, nomen eius.*

C. — **Vaticinium Malachiae.** — Ultimus prophetarum, Malachias, cuius nomen significat *nuntium* sive *angelum*, qui quinto vixit ante Christum saeculo, templo iam extructo, corruptelas vehementer reprehendit, populumque hortatur ad legem Moysi constanter observandam, usquedum adveniat summus propheta Christus, cuius praecursor veniet in *Spiritu et virtute Eliae*[2]. Quocirca, cum dixisset[3] : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae et sanitas in pennis eius*, statim subdit[4] : *Mementote legis Moysis servi mei;* et[5] : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam... et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.*

Igitur Malachias propheta tempus adventus Messiae determinandum fore praenuntiat ex eo quod veteri sacrificio novum sacrificium substituendum sit, quod veteri praestet tum universalitate temporis et loci quibus offeretur, tum maxime sui per totum orbem et omnia tempora summa simplicitate et excellentia ; ideoque dicit Deum non amplius suscepturum panem pollutum et hostias coecas et mancas sacerdotum : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*[6]. — כִּי מִמִּזְרַח שֶׁמֶשׁ וְעַד־מְבוֹאוֹ גָּדוֹל שְׁמִי בַּגּוֹיִם וּבְכָל־מָקוֹם מֻקְטָר מֻגָּשׁ לִשְׁמִי וּמִנְחָה טְהוֹרָה. Notandum est hanc vocem מִנְחָה (minchah). derivatam a מָנַח, *donavit, dono, munere affecit*, significare *munus, donum* et *oblationem*, tam de munere profano, quam de sacro frumentaceo factam. Unde Rabbi Salomon ait[7] omne quod venit ex proventu frumenti in genere id *minchah* dici : et quia vespere offerebatur, hinc vespertinum etiam tempus *minchah* vocatum est.

Postea, Messiae adventum cito adfuturum propheta describit, tanquam adventum dominatoris et angeli testamenti, cuius tamen

1. Vers. 12. — 2. Luc, 1, 17. — 3. C. IV, 2. — 4. Vers. 4. — 5. Vers. 5, 6. — 6. C. I, 10, 11. — 7. In Levit., XXIV, 9.

viam alius angelus, praecursor nempe, praeparabit : ille autem purgationem peccatorum faciens placationis hostiam Deo offeret. *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus Testamenti quem vos vultis : ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus eius, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum. Et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda et Hierusalem sicut dies saeculi, et sicut anni antiqui*[1].

Circa quod imprimis notandum est nomen *angelum meum*, מַלְאָכִי, significare, non quidem spiritum angelicum natura aut incarnatione, ut somniabat Origenes, teste Eusebio, sed hominem officio, excellentia et puritate angeli praeditum, quemadmodum de sacerdote ab eodem Malachia dicitur[2] : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Praecursor autem praenuntiatus futurus erat Ioannes Baptista, qui quasi prodromus, Christi viam praeparare, et quasi pronubus, illius cum humana natura connubium celebrare debebat. Unde de eo dicebat Christus[3] : *Quid existis videre? Prophetam? Etiam, dico vobis, et plusquam prophetam; hic est enim de quo scriptum est: ecce ego mitto, etc.*.

Nomen vero *dominator*, hebraice הָאָדוֹן (haadon), significat *Dominum* κατ' ἐξοχήν.

Quod vero ponitur : *et angelus testamenti*, וּמַלְאַךְ הַבְּרִית, stat pro *legato foederis* et *mediatore inter Deum et homines*. Cuius adventus circumstantiae sunt α) summa eius gloria : *quis poterit*, etc., quasi videri non possit, ut olim Deus in Sinai, oculis irretortis ; β) missionis utilitas : *ipse quasi ignis conflans*, etc., liquefaciens nempe metalla, quo et a scorio purgentur ut melius splendescant, aut quasi herba בֹּרִית fullonum, qua scilicet vestis nuptialis candida reddatur ; ideo dictum est[4] : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni;* γ) constitutio novi sacerdotii : *purgabit*

1. C. III, 1-5. — 2. C. II, 7. — 3. Matth., XI, 9, 10. — 4. Ibid., III, 11.

filios Levi, quod evenisse ostenditur tum in Barnaba Levita[1], tum in eo quod habetur[2]: *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei;* ε) institutio sacrificii unius Deo placentis, quod veterum sacrificiorum excellentiam non modo recordare, sed et longe superare debebat: *et placebit Domino*, etc.

Porro, cum iamdiu templum hierosolymitanum fuerit eversum, et legalibus sacrificiis una per universum orbem fuerit substituta oblatio, oblationem Christi in cruce peractam commemorans, luce clarius apparet illum manifesto comprehendi errore, qui adhuc venturi cuiusdam Messiae vana spe detinetur.

Quae omnia adducta testimonia tam aperta sunt, quod, ut ait Grotius[3], *sentiunt se premi his argumentis iudaei, quae ut eludant, nonnulli aiunt sua peccata in causa fuisse quominus promisso tempore adveniret* (Messias). Sed, ut ipse ulterius advertit, quomodo ob peccata populi differri debuerit illudmet quod ad peccati remedium ordinabatur?

§ VII.

Generalis conspectus Vaticiniorum messianicorum.

Iuvat modo uno veluti contuitu ex adverso ponere hinc potiora vaticinia Messiam respicientia, illinc ea quae Evangelistae de Iesu Christo evenisse testantur.

1. — NATIVITAS ET INFANTIA

1. Messias exhibetur nasciturus ex David:

Egredietur virga de radice Iesse, etc[4].	*Liber generationis Iesu Christi Filii David, Filii Abraham*, etc.[5]

2. In Bethlehem:

Et tu Bethlehem, etc[6].	*Cum natus esset Iesus in Bethlehem*, etc[7].

1. Act. IV, 36. — 2. Ibid., VI, 7. — 3. De Ver. Rel. Christi, l. V, § 14. — 4. Is. XI, 2. — 5. Matth., I, 1. — 6. Mich., V, 2. — 7. Matth., II, 1.

3. Ex Virgine :

Ecce Virgo concipiet et pariet filium, etc[1].

Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, etc[2].

4. Adorandus a regibus :

Coram illo procident Aethiopes... Reges Tharsis et insulae munera offerent[3].

Cum natus esset Iesus... ecce Magi ab Oriente, etc[4].

5. Commoraturus in Aegypto :

Ex Aegypto vocavi filium meum[5].

Secessit in Aegyptum, et erat ibi, etc[6].

2. — PASSIONEM PRAECEDENTIA

6. Messias exhibetur passurus adversariorum odium, ex eo in ipsum concitatum, quod hominum, maxime legis doctorum, iniquitates denunciaturus erat :

α) *Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae*[7].

Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite ; secundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim et non faciunt[8]. *Ut caperent eum* (Iesum) *in sermone*[9]. *Consilium fecerunt ut Iesum dolo tenerent et occiderent*[10].

β) *Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat*[11].

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem[12]. *Ego et Pater unum sumus*[13]. *Dixerunt omnes : Tu ergo es Filius Dei? Qui ait : Vos dicitis quia ego sum*[14].

1. Is., VII, 14. — 2. Matth., I, 18. — 3. Ps. LXX, 9, 10. — 4. Matth., II, 1. — 5. Os., XI, 1. — 6. Matth., II, 14, 15. — 7. Sap., II, 12. — 8. Matth., XXIII, 2, 3. — 9. Luc, XX, 20. — 10. Matth., XXVI, 4. — 11. Sap. II., 13. — 12. Io., X, 15. — 13. Ibid. 30. — 14. Luc. XXII, 70.

γ) *Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum*[1].

Ipse vero sciebat cogitationes earum[2].

7. Prodendus ab amico :

Etenim homo pacis meae in quo speravi, qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem[3].

Qui manducat mecum panem, levavit contra me calcaneum suum[4].

8. Ingressurus Hierosolymam triumphans :

Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum, filium asinae[5].

Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti, coeperunt omnes turbae discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna... dicentes : Benedictus qui venit rex, etc[6].

9. Vendendus triginta argenteis :

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos[7].

Quid vultis mihi dare...At illi constituerunt ei triginta argenteos[8].

10. Novum instituturus sacerdotium :

Iuravit Dominus, et non poenitebit eum : tu es Sacerdos in aeternum, etc[9].

Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem[10]*... Hoc facite in meam commemorationem*[11].

3. — PASSIO ET MORS

11. Messias praedicitur faciem caedendus et conspuendus :

Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me[12].

Et dabant ei alapas[13]*. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius*[14].

1. Sap. II, 14. — 2. Luc. VI, 8. — 3. Ps. XI, 10. — 4. Io., XIII, 18. — 5. Zach., IX, 9. — 6. Luc. XIX, 37, 38. — 7. Zach., XI, 12. — 8. Matth., XXVI, 15. — 9. Ps. CIX, 4. — 10. Matth., XXVI, 26. — 11. Luc, XXII, 19. — 12. Is., L, 6. — 13. Io., XIX, 3. — 14. Matth., XXVII, 30.

12. Crucifigendus :

Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea[1].

Educunt illum ut crucifigerent eum[2].

13. Inter latrones :

Cum sceleratis reputatus est[3].

Et cum eo crucifigunt duos latrones[4].

14. Dividi debent vestimenta eius, et sortes mitti in tunicam :

Diviserunt sibi vestimenta mea[5].

Dividentes vestimenta eius, miserunt sortes[6].

15. Felle et aceto exhibetur potandus :

Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto[7].

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum[8].

16. Deridendus a praetereuntibus :

Omnes videntes me derisérunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput[9].

Et praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes : Vah! qui destruis templum Dei, etc[10].

17. In eius morte sol obscurandus est :

Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis[11].

A sexta hora, tenebrae factae sunt super universam terram, usque ad horam nonam[12]. *Et obscuratus est sol*[13].

4. — RESURRECTIO ET EA QUAE ILLAM CONSECUTA SUNT

18. Messias resurrecturus praedicitur :

Ego dormivi et soporatus sum, et exurrexi, etc[14].

Surrexit sicut dixit[15].

1. Ps., XXI, 17, 18. — 2. Marc., XV, 20. — 3. Is., LIII, 12. — 4. Marc., XV, 27. — 5. Ps., XXI, 19. — 6. Luc., XXIII, 34. — 7. Ps., LXVIII, 22. — 8. Marc., XV, 23. — 9. Ps., XXI, 8. — 10. Marc., XV, 29, 30. — 11. Amos., VIII, 9. — 12. Matth., XXVII, 45. — 13. Luc., XXIII, 45. — 14. Ps., III, 6. — 15. Matth., XXVIII, 6.

19. In coelum conscensurus :

Ascendisti in altum, etc[1]. *Videntibus illis, elevatus est*, etc[2].

20. Missurus Spiritum Sanctum in mundum :

Effundam Spiritum meum super omnem carnem[3]. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*[4].

Cum igitur in Christi vita tam perfecte complentur omnes prophetiae Veteris Testamenti quae Messiam respiciunt, nullus erit recte sentiens qui, evidentia cogente, non agnoscat Iesum Christum illummet esse, quem prophetae praenuntiarunt, ideoque verum Messiam a Deo promissum. Ex quo etiam deducitur Novum Testamentum, relate ad Vetus, id esse quod est lux ad umbram, corpus ad imaginem, veritas ad figuram. *Hoc*, ait S. Augustinus[5], *inter omnes divinas auctoritates merito excellit, quod in eo reddita et completa confirmentur quae lex et prophetae praenunciarunt.*

1. Ps., LXVII, 19. — 2. Act., I, 9. — 3. Ioel., II, 28. — 4. Act., II, 4. — 5. L. de Cons. Evang., c. 1. Cf. Petav. *de Incarn.* l. III. c. 9. Venetiis, 1723; Ginoulhiac, *Histoire du Dogme cath.*; Scheeben, *die Mysterien des Christenthums;* Auguste Nicolas, *Études philosophiques sur le Christianisme*, T. II. l. II; Freppel, *Conférence sur la divinité de J.-C.*; sed praecipue legi cum fructu potest Monsabré, *Exposition du Dogme catholique*, Conférences de 1877 et 1878.

CAPUT II

De Paganorum testimoniis circa Messiae adventum.

Quia et Gentilitas Christum venturum praedixisse fertur, et venientem quoque quodammodo agnovit, ideo hanc dissertationem duabus paragraphis claudemus, in quarum priori de Sibyllarum libris, in posteriori vero de testimoniis profanorum scriptorum in favorem Messiae, quantum praesentis tractatus indoles siverit, peragemus.

§ I

De Sibyllarum libris.

Cum donum spiritus prophetici a libera Dei voluntate pendeat, ideo nihil prohibet quominus et penes paganos, sub luce tamen confusa, aliquo modo extiterit[1]. Hoc Patres interdum agnoverunt, sedulo tamen distinguentes a Veteris Testamenti prophetis, vates illas, quae *Sibyllae* (a Διοῦ βουλή *consilium Dei,* aut Διοῦ βυλλή *plena Dei*) nominantur.

Omnium celeberrima est Sibylla *Erythraea*, aliter *Cumaea* dicta, quod Erythris in Ionia Cumas venerit, regnante Tarquinio Prisco, ibique degerit. Ad regem fertur novem libros attulisse, pro quibus tercentos aureos postulavit. Rege deridente mulieris insaniam, illa in eius conspectu tres libros combussit, et pro reliquis idem pretium petiit. Cum autem Tarquinius multo magis mulierem insanire putaret, haec iterum tribus aliis libris exustis, idem pro reliquis pretium postulavit, quod tandem Rex, mulieris constantia devictus, persolvit. Porro isti libri in Capitolio, in arca lapidea religiosissime asservabantur, pro quibus interpre-

1. Cf. 2. 2ae Quaest., CLXXII, art. 5 et 6. Cf. Monsabré, *Introd. au dogme cath.*, t. II. 11e Confér.

tandis primo duumviri, postea decemviri, et demum quindecimviri creati sunt. De istis ait Tullius[1] quod sacerdotes erant, quibus, quoties prodigia contigissent, libros illos interpretandi cura incumbebat, et lectisterniis ad pulvinaria deorum factis, eos placandi, eorumque minas avertendi.

Inter caetera autem celeberrimum est quod Virgilius[2] accommodat Salonio Asinii Pollionis novi Consulis filio, alii autem ad Christum venturum referunt :

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas ;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo :
Iam redit et virgo, redeunt saturnia regna,
Iam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave, Lucina...
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Sibyllinorum librorum collectio quam habemus, a quodam christiano secundi saeculi primum edita, postea in dies aucta, quatuordecim libris coalescit, quorum versus, tum ex hebraicis traditionibus, tum maxime ex locis Novi et Veteris Testamenti componuntur. Huiusmodi oracula Patres aliquando magnifecere, quod validum argumentum exinde sumi putarent contra Iudaeorum infidelitatem. Sic, inter alios, S. Clemens Papa, Iustinus, Athenagoras, aliique, hisce libris sine dubietate utuntur. Theophilus Antiochenus[3] Sibyllam veram esse prophetissam ostendit, eiusque oracula cum oraculis iudaicis convenire. Clemens quoque Alexandrinus magnam Sibyllarum multitudinem agnoscit (τῶν σιβύλλων τὸ πλῆθος); postea vero hostium Ecclesiae, qui horum argumentorum falsitatem denunciabant, instantiis actus, Sibyllae iudaicam attribuit originem. Constantinus quoque Imperator[4] ἀκροστιχίδα citat octavi libri : Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός, *Iesus Christus Dei Filius Servator Crux*. Pariter in Ecclesia

1. De Arusp. — 2. IV Egloga. — 3. In l. Autolicus, l. II, § 36. — 4. In Oratione ad sanc. coetum, c. 20.

latina Tertullianus iis libris magnam antiquitatem tribuit, aiens[1] : *Ante enim Sibylla quam omnis litteratura extitit.* Lactantius vero[2], in istis oraculis virtutem quasi divinam agnoscit. Ambrosius quoque[3] earum inspirationem daemoni attribuit, dum Augustinus[4] magnam se profitetur admirationem habere pro sibyllis[5]. Denique S. Thomas asserit[6] quod *Sibyllae multa vera praedixerunt de Christo.*

Quidquid tandem de huiusmodi testimoniis proferatur, certum est in oraculis sibyllinis plurima ridicula haberi ; quae autem seria deprehenduntur, dubiae sunt originis, nec eis alia quam humana fides debetur, licet alicuius utilitatis sint pro intelligendis priorum saeculorum auctoribus.

§ II

Excerpta profanorum auctorum testimonia

Hic coronidis ad instar nonnulla testimonia adiicimus profanorum quorumdam scriptorum, quibus comprobatur illos rei evidentia adeo perculsos fuisse, ut Christi divinitatem quasi invito animo quadantenus profiteri cogerentur.

α) Et primo quidem loco venit celeberrimum illud testimonium, quod in *Iosepho Flavio* reperitur. Vir ille, e nobili iudaica prosapia, anno circiter trigesimo sexto post Christum, natus, primo Essenorum, deinde Pharisaeorum sectam ingressus, ita de Iesu Christo edisserit[7] :

Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σοφὸς ἀνὴρ [εἴγε αὐτὸν ἄνδρα λέγειν χρή. Ἦν γὰρ] παραδόξων ἔργων ποιητής, [διδάσκαλος ἀνθρώπων, τῶν σὺν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων]. Καὶ πολλοὺς

Circa hoc tempus existit Iesus, vir sapiens, [siquidem illum hominem dicere oporteat. Erat enim] mirabilium operum patrator, [magister hominum, qui cum iucunditate vera suscipiunt]. Et

1. L. II, ad Nat., 12. — 2. De div. Inst., l. I, c. 6. — 3. In ep. ad Cor., II. — 4. L. contr. 5, Haer. IV. — 5. Optima oraculorum sibyllinorum collectio edita est ab Alexandre, *Oracula Sibyllina*, Parisiis, 2ª ed. 1869. — 6. 2 2ae, Quaest., CLXXII, art. 6 ad 1m. — 7. L. Antiq. iud., XVIII, c. 3, § III.

μὲν τῶν Ἰουδαίων, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο. [Ὁ χριστὸς οὗτος ἦν]. Καὶ αὐτόν, ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵ γε πρῶτον αὐτὸν ἀγαπήσαντες. [Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θειῶν προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότων]. Εἰς ἔτι νῦν τῶν χριστιανῶν, ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων, οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.

multos quidem ex Iudaeis, multos etiam ex gentilibus abduxit. [Erat illemet Christus]. Illum quoque, indicio primorum inter nos cruci cum condemnasset Pilatus, ab diligendo non destiterunt qui prius dilexerant. [Apparuit autem illis tertia die redivivus, haec et alia innumera mirabilia divinis prophetis de ipso praedicentibus]. Christianorum ab ipso denominatorum, usque adhuc genus non defecit.

Hoc testimonium, licet quibusdam interpolatum videatur, authenticum esse suadetur, scriptorum antiquorum susceptione et probatione, maxime Eusebii[1], S. Hieronymi[2], Isidori Pelusiotae[3], aliorumque scriptorum usque ad saeculum XVI, licet aliquorum priorum Patrum silentium, maxime Iustini et Tertulliani, aliquos de hac authenticitate dubios fecerit. Quod autem Iosephus tot tantaque hic siluerit quae de Christo recensere debuisse videretur, proposito minime obest, siquidem dici utique potest illum, pharisaeorum principiis addictum, odii ea silentio pressisse. Qui tamen in libro de *Bello Iudaico*[4] haec alia habet:

χρησμὸς... ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης.

Oraculum erat circa hoc tempus aliquem eorum universo imperaturum esse.

β) Succedit ut et *Tacitus* recenseatur, qui haec de venturo Messia refert[5]: *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum libris contineri fore ut valesceret oriens, et a Iudaea profecti rerum potirentur.*

γ) Eadem fere habet *Svetonius*[6]: *Percrebuerat oriente toto vetus*

1. L. III, Demonst. Evangel., et l. X, Hist.; c. 11. — 2. In Catal. script. ecclesiast. in Iosepho. — 3. L. 4, Epist. — 4. VI, C. 5, § 4. — 5. Hist., V, 13. — 6. Vesp. 4.

et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti, rerum potirentur.

δ) *Tiberium* Tertullianus subobscure innuit in mente gessisse ut statuam Christo erigeret. *Facit et hoc*, ait[1], *ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cuius tempore nomen christianum in saeculum introivit, annuntiatum sibi ex Syria Palaestina, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum, cum praerogativa suffragii sui. Senatus, quia ipse non probaverat, respuit; Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus christianorum.*

ε) Pariter, in vita *Alexandri Severi* legimus[2]: *Christo templum facere voluit* (Severus), *eumque inter deos recipere. Quod et Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris iusserat fieri: quae hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quae ille ad hoc parasse dicebatur; sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra, repererant omnes christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda.* De eodem *Severo* repetit quod cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, *contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse ut quandocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur*[3].

CONCLUSIO

Ut quae dicta sunt paucis perstringamus, tum ex libris sanctis sive divinitus, sive humanitus considerentur, tum etiam ex profanorum auctorum scriptis, deducitur Messiam munere et charactere distinctum a Deo generi humano statim ab ipso mundi exordio promissum, de quo quidem quovis tempore fides viguit, iamdiu advenisse, ita quod historia, sive ante sive post ipsum Christum, incomprehensibilis maneat, nisi illemet agnoscatur tanquam promissus Messias.

1. Apologet., l. 5. — 2. Apud Aelium Lampridium. — 3. Cf. Migne Patrologiae 1844, Tom. 1. Tertull., t. 1, p. 290 et 291, ubi vide argumenta pro supracitati textus genuinitate.

Haec, quibus plura id genus addi possent, si huius quidem loci essent propria, minime hic esse omittenda nobis visa sunt, ut vel in ipso tractatus limine appareat Christi adventum tanta praeconum frequentia praenuntiatum, celebratum quoque fuisse cuiusvis generis testibus omni exceptione maioribus; ita ut illum apertae veritati valedixisse oporteat, qui aut temerario ausu in dubium revocare, aut pervicaci perfidia praefracte denegare contenderit hominem quemdam aliis hominibus longe superiorem, ante undeviginti saecula, in terris degisse, quem pia mens investigationis tramites prosecuta, divina inspirante gratia, non deprehendere haud valebit illudmet esse Verbum Dei, e sinu Patris ab aeterno genitum, in tempore vero hominem factum, ita quod cum muliere samaritana confiteri cogatur[1] : *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus.*

1. Io., IV. 25. Cf. Portmans, *La divinité de J.-C. vengée des attaques du ration. cont.;* Zigliara, *Propoedeutica,* l. III.; Hettinger, *Lehrbuch der Fundamentaltheologie,* passim; Storchenau, *Zugaben der Philosophie der Religion;* Kleutgen, *Theologie der Vorzeit.* Cf. etiam omnino Vinc. Ludov. Gotti, O. P. Tract. I. de Deo Incarn. Quaest. II; Frayssinous, Conférences sur la Religion, *Sur les Prophéties,* T. III. p. 141; Faber, *Horae mosaicae,* T. I. Sect. I., C. III; Bossuet, *Histoire universelle,* 2ème Partie.

QUAESTIO II

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI

PROLOGUS

1. — Divisio secundae partis. — Duarum partium, quibus tractatio de Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro salute nostra factus est homo, constare dicta est, priori absoluta, succedit ut altera modo expendatur, in qua de unione Verbi incarnati ad humanam naturam peragitur. Bifariam autem haec pars dividitur, secundum quod praedicta unio consideratur, vel quantum ad modum quo peracta est (II-XV), vel quantum ad ea quae hanc unionem sunt consecuta (XVI-XXVI).

Prior autem pars duobus absolvitur : ita quod considerari debeat modus unionis Verbi cum humana natura, *primo* quantum ad ipsam unionem (II), *secundo* autem, quantum ad unionis terminos, qui sunt persona assumens (III), et natura assumpta (IV-XV).

2. — Ratio huius quaestionis. — In praesenti autem quaestione, theologi intentio est modum proprium unionis Verbi ad humanam naturam, quantum ad ipsam unionem, ita perscrutari, ut formalis, et veluti constitutiva illius ratio habeatur, ex qua caetera deduci valeant. Nam *munus cuiuslibet disciplinae*, ait Card. Satolli[1], *versatur circa proprium obiectum ea methodo, ut ab explorandа essentia incipiat, et a comparata distinctiori notitia rei quid sit, ad proprietates recensendas ordinatim deveniat.* In quo qui-

1. In h. l.

dem, evitatis tum Eutychetis, tum Nestorii scopulis, apparebit quod vi huius unionis Deus vere est homo, et homo *in gloria est Dei Patris*[1].

3. — Divisio quaestionis. — Duodecim articulis S. Thomas hanc quaestionem absolvit ita ordinatis, ut primo quaerat de modo unionis quantum ad ipsammet unionis substantiam (1-9), et secundo quantum ad ea quae possunt fingi extitisse causae illius unionis (10-12). Modus autem unionis, quantum ad ipsammet unionis substantiam inspici debet tum absolute (1-8), tum relate ad caeteras uniones (9). Absolute quidem, tum fundamentaliter (1-6), tum etiam formaliter (7-8). Formaliter, ut sciatur de hac unione quid proprie sit, tum in se (7), tum etiam per respectum ad assumptionem (8); fundamentaliter vero, tum physice (1-5), tum etiam metaphysice (6), nempe per respectum ad praedicamenta substantiae et accidentis. Porro, ad cognoscendum modum unionis fundamentaliter secundum ipsam eius entitatem physicam, necesse est ut considerentur tum ipsius unionis terminus (1-3), tum proprietas quae ex illa sequi intelligitur (4-5). Porro, terminus unionis fuit, non natura (1), sed persona (2), imo hypostasis vel suppositum (3); proprietas autem quae unionem sequi intelligitur, est quoddam compositionis genus, quod investigari debet, tum relate ad ipsum Verbum incarnatum (4), tum relate ad naturam humanam, quam constare novimus ex anima et corpore (5). Quibus omnibus absolvetur cognitio modi unionis Verbi cum humana natura quantum ad ipsam unionis substantiam secundum se. — Ad cognoscendum autem huiusmodi unionis modum quantum ad causas, sive denominative, res consideranda veniet, tum quantum ad gratiam, per quam fingi posset unio ista effecta, sive gratia consideretur in se (10), sive consideretur in meritis quae per illam comparantur (11), tum quantum ad naturam (12), ut determinetur utrum unionis gratia homini Christo fuerit naturalis[2].

1. Phil., II, 11. — 2. De modo unionis Verbi incarnati egregio conscripsit I. B. Terrien, S. I. in Op. S. Thomae Aquinatis doctrina sincera de Unione Hypostatica Verbi cum humanitate amplissime declarata. Parisiis Lethielleux.



Unde duodecim hic quaeruntur.

Primo. Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura.

Secundo. Utrum sit facta in persona.

Tertio. Utrum sit facta in supposito vel hypostasi.

Quarto. Utrum persona vel hypostasis Christi post Incarnationem sit composita.

Quinto. Utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo.

Sexto. Utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter.

Septimo. Utrum ipsa unio sit aliquid creatum.

Octavo. Utrum sit idem quod assumptio.

Nono. Utrum unio duarum naturarum sit maxima unionum.

Decimo. Utrum unio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam.

Undecimo. Utrum eam aliqua merita praecesserint.

Duodecimo. Utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.

ARTICULUS I. — *Utrum unio Verbi Incarnati sit facta in natura.*

1. — **Undenam oriatur difficultas.** — Difficultas ex eo oriri videtur, quod *naturam divinam necesse est ut sua personalitas consequatur; similiter autem videtur et de humana natura; nam omne quod subsistit in intellectuali vel rationali natura habet rationem personae : unde non videtur esse possibile quod sit una persona, et sint duae naturae, divina et humana*[1].

2. — **Eutychetis error.** — *Eutyches,* ait S. Augustinus[2], *ut unitatem personae contra Nestorium servaret in Christo, dicit in Christo esse etiam unam naturam, ita quod, quamvis ante unionem essent duae naturae distinctae, divina et humana, in unione tamen coierunt in unam naturam. Et sic dicebat Christi personam ex duabus naturis esse, non autem in duabus naturis subsistere, propter quod in Chalcedonensi synodo est condemnatus.* — Ista est monophysitarum haeresis, in qua duo maxime reprehensione digna notantur : *unum*, quod natura humana extitisse supponitur antequam a Verbo assumeretur, *alterum* quod non in duabus naturis, sed

1. C. Gent., l. IV, c. 35. — 2. Lib. Haeres. n. 90; cf. Syn. Chalced., act. 1.

ex duabus, Christi personam subsistere asseritur. Primum suo loco refutabitur; contra secundum ponimus sequentem

3. — PROP. — **Unio Verbi cum natura humana non est facta in natura.** — Hoc fides catholica ita tradit[1] : (Confitemur) *in novissimis Christum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter* (ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως) *agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem.* Et in symbolo Athanasiano legimus : *Unus autem, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.*

4. — — **Suadetur propositio.** — α) *Generaliter.* Nam, utraque natura in Christo, divina et humana, fuit completa, nec quidquam ipsis per unionem fuit detractum. Sed ex duabus naturis completis manentibus non potest fieri una tertia, eo quia quaelibet natura est quoddam totum ; ea vero ex quibus aliqua natura constituitur, habent rationem partis, sicut patet de anima et corpore in homine[2].

β) *Specialiter* etiam hoc apparuit in Christo. Post unionem, corpus et anima aliud fuerunt a divinitate Christi. Corpus quidem, quia passibile remansit ; anima vero, quia subiecta passionibus, verbi gratia, gaudii, tristitiae, etc., quae Deo minime conveniunt. Sed corpus et anima constituunt naturam humanam. Ergo natura humana fuit alia a divinitate Verbi post unionem. Et revera S. Paulus loquens de utraque sub nomine formae, evidenter ostendit aliud fuisse, post assumptionem, naturam humanam a natura divina[3] : *Qui cum in forma Dei esset,... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. — Homo,* ait S. Thomas[4], *ex sua creatione est servus Dei, et natura humana est forma servi.*

5. — **Quid sit natura.** — At rei gravitas postulat ut propius determinetur quid nomine *naturae* veniat, tum prout a vulgo, tum prout a philosophis accipitur.

I. Penes *vulgus*, nomen naturae (φύσις) α) pro *rerum universi-*

1. Conc. Chalc. in Symb. fidei. — 2. C. G., loc. cit. — 3. Phil., II, 6, 7. — 4. In h. l.

tate significanda quandoque sumitur, quo sensu Tullius ait[1] : *Cleanthes autem tum ipsum mundum Deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo hoc nomen tribuit.* — Aliquando vero sumitur β) pro *proprietate*, seu *ingenita alicui rei virtute*, sicut idem Tullius ait[2] : *Quod autem anima est, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est natura propria animae et vis.* — Rursus, significat quandoque γ) *inclinationem, dispositionem, indolem aut habitum animi vel corporis.* Ita iterum Cicero[3] : *Videre quo sua quemque natura maxime ferre videatur ;* et Horatius[4] : *Naturam expellas furca, tamen usque recurret.*

II. Penes *philosophos* autem, naturae nomen etymologiam sumpsisse videtur a *nascendo*, quasi diminute pro *nascitura*, et ita impositum est hoc nomen ad significandam *generationem* viventium, quae *nativitas* vel *pullulatio* dicitur. Deinde naturae nomen translatum est ad significandum *principium* generationis, quod cum in rebus viventibus sit intrinsecum, ideo naturae nomen ulterius derivatum est ad significandum quodlibet *principium intrinsecum motus.*

6. — ***Aristotelica naturae definitio.** — In hoc sensu, natura ab Aristotele dicitur : *principium alicuius et causa movendi et quiescendi, in quo est primum per se et non per accidens*[5] — ὡς οὔσης φύσεως ἀρχῆς τινὸς καὶ αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτό, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός.

Principium dicitur et non tantum *causa*, advertit S. Thomas[6], ut significetur naturam esse etiam principium passivum, in his scilicet quae moventur, uti, verbi gratia, natura est principium sanationis in aegroto. — Dicitur *movendi* et *quiescendi ;* nam, in rebus, natura est principium utriusque, imo est principium movendi propter quietem, sicut, verbi gratia, natura est corpori levi principium ut feratur sursum, praecise ut ibi quiescat; sed, si ponatur sempiternitas motus, natura esset coelestibus corporibus principium movendi, non autem quiescendi. — Additur : *in eo in quo est*, ad differentiam artificialium, in quibus natura non est principium motus, nisi per accidens : cultellus

1. L. I de Nat. Deorum. — 2. In Somnio. — 3. 3, de Or. — 4. L. I, Ep. 10. — 5. L. II, Phys., cap. 1, text. 3. — 6. Comment. in h. l., lect. I.

enim habet in se principium motus deorsum, non in quantum est cultellus, sed in quantum est grave. — *Primum*, seu primo, quia natura, etsi sit principium motus compositorum, non tamen primo; quod enim animal moveatur deorsum, non est ex natura animalis in quantum est animal, sed est ex natura dominantis elementi. — *Per se, et non per accidens;* nam, quod medicus aegrotus sit ipse sibi causa sanitatis, hoc per accidens est, cum non sanetur in quantum est medicus, sed in quantum est aegrotus. Et sic principium motus sanationis passivae in ipso medico per se est natura, cum sanari ipsi per se conveniat, per accidens autem est ipsemet medicus, cum aegroto accidit esse medicum. Quod hoc ipsi accidat patet : nam haec duo, scilicet esse medicum et esse aegrotum, saepius divisa inveniuntur : ergo per accidens est quod unita reperiantur. E contra, principium motus naturalis ita est in corpore naturali quod movetur, ut nequeat ab ipso dividi. Principium enim motus ignis sursum est levitas, quae nequit separari ab igne[1].

7. — **Boëtiana naturae definitio.** — Cum principium motus possit esse, ut vidimus, *activum vel passivum*, scilicet forma vel materia, ideo quandoque *forma* dicitur natura, quandoque vero *materia*. Sed finis et terminus motus generationis est in eo quod generatur, scilicet *essentia speciei* quam significat definitio : quapropter essentia speciei vocatur etiam natura, quo sensu *natura est idem ac essentia, seu quidditas rei, aut quod quid est ipsius*. Et hic est sensus quo impraesentiarum accipimus naturam, quo modo Boëtius illam definit dicens[2] : *Natura est unamquamque rem informans specifica differentia*. Et hoc quidem sensu sumitur natura in toto huius tractatus decursu, et idem significat ac essentia, quidditas, et forma; licet quidditas dicatur habito respectu ad definitionem indicantem quid est res, essentia secundum quod per eam et in ea ens habet esse, forma secundum quod perfectio rei significatur, et natura secundum quod ordinem habet ad operationem[3].

8. — **Probatur propositio,** scilicet Verbum et naturam

1. Cf. S. Thom. Ibid. — 2. Lib. de duabus nat. — 3. Cf. Lorenzelli, Phil. theor. Inst. T. I, l. 3, p. 253, Romae 1896.

humanam ita esse unita, ut non convenerint ad integrandam unam quamdam tertiam naturam, seu in Christo haberi duas distinctas naturas.

Revera, unum ex duobus vel pluribus potest constitui tripliciter, videlicet: vel α) ex duobus perfectis integris manentibus; vel β) ex duobus perfectis transmutatis; vel γ) ex duobus imperfectis integris manentibus. Atqui nullo ex hisce modis potuit unio Verbi cum natura humana fieri. Ergo unio non est facta in natura. — Evolvi debet *minor:* nam quod sufficiens sit enumeratio *maioris* infra patebit.

9. — α) **Unio Verbi cum natura humana non potuit fieri tanquam ex duobus perfectis integris manentibus.** — Talis unio nequit haberi, nisi in iis quorum forma est compositio, vel ordo aut figura: sicut per solam compositionem ex multis lapidibus sine ordine positis fit acervus, aut ex lapidibus et lignis aliquo ordine digestis et ad aliquam figuram redactis fit domus. Secundum hoc igitur aliqui posuerunt duarum naturarum in Christo unionem esse, aut per modum *confusionis* quae nempe est sine ordine, aut per modum *commensurationis*, quae est cum aliquo ordine. — Atqui unio naturarum in Christo hoc modo fieri non potuit. Nam, 1° eorum quae sic uniuntur forma est accidentalis, compositio enim, ordo et figura sunt forma accidentalis: ideoque si unio esset sic facta, sequeretur quod non esset per se, sed per accidens, quod est nestorianum et suo loco improbabitur[1]; 2° ex huiusmodi non fit unum simpliciter, sed secundum quid: remanent enim plura actu; 3° eorum quae sic uniuntur forma non est natura, sed magis ars, ideoque sic non constitueretur una natura in Christo, contra id quod adversarii praetendunt.

10. — β) **Nec tanquam ex duobus perfectis transmutatis.** — Talis quippe unio locum habet quando, verbi gratia, ex elementis fit mixtum: unde, secundum hoc, Incarnationis unio esset facta per modum cuiusdam mixtionis. Atqui hoc est impossibile: quia 1° natura divina immutabilis est, ideoque nec corruptibilis

1. Art. 6, huius quaest.

nec generabilis, et qua incorruptibilis, nequit ipsa in aliud converti, qua vero ingenerabilis, nequit resultare ex conversione alterius in ipsam ; 2° id quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie, sicut caro humana et quodcumque aliud mixtum differt a qualibet elementorum specie, proindeque si unio taliter facta fuisset, Christus non esset idem nec cum Patre nec cum Matre ; 3° in his quae plurimum distant, mixtio fieri nequit : non potest enim aquae guttula amphorae vini commisceri, sed eius potius solvitur species ; ideoque cum natura divina in infinitum excedat naturam humanam, mixtio fieri non potuisset, sed sola remansisset natura divina. Unde de Verbo Incarnato Ecclesia canit : *Non commixtionem passus, neque divisionem.*

11. — γ) **Nec tanquam ex duobus imperfectis integris manentibus.** —Haec unio habetur aut quemadmodum ex anima et corpore fit homo, aut sicut ex multis membris fit unum corpus humanum. Atqui neutro modo fieri potuit unio Verbi cum humana natura. 1° Quia utraque natura, divina scilicet et humana, est secundum suam rationem perfecta, iuxta illud[1] : *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.* 2° Quia natura divina et humana non possunt constituere aliquid, per modum α) partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus, quia natura divina est incorporea ; nec per modum β) materiae et formae, quia natura divina nequit esse forma alicuius, cum informare dicit imperfectionem partis et dependentiae, et rursus quia totum est perfectius suis partibus, unde id quod ex Deo, tanquam forma, componeretur, esset perfectius ipso Deo, quod repugnat. — Addit et hanc rationem Angelicus, quia natura divina nequit esse forma alicuius *praesertim corporei*, quia haec repugnantia manifestior est respectu corporis, natura vero humana in concreto est quid corporeum. Ubi notare libet quod haec repugnantia informationis verificatur de quacumque natura integra et perfecta, cum talis nullam proportionem habeat ad informandam aliam rem. 3° Quia differentia addita variat speciem, sicut

1. Symb. athan.

unitas numerum : unde Christus, qui ex duabus hisce naturis sic coalesceret, non esset nec humanae nec divinae naturae, quod maxime adverti debet contra illos philosophos qui iugem in humana natura progressum ita confingunt, ut illam reputent sui evolutione aliquando pertingere posse ad deitatem.

12. —***Notandum.** — Aliam hypothesim, nempe quod unio sit facta ex imperfectis mixtis, S. Thomas consulto praetermittit, quia in superioribus satis praeoccupata est : si enim unio non potuit fieri ex perfectis mixtis, multo minus ex imperfectis, cum utraque natura perfectissima sit, et mixtio naturas mutaret.

13. —***Confirmatur.** — Si *ex*, et non *in*, duabus naturis subsisteret Christus, oporteret ut humana natura extitisset completa ante assumptionem, et ita aut assumpta fuisset cum hypostasi, quod haereticum est; aut corrupta fuisset illa hypostasis in assumptione, quod pariter est maxime erroneum. Nec Filius Dei nativitate humana natus fuisset, aut saltem non illemet natus esset, qui fuit conceptus[1].

14. — **Quaestio I.** — *Quisnam sit sensus huius comparationis*[2] *:* SICUT ANIMA RATIONALIS ET CARO UNUS EST HOMO, ITA DEUS ET HOMO UNUS EST CHRISTUS ?

Respondeo similitudinem non esse per omnia extendendam, sed solum quantum ad aliqua valere. Revera, ex anima et corpore in unoquoque nostrum duplex constituitur unitas, una scilicet *naturae*, secundum quam anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, ita ut ex duobus fiat una natura, sicut ex actu et potentia aut ex materia et forma; altera vero *personae*, secundum quod anima et caro in nobis uniuntur ut sit unus aliquis subsistens in utraque : ubi statim novitius advertat hanc duplicem unitatem non debere sic concipi, quasi re duae unitates in nobis habeantur, secus oporteret ut essent in nobis duo esse re distincta, sed ita quod aliud sit ex materia et forma resultare unam naturam, aliud vero ex anima et carne resultare unam personam. Quocirca inducta similitudo in symbolo athanasiano, attendi debet quantum ad hoc quod scilicet Christus subsistit in divina

1. C. G., l. IV, c, 43. — 2. Symb. athan.

et humana natura, non autem quantum ad unitatem naturae, eo quia natura divina nequit esse alicuius corporis forma[1]. Quod pulchre exponit S. Vincentius Lirinensis[2] : *In Deo una substantia, sed tres personae, in Christo duae substantiae, sed una persona... Sicut in homine aliud caro et aliud anima, sed unus idemque homo anima et caro,... ita in uno eodemque Christo duae substantiae sunt, una divina, altera humana,... unus tamen idemque Christus in utraque substantia.*

Quocirca, sicut in nobis est Trinitatis imago, ita etiam quantum ad aliquid gerimus in nobis aliquam Incarnationis similitudinem. Quod pulcherrime exponit Bossuet[3] : *Nous-mêmes, qui sommes l'image de la Trinité, nous-mêmes, à un autre égard, nous sommes encore l'image de l'Incarnation. Notre âme, d'une nature spirituelle et incorruptible, a un corps corruptible qui lui est uni : et de l'union de l'un et de l'autre résulte un tout, qui est l'homme, esprit et corps tout ensemble, incorruptible et corruptible, intelligent et purement brute. Ces attributs conviennent au tout, par rapport à chacune de ses deux parties ; ainsi le Verbe divin, dont la vertu soutient tout, s'unit d'une façon particulière, ou plutôt, il devient lui-même, par une parfaite union, ce Jésus-Christ, fils de Marie ; ce qui fait qu'il est Dieu et homme tout ensemble, engendré dans l'éternité et engendré dans le temps, toujours vivant dans le sein de son Père, et mort sur la Croix pour nous sauver*[4].

15. — **Quaestio II.** — *Quisnam sit sensus horum verborum* : NATURA DIVINA EST INCARNATA ; *necnon horum :* NATURA HUMANA EST DEIFICATA, *quae refert Damascenus*[5], *et quae attribuuntur, illa S. Cyrillo, haec S. Gregorio Nazianzeno ?*

Respondeo : quando divina natura ab humana denominatur, et viceversa, sensus non est quod invicem sint transmutatae, aut quod deitas sit in humanam carnem conversa, aut humanitas in deitatem : sed natura divina dicitur incarnata, quia est unita personaliter carni ; et pari ratione caro dicitur deificata, propter suam unionem ad Verbum, in qua tamen unione suas proprietates

1. Ad 2^m. — 2. In libell., c. 19. — 3. Discours sur l'Hist. Univ., 2e partie, chap. XIX. Édit. de Liège, 1862, p. 180. — 4. Cf. Aug. Ep. III ad Vol. c. 3 ; de Civ. Dei, l. X, c. 29. Cyr. Ep. ad Valer., p. III. — 5. L. III. Orthod. Fid. cc. 6 et 7.

naturales neutra amisit; unde dicitur caro deificata, non quia ipsa facta sit Deus, sed quia ipsa facta est caro Dei[1]. Nec obstat quod dicitur[2] : *Verbum caro factum est;* non enim eo sensu accipiendum est, quo dicitur[3] : *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam*, cum divina natura sit omnis immutationis incapax : sed illa propositio affinitatem quamdam habet cum ista : *Homo fit musicus*, in qua subiecto integro manenti nova quaedam res intelligitur adiici[4].

16.—***Scholion.**—Circa verba a S. Thoma in prima difficultate adducta, et S. Cyrillo attributa, scilicet : *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam*[5], notandum est illa S. Cyrilli revera non esse, sed Eustathii illum male allegantis. Quocirca Patres Concilii Chalcedonensis his auditis reclamaverunt, et ipse Cyrillus in Epistola ad Ioannem Antiochenum conquestus est suas voces in malum versas fuisse ab iis qui recta pervertere solent. Unde auctoritas illa in Concilio Constantinopolitano II sic exponitur[6] : *Si quis unam naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat sicut Patres docuerunt, quod unus Christus factus est ex divina natura et humana, unione secundum subsistentiam facta, sed ex talibus vocibus naturam unam, sive substantiam divinitatis et carnis Christi introducere conetur, A. S.* Igitur non ex duabus naturis una est natura constituta, sed Verbi Dei natura carnem sibi univit in persona[7].

Caeterum quod Cyrillus naturarum distinctionem, etiam post unionem agnoverit, satis eius scripta indicant, docet enim[8] : *Cum Deus stabilis sit, nec conversionem admittat, semper mansit id quod erat, etiam quando factus est homo;* et iterum[9] : *Unum eumdemque Iesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfusas inter se servantes*[10].

1. Ad 3^m. — 2. Io., I, 14. — 3. Ibid., II, 9. — 4. Cf. Bossuet, Remarques sur les Conciles d'Ephèse et de Chalc. 7e Remarque, vol. VI, pp. 697, sqq. — 5. Conc. Chalced., p. II, a. 1. — 6. Coll. 8, can. VIII. — 7. Ad 1^m. — 8. Lib. de recta fide. — 9. Lib. de Incarn., c. XII. Cf. Thomassin., l., III. c. 20; Petav., l. v. c. 7; Kleutgen, *Theol. der Vorzeit;* Franzelin, thesis 36, etc. — 10. Vide O. Bardenhewer, Les Pères de l'Eglise, t. II. pp. 217, sqq. Paris, 1899.

ARTICULUS II. — *Utrum unio Verbi incarnati sit facta in persona.*

1. — Ratio articuli. — Huius articuli, qui quidem potissimus in hac quaestione est, intentio est ut ostendatur quod unio Verbi cum humana natura facta est in persona, ita ut confiteri nos oporteat Deum Verbum Filium Dei unigenitum, Dominum Nostrum Iesum Christum, *non in duas personas partitum aut divisum, sed unum et eumdem*, ut loquitur Conc. Chalcedonense[1], quod immediate antea dixerat: *Salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente*, εἰς ἕν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν. Ad quod probandum, S. Thomae argumentum est peremptorium : scilicet, posito quod unio ista non sit facta in natura, ut supra exclusum est, adseri debet facta in persona, secus nulla ratione est facta, sicque ipsamet Incarnationis fides ruere cogitur. Quisnam autem sit modus vel gradus huius unionis, utrum scilicet sit substantialis, an accidentalis, postea contra Nestorium ex professo determinabitur[2]. Hic autem in antecessum de personae a natura distinctione dicendum est.

2. — Distinctio naturae a persona. — Natura, ut dictum est, significat essentiam speciei quam significat definitio; et siquidem his, quae ad rationem naturae pertinent, nihil aliud adiunctum inveniretur, nulla necessitas adesset distinguendi naturam a supposito naturae. Sed invenimus revera quod, in aliquibus rebus subsistentibus, aliquid est in supposito, quod non est in natura; verbi gratia, in homine invenimus et principia individuantia et accidentia quaedam quae non sunt de ratione speciei : de ratione enim humanitatis non sunt hae carnes, haec ossa, et generaliter materia signata, neque hic color, locus, qualitas etc., quae tamen sunt de ratione suppositi, puta, Petri aut Ioannis : unde in hisce differt natura et suppositum, non quasi sint omnino separata, aut duo ex aequo se habentia, sed quia in supposito includitur natura speciei et superadduntur quaedam

1. Act. 5. — 2. Art. 6.

alia quae sunt praeter naturam speciei. Hinc est quod in talibus rebus, suppositum significatur ut totum, et natura ut pars formalis aut perfectiva totius: humanitas enim est pars Socratis, et praedicari nequit natura de supposito, quemadmodum praedicari nequit pars de toto: non enim Socrates est sua humanitas.

Igitur, radicalis ratio distinctionis naturam inter et suppositum ex eo desumenda est, quod in supposito, quod est individuum subsistens in aliqua natura, *invenitur aliquid quod est praeter rationem specificam essentiae seu naturae;* et secundum gradus diversitatis eius quod invenitur in supposito et non in natura, est etiam diversitas gradus in distinctione facienda inter suppositum et naturam, qui gradus tres sunt: α) in rebus compositis ex materia et forma, est distinctio *realis* et *intrinseca* inter naturam et suppositum; β) in substantiis separatis, *realis* sed *extrinseca;* γ) in Deo vero distinctio *rationis* tantum. — Nam, in rebus compositis ex materia et forma, natura, sive quidditas, sive essentia speciei non includit singularitatem aut individualitatem, sed individuatur *intrinsece* per materiam. In substantiis vero separatis, ubi non est materia, natura includit singularitatem, et individuatur intrincese per seipsam, ita ut non sit nec possit esse nisi unus angelus unius speciei; attamen suppositum includit naturam et alia quae *extrinseca* sunt huic naturae, puta existentiam et accidentia; et in utroque casu, distinctio est *realis,* seu secundum aliquam realitatem quam addit suppositum supra naturam. In Deo vero, suppositum et includit individualitatem naturae, et non admittit aliquid praeter aut extra rationem naturae; attamen ratione distinguimus in ipso naturam, ut *quo* est Deus, et suppositum, ut *quod* est, seu ratione distinguimus deitatem a Deo[1].

3. — Definitio personae. — Quod dictum est de supposito generaliter, valet pro persona specialiter; siquidem persona est, respectu *rationalis naturae,* id quod suppositum est generaliter respectu cuiusvis naturae. Nam persona definitur: *rationalis naturae individua substantia*[2]. — *Substantia,* dicitur, per

1. Cf. quae scripsimus in Tract. DE DEO UNO, Quaest. III, art. 3; necnon in Tract. DE TRINITATE, Quaest. XXIX. — 2. Boet. lib. de duabus nat.

exclusionem accidentis, quia sicut illa per seipsam existit, ita et per seipsam individuatur, accidens autem individuatur per substantiam; *rationalis naturae*, quia ad hanc solam pertinet habere dominium suorum actuum, et actiones pertinent ad individuum, cum sint in singularibus aut singularium, ut dicit Philosophus[1]: *individuum*, quo tria comprehenduntur, scilicet: *ens completum, per se subsistens* et *incommunicabile*. Defectus primi excludit a dignitate personae partem substantiae, verbi gratia, manum aut animam separatam; carentia secundi impedit ne natura illa quam assumpsit Christus dicatur persona, absentia tertii prohibet quominus substantia divina dicatur persona licet sit vere subsistens.

4. — PROP. — Unio Verbi cum natura humana facta est in persona.

Prob. I. Ex auctoritate α) *S. Scripturae*. Unio quae ita facta est, ut ea quae uniuntur possint in concreto aeque praedicari de eadem persona, est unio facta in persona. Atqui ex S. Scriptura resultat quod tum humana, tum divina natura aeque praedicantur de eadem persona in concreto. Ergo. — *Ostenditur minor*. Unus idemque omnino est qui aiebat[2]: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi;* et[3]: *Exivi a Patre et veni in mundum;* et rursus[4]: *Ego et Pater unum sumus;* iterumque[5]: *Antequam Abraham fieret, ego sum;* de ipso quoque dicitur[6]: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.*

β) Quocirca *S. Augustinus* dicit[7]: *In unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro.* Et[8]: *Quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita* (est) *Christus una persona Verbum et Homo.* Et iterum[9]: *Sicut anima habens corpus non facit duas personas, sed unum hominem, sic Verbum habens hominem non facit duas personas, sed unum Christum.* Pariter Ven. Beda, commentans illud[10]: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, ait[11]: *Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis,*

1. In 1. Metaph. cap 1, n. 6. — 2. Io., VI, 51. — 3. Ibid., XVI, 28. — 4. Ibid., X, 30. — 5. Ibid., VIII, 58. — 6. Rom., IX, 5. — 7. Enchir., c. 35. — 8. C. 36. — 9. Tract. XIX, in Io. — 10. Luc., I, 35. — 11. Hom. in Ev. Luc., I.

Nestoriane, qui Beatam Mariam Dei negans esse Genitricem, aperte niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quae Deum edidit, quomodo Theotocos, id est, Dei Genitrix non esse potest?

5.— Prob. II. Ratione theologica. — Omne quod inest alicui, unitur ei in persona. Sed natura humana inest Verbo. Ergo natura humana unitur Verbo in persona.

Explicatur. *Minor constat:* in hoc enim consistit Incarnationis fides, ut agnoscamus Verbum habere naturam humanam, eamque sibi assumpsisse.

Maior declaratur. Multiplici modo aliquid potest inesse alicui. *Primo*, tanquam extrinsecus adiacens, verbi gratia, habitus, locus, tempus. *Secundo*, tanquam intrinsecus inhaerens, sive ut accidens, veluti quantitas, et omnes species qualitatis, sive ut pars integralis in toto materiali, sicut manus, pes, etc. in homine. *Tertio*, ut natura in supposito.

Porro, *primus* modus ad nos non facit, quia quae extrinsecus adiacent non vere insunt: et sic unio naturae humanae in Verbo revera non esset facta: non enim Deus factus est homo secundum moralem quemdam affectum, ut volebat Nestorius, aut per assumptionem et regimen humanae voluntatis, ut somniavit Rosminius. Unio igitur ad hoc ut sit vera unio, intrinseca esse debet; sed, *secundo* humana natura non se habet ut accidentale informans, puta ut color in homine; nec est pars integralis sicut membrum in corpore; nec est ipsamet natura Verbi immutata, quo modo unio fuit exclusa in articulo praecedenti. Ergo superiori quodam modo unio est facta, scilicet modo ineffabili, qui totius naturae vires superat, tali nempe modo, ut natura ista fuerit unita intrinsece Verbo, et quidem unita in persona[1].

6. — **Confirmatur.** — Unio Verbi cum humana natura est unio quaedam specialissima. Atqui omnis unio, qua Deus est naturaliter in aliquo per praesentiam, potentiam et essentiam, et qua est supernaturaliter in iustis per gratiam ut cognitus in co-

1. Cf. Caiet.

gnoscente et amatus in amante, non tam specialis est; ergo unio Verbi cum humana natura facta est modo aliquo superiori, scilicet per subsistentiam sive personam.

7. — Difficultas I. — Natura in divinis est persona. Sed unio Verbi cum natura humana non est facta in natura. Ergo nec in persona.

Resp. *Dist. mai.* Natura in divinis est persona secundum rem, *conc.*, secundum modum significandi, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Quia nulla compositio in Deum cadere potest, ideo natura et suppositum aut persona realiter idem sunt; attamen differunt secundum modum significandi; natura enim significat ut *quo* aliquid subsistit, persona vero ut *quod* subsistit; et quia natura humana est unita Verbo ut Verbum subsistat in ea, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem suae naturae, aut ut eius natura in aliud transmutetur, hinc praefata unio facta est in persona et non in natura[1].

Dices: Differentia quoad modum significandi est differentia nominalis et quoad nos, non quoad rem ipsam seu Deum. — *Respondet Caietanus*[2] passiones nominum secundum modum significandi afferri non pro ratione, sed pro manifestatione differentiae inter naturam et personam Dei secundum rationem; quod sibi vult distinctionem inter naturam et personam in Deo non esse mere rationis ratiocinantis, sed rationis ratiocinatae, qualis scilicet fundamentum in ipsa re habeat, quae, licet sit simplicissima, tamen sub uno respectu praestat aliquid quod non praestat sub alio respectu. Et sic, quia ratio naturae divinae secundum se formaliter considerata, non est susceptiva alicuius, nec secundum appositionem, nec secundum immutationem, nec secundum informationem, ut dictum est, ideo unio non est facta in natura. Sed ratio personae, secundum se formaliter considerata, potest esse susceptiva alterius, hoc sensu ut subsistat in eo, ideoque unio facta est in persona, quae ita apposuit se alienae naturae, ut eam terminaret et in ea subsisteret. Sic eadem terra secundum unum respectum habet motum circumvolutionis in semetipsa, et secundum alium respectum habet motum circumvolutionis circa solem. Si

1. Ad 1^m. — 2. Hoc loco.

autem terra esset ipsamet sua potentia, idem re motus esset terrae circa solem et circa seipsam, licet differret secundum modum significandi, ita tamen quod ista differentia rationis fundaret diversas habitudines ad diversos terminos.

8. — **Difficultas II.** — Quod habet propriam personalitatem, non unitur alicui in persona. Sed natura humana in Verbo habuit propriam personalitatem. Ergo non est unita Verbo in persona. — *Prob. minor.* Propria personalitas pertinet ad dignitatem naturae humanae. Sed natura humana in Verbo habuit quidquid pertinet ad dignitatem ; non enim fuit minus perfecta in Christo quam in nobis, in quibus tamen habet propriam personalitatem Ergo natura humana in Verbo habuit propriam personalitatem.

Resp. *Conc. mai. Nego min.* Ad eius probationem, *dist. mai.* Ad dignitatem naturae humanae pertinet propria eius personalitas, sive formaliter, sive virtualiter et eminenter, *conc. ;* formaliter tantum, *nego. Dist. min.* Natura humana in Verbo habuit quidquid pertinet ad eius dignitatem, formaliter, *nego;* virtualiter et eminenter, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Eatenus ad dignitatem et perfectionem alicuius naturae pertinet personalitas, quatenus ad dignitatem et perfectionem eius pertinet quod per se existat. Porro, in natura creata non potest inveniri aliquid quod sit melius quam per se existere ; et ideo in natura creata, ad dignitatem pertinet absolute ut per se existat ; sed in ordine supernaturali hoc invenitur speciale, quod aliquid potest existere in aliquo digniori se, et propterea invenire in huius subsistentia sibi communicata, compensationem maioris perfectionis quam esset perfectio quam hauriret ex propria personalitate. Igitur, quia est dignius alicui quod existat in aliquo digniori se, quam quod per se existat, ideo natura humana dignior est in Christo, in quo subsistit subsistentia et personalitate Verbi, quam in nobis, in quibus subsistit subsistentia et personalitate propria.

Cui simile habetur quod, verbi gratia, sensitivum in bruto, per propriam formam sui generis est, et ideo infra sui generis latitudinem hanc dignitatem habet, ut sit completivum naturae in specie. In homine autem sensitivum non est per formam propriam

sui generis, sed per formam altiorem, scilicet per rationale, et per hanc habet dignitatem ut sit completivum naturae in specie. Ita etiam natura humana in aliis quidem hominibus habet infra suae speciei latitudinem hanc dignitatem, scilicet propriae personalitatis; in Christo autem, dignitatem hanc habet tanquam in superiori et digniori in specie, nempe in persona Christi[1].

9. — Difficultas III. — SUBSUMES: Atqui natura humana in Verbo habuit formaliter suam propriam personalitatem. Ergo. — *Prob.* Natura humana individua habet formaliter suam propriam personalitatem. Atqui natura humana in Verbo fuit natura humana individua. — Ergo. *Maior* constat ex data definitione personae, quae est *rationalis naturae individua substantia*, et declaratur auctoritate S. Damasceni[2]: *Natura universalis non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur*. *Minor* demonstratur eiusdem S. Damasceni auctoritate[3], ubi dicit quod Verbum Dei *non assumpsit humanam naturam in universali, sed in atomo*, id est in individuo; et indirecte probatur, secus enim oporteret quod cuilibet homini, conveniret esse Dei Verbum, sicut convenit Christo.

Resp. *dist. mai.* Natura humana individua, quae per se separatim existit, habet formaliter suam propriam personalitatem, *conc.*, si autem existat in alio perfectiori, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Non quodlibet individuum in genere substantiae, etiam in rationali natura, propriam formaliter habet personalitatem, sed solum illud cui convenit *per se separatim existere*. Equidem per se existere cuilibet substantiae convenit, sive completae sive incompletae, per hoc enim distinguitur contra accidens, cui non in se sed in subiecto convenit existere: accidentis enim esse est inesse. Sed *per se (separatim) existere* nulli substantiae convenit, quae est pars alterius, eo quia, ut ait Caietanus, non existit separatim a suo toto. Iamvero, diversa substantiarum genera considerantes, dicimus: 1° animae brutorum per se convenit existere, sed nullo modo per se separatim; 2° animae humanae convenit existere per se, non autem per se separatim in sensu composito, id est dum unita corpori est, bene autem per

1. Ad 2^m. — 2. L. III, Orthod. fidei, c. 2. — 3. L. cit.

accidens separatim, cum accidat ipsi separari a corpore cum quo coniungitur in unitate speciei et hypostasis ; 3° angelo convenit existere per se separatim, est enim ipse sua natura ; 4° naturae humanae in Christo convenit per se existere, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Verbi, quemadmodum manus Socratis, quamvis sit quoddam individuum, tamen, quia non est substantia completa sed pars substantiae, ideo non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori scilicet in suo toto[1].

ARTICULUS III. — *Utrum unio Verbi Incarnati facta sit in supposito vel hypostasi.*

1. — Ratio articuli. — Cum persona aliud re non significet nisi hypostasim, huic quaestioni locus non esset, nisi aliqui, inter veteres theologos, ignorantes habitudinem hypostasis ad personam, dum concederent unionem factam fuisse in persona, et sic nonnisi unam fuisse in Christo personam, tamen negassent unionem factam fuisse etiam in hypostasi, hoc modo cum unitate personae introducentes duas hypostases : aliam Verbi, hominis aliam. Quocirca intentio nostra est ut excludatur alia hypostasis ab hypostasi Verbi, quo melius etiam determinetur nomen proprium huius unionis, quod est ut vocetur *unio hypostatica*.

2. — Quid significet hypostasis. — *Hypostasis* (ὑπόστασις) graece idem est ac latine *substantia* ; at, quemadmodum substantia aliquando sumitur pro essentia seu quidditate rei, aliquando vero pro eo quod subsistit in genere substantiae, ita et vox ὑπόστασις aliquando usurpata est ad significandam οὐσίαν seu quidditatem rei, aliquando vero ad significandam subsistentiam, οὐσίωσιν. Attamen, usu invaluit, praesertim post antiocheni schismatis turbamenta, ut pro eodem sumerentur persona et hypostasis aut suppositum, cum hoc tantum discrimine, quod res aliqua dicitur suppositum aut hypostasis secundum quod supponitur universis quae in ea sunt, eorum recipiens praedicationem ; persona vero

1. Ad 3^m. Cf. Gotti, Tract. I de Deo Incarnato, Quaest. VII. Dub. 2.

dicitur per respectum ad *proprietatem ad dignitatem pertinentem*, in quantum scilicet huiusmodi suppositum vel hypostasis est specialis naturae, scilicet naturae rationalis[1].

3. — PROP. — **Ita facta est unio Verbi cum natura humana in persona, ut sit facta etiam in hypostasi vel supposito.**

Ita hanc veritatem de fide tenendam proponit Conc. Ephesinum[2]: *Si quis non confitetur, carni secundum subsistentiam unitum ex Deo Patre Verbum, utrumque esse Christum cum sua carne, eumdem scilicet Deum et hominem, A. S.* — Quod S. Ioannes Damascenus ita reddit[3]: *In Domino Nostro Iesu Christo duas quidem naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utrisque compositam.* Et rursus[4]: *Incarnatus est igitur Christus, ex Virgine assumens primitias nostrae massae, ut ipsa extiterit in carne hypostasis quae Dei Verbi hypostasis* (est). Iterum[5]: *Unam hypostasim Filii Dei confitemur in duabus naturis perfecte se habentibus, Deitatis et humanitatis, et incarnatam eamdem hypostasim: et has duas naturas custodiri et remanere in Christo post unionem : non seorsum et secundum partes ponentes singulam, sed unitas invicem in unam compositam hypostasim.*

4. — **Probatur.** — α) **Ex ipsa ratione hypostasis.** — Hypostasis aliud re non est nisi persona, cum persona super hypostasim non addat nisi determinatam naturam, scilicet rationalem. Atqui, unio Verbi cum humana natura est facta in persona. Ergo est etiam facta in hypostasi. Hinc in Concilio Constantinopolitano II dicitur[6]: *Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas, A. S. Nec enim adiectionem personae vel subsistentiae suscepit sancta Trinitas ex incarnato uno de sancta Trinitate Deo Verbo.* Porro, subsistentia idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, ut patet per Boëtium[7].

5. — β) **Ex modo quo unio est facta.**— Unio facta in persona et non in hypostasi, est unio facta tantummodo secundum dignitatem quamdam. Atqui unio Verbi cum humana natura

1. Vide quae scripsimus in Tractatu DE SANCTISSIMA TRINITATE, Quaest. XXIX, art. 2.— 2. Can. II.— 3. Lib. III de Fide Orthod., cap. 5. — 4. Cap. 7. — 5. Cap. 3. — 6. Collat. 8, can. 5. — 7. In lib. *de Duabus Naturis*.

non est facta tantum secundum dignitatem. Ergo unio Verbi cum humana natura non est facta tantum in persona, sed etiam in hypostasi.— *Prob. mai.* Quia persona non addit supra hypostasim, nisi proprietatem quamdam ad dignitatem pertinentem. *Minor* constat ex canone tertio Concilii Ephesini, in quo Cyrillus talem sententiam ita damnat : *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem, sola copulans eas coniunctione quae secundum dignitatem quamdam vel auctoritatem est, vel secundum potentiam, et non magis concursu secundum adunationem naturalem, A. S.*

6.— γ) **Ex modo praedicandi.** — Id cui attribuuntur *in concreto* operationes, proprietates et principia naturalia, est hypostasis, sicut hic homo est hypostasis aut suppositum, cui attribuuntur in concreto et ratiocinari, et esse risibile et esse animal rationale : supponitur enim hisce omnibus, eorum praedicationem recipiens. Sed unio Verbi cum humana natura est facta in eo cui attribuuntur in concreto operationes, proprietates et principia naturalia ; nam unio facta est in eo de quo praedicatur quod est Deus et homo, quod est aeternus et temporaneus, quod est Creator et Redemptor, secus ista omnia non verificarentur de uno et eodem. Ergo unio Verbi cum humana natura est facta in hypostasi.

Hinc S. Thomas, super illud S. Pauli[1] : *Formam servi accipiens,* ait[2] quod convenientius dicitur *forma* quam *servus*, quia nomen servus est nomen hypostasis vel suppositi, quod non est assumptum, sed natura. Et sic Filius Dei non assumpsit hominem, sed humanam naturam in persona sua, ut esset idem in persona Filius Dei et Filius hominis.

Quocirca in Concilio Ephesino, legitur[3] : *Si quis personis duabus vel subsistentiis, eas quae sunt in evangelicis et apostolicis scripturis partitur voces, aut de Christo a sanctis dictas aut ab ipso de se, et quasdam quidem veluti homini, praeter illud ex Deo Verbum, specialiter intellecto, applicat, quasdam vero velut Deo decibiles* (θεοπρέπειας) *soli ex Deo Patre, A. S.* Unde concludendum est esse haeresim olim ab Ecclesia damnatam dicere quod in Christo sunt

1. Phil., II, 7. — 2. Lect. II. — 3. Can. 4.

duae hypostases vel duo supposita, aut quod unio non sit facta in hypostasi vel supposito.

7. — **Difficultates** — I. Aliud et aliud important differentiam suppositorum. Sed in Verbo incarnato est aliud et aliud. Ergo in Verbo incarnato est differentia suppositorum. — *Minor* constat auctoritate tum S. Augustini dicentis[1] : *Divina substantia et humana utraque est unus Dei Filius; sed aliud propter Verbum, et aliud propter hominem* ; tum S. Leonis scribentis[2] : *Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis.*

Resp. *Dist. mai.* In rebus creatis, *trans.*; in Verbo incarnato, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Sicut alterum et alterum important accidentalem differentiam, ita aliud et aliud important differentiam essentialem. Porro, in rebus creatis, potest utique ad eamdem hypostasim referri alterum et alterum, quia eadem res potest diversis accidentibus, non modo diversis temporibus, sed etiam uno et eodem tempore, supponi ; sed ad eamdem hypostasim nequit referri aliud et aliud, quia eadem res, finita cum sit, nequit subsistere in diversis formis substantialibus. Hoc tamen in Verbo incarnato verificatur, quod unus idemque Christus subsistit et in divina, et in humana natura. Sed, quemadmodum differentia accidentalis in creaturis non facit differentiam suppositorum, ita nec differentia substantiarum in uno Christo facit differentiam suppositorum, aut hypostaseon. — *Aliud et aliud*, inquit S. Gregorius Nazianzenus[3], *sunt ea ex quibus Salvator est, non autem alius et alius: dico vero aliud et aliud e contrario quam in Trinitate habet : ibi enim alius dicimus, ut non subsistentias confundamus, non autem aliud et aliud*[4]. Sic et in Christo, ad habendam diversitatem suppositorum, necesse esset ut in eo haberetur *alius* et *alius* non autem sufficit ut habeatur *aliud* et *aliud*.

Pari ratione Christus non est dicendus *totum Deus* aut *totum homo*, sed *totus* : TOTUM *enim naturam declarat,* TOTUS *autem personam,* ait Damascenus[5]; Christus autem non est dumtaxat Deus, aut dumtaxat homo, sed est Deus-homo.

1. In Enchir., C. 35. — 2. Ep. X, ad Flav., c. 4. — 3. Ep. I, ad Cledon. — 4. Ad 1ᵐ. — 5. L. III, Orthod. fid., c. 7.

II. Substantia particularis est hypostasis. Sed in Christo est substantia particularis, alia a substantia divinitatis, scilicet corpus et anima, et compositum ex eis. Ergo in Christo est alia hypostasis ab hypostasi Verbi.

Resp. *Dist. mai.* Ut substantia particularis est in suo complemento, *conc.:* ut in unionem alicuius completi venit, *nego. Dist. min.* Per se ultimo terminata, *nego;* terminata per suppositum Verbi, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Non quaelibet particularis substantia est hypostasis, sed illa tantum, quae est in suo complemento; quae autem venit in unionem alicuius magis completi, ut manus vel pes respectu corporis humani, non dicitur hypostasis, sed magis illud completum ad quod concurrit. Ita, quia humana natura in Christo non fuit in suo complemento, sed venit in unionem cuiusdam completi, scilicet totius Christi prout est Deus et homo, ideo non dicitur hypostasis, sed magis ipse Christus, qui in divina et humana simul natura subsistit[1].

8. — Scholion. — Quod humana natura in Christo non habeat propriam hypostasim, non officit quominus Christus, secundum quod est homo, contineatur sub specie humana, et veluti intra naturae nostrae terminos, qui tamen *omnem totius naturae ordinem supereminenter excedit*, ut habet auctor de *divinis Nominibus*[2]. Nam aliqua res singularis non habet quod ponatur in genere vel in specie, ex eo quod pertinet ad hypostasim vel individuum seu materialiter, sed hoc habet ratione naturae, seu formaliter, cum natura determinetur secundum formam, individuatio autem sit magis secundum materiam in rebus compositis. Unde ex eo quod Christus est homo, est in specie humana; sed ex hoc non sequitur quod, praeter hypostasim Verbi, sit etiam in ipso hypostasis humanae naturae[3].

ARTICULUS IV. — *Utrum persona vel hypostasis Christi post Incarnationem sit composita.*

1. — Praenotanda. — In hoc articulo, in quo modus unionis

1. Ad 2^m. — 2. C. 1. — 3. Ad 3^m.

Verbi incarnati consideratur secundum proprietatem compositionis in ipsomet Verbo incarnato, plura praenotanda veniunt.

Primo, *compositum* hic formaliter accipiendum est, nempe ad significandam quamdam veluti coagmentationem, et non *iuxtapositionem* aut *cum* alio *positionem*. Quod tamen analogice erit sumendum; quia, cum omne compositum penes nos constet partibus componentibus, tamen Christi persona, si quidem dicenda erit composita, hoc non erit, nisi exclusa ab hac compositione partium ratione. Divina enim natura non potest dici pars, cum partis ratio imperfectionem semper importet; et, deficiente comparte, nec ipsa humana natura pars dici poterit. Quocirca, Christi persona composita dicetur potius ratione numeri, quam ratione partium; *potius*, inquam, quia, ut postea ostendetur[1], unio Incarnationis ipsi unitati numerali praeeminet, scilicet ratione unitatis divinae personae; ideoque persona Christi dicenda erit composita, secundum quod illud in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum; quo modo compositio summae simplicitati divinae naturae non officit[2].

Insuper, in omni composito, hoc verificatur, quod esse totius est esse partium; sed partes ipsae componentes causant esse totius. Hic vero, esse Christi est unum relate ad divinam et humanam naturam; sed nihil confert humana natura relate ad esse Christi.

Demum, ab hac compositionis ratione erit sedulo eliminanda imaginatio, qua quis putet divinam personam, per humanae naturae accessionem, novo bono coaluisse. Nam, cum divina persona sit bonum actu infinitum, nequit recipere ullum augmentum; aliunde bonum creatum ad increatum bonum se habet ut punctus ad lineam, in quibus ita deest proportio unius ad alterum, ut addito puncto, linea non fiat quid maius, cum linea punctis indivisibilibus non constet.

Itaque compositio adserenda, quam etiam *coniunctionem* Patres passim appellant, dicenda erit *ineffabilis*, aut, cum Magistro, *inexplicabilis*, aut rursus *exigitiva*, quasi ad reparationem humanam, utriusque naturae, de Dei praesenti decreto, fuerit unio necessaria.

1. Art. 9. — 2. Ad 2^m.

2. – **Duplex acceptio personae.** — Porro ad resolutionem praesentis dubii, S. Thomas praemittit duplicem considerationem personae, seu hypostasis Christi: quarum una est personae, secundum *illud quod est in se*, alia vero personae secundum *rationem personae*. Priori modo, sumitur persona secundum suam realitatem, id est, ut res aliqua est, seu quasi materialiter; altero autem modo, sumitur secundum rationem formalem, quae est ut persona subsistat in aliqua natura. Et sic, potest etiam dici quod persona Christi, secundum id quod est in se, sumitur secundum ea quae necessario ipsi conveniunt ab aeterno et ad intra, ut, verbi gratia, esse Deum, esse infinitum, sapientem, etc.; persona autem Christi secundum rationem personae seu hypostasis, sumitur prout est de facto, id est non modo secundum ea quae ipsi conveniunt ad intra, verum etiam secundum ea quae ipsi conveniunt libere, temporaliter et ad extra, id est secundum quod substat divinae et humanae naturae. — Unde patet quod ista distinctio non est in membra totaliter separata, nam in primo includitur aliquid secundi, et in secundo aliquid primi; nec locum haberet ista distinctio, nisi Incarnationis mysterium fuisset revelatum.

3. —PROP. — **Persona Verbi, α) secundum illud quod est in se, est omnino simplex; sed β) secundum rationem personae, dici potest composita.**

Prob. 1ª Pars. — Natura Verbi est omnino simplex. Atqui, persona Verbi, secundum illud quod est in se, nihil aliud significat, nisi naturam Verbi. Ergo persona Verbi, secundum illud quod est in se, est omnino simplex[1].

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Unum subsistens in duabus naturis, ita quod sit ibi alia et alia subsistendi ratio, dicitur compositum. Atqui persona Verbi, secundum rationem personae, significat unum subsistens in duabus naturis, ita quod ibi sit alia et alia subsistendi ratio. Ergo persona Verbi, secundum rationem personae, dicitur composita[2].

Et hanc quidem doctrinam patres tradiderunt. Sic S. Dama-

1. Ad 1ᵐ. — 2. Cf. Billuart, Tract. de Incarn. Diss. IV. a. 2.

scenus[1] : *In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam*; et rursus : *Substantialem autem inquimus unionem, scilicet veram et non secundum phantasiam. Substantialem autem, non duabus naturis perficientibus alteram, scilicet unam compositam naturam, sed unitas invicem in unam hypostasim compositam Filii Dei, et manere eamdem substantialem differentiam determinamus.* Qui etiam haec habet[2]: *Composita fuit quae prius simplex erat Verbi hypostasis, composita vero ex duabus perfectis naturis, divinitate et humanitate; et fert ipsa divinae Verbi Dei filiationis characteristicum et determinativum idioma, secundum quod divisa est a Patre et Spiritu Sancto, et carnis characteristica et determinativa idiomata, secundum quod differt a Matre et reliquis hominibus.*

5. — ***Tacita obiectio.** — Huic tamen principio, quod nempe in persona Verbi sit *alia et alia subsistendi ratio,* videretur opponi id quod ipsemet Angelicus docet, ubi dicit[3] : *Verbum Dei non habet subsistentiam ex natura humana, sed magis naturam humanam ad suam subsistentiam trahit; non enim per illam sed in illa subsistit.*

Cui facile *respondetur*, Verbum Dei ex humana natura non habere quidem quod *simpliciter* subsistat, habere tamen quod subsistat *sic*, id est, in humana natura. Revera, ex eo Verbum habet subsistere simpliciter, ex quo habet esse Verbum Dei, et sic dicitur subsistens sine additione. Sed quod subsistat in humana natura, habet ex tempore, ex eo nempe quod suscepit naturam humanam, quod quidem supponit ipsum iam subsistere simpliciter. Et ita stat et quod Verbum non habeat subsistere simpliciter ex humana natura, cum ipsa advenerit Verbo iam subsistenti ; et quod humana natura sit Verbo ratio subsistendi sic, id est in ea. Unde in persona Verbi est alia et alia subsistendi ratio ; siquidem, aeterna generatio est Verbo ratio subsistendi in divina natura, quasi in fieri, et esse Deum est ipsimet ratio subsistendi in eadem divina natura quasi in facto esse ; dum temporalis generatio eidem Verbo est ratio subsistendi in humana natura, quasi in fieri ; esse vero

1. L. III, Orthod. fid. c. 3. — 2. Ibid., c. 7. — 3. L. IV, C. Gent., c. 49.

hominem est ipsi ratio subsistendi in eadem humana natura, quasi in facto esse[1].

6. — Corollaria. — Ex hisce duo possunt inferri. — I. Persona divina non modo subsistit *in* duabus, aut *cum* duabus, verum etiam *ex* duabus naturis, ut innuitur in symbolo Athanasiano : *Perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens;* et in Pontificali romano in examine episcoporum quaeritur : *Credis... unicum et unum Filium Dei in duabus et ex duabus naturis?* cui ab electo respondetur : *Assentio, et ita per omnia credo.*

II. Natura humana est quodammodo simplicior quam Verbum incarnatum, in quantum Verbum incarnatum est *hic homo*, ut dicit S. Thomas[2], id est, in quantum est id quod in natura humana subsistit ; ut ulterius exponit[3] ; unde et in Quaestione *de unione Verbi Incarnati*[4] ait : *Natura humana est simplicior et formalior illo homine, qui est Verbum caro factum, et non Verbum secundum se*, eo scilicet quia in Verbo incarnato comprehenduntur principia individuantia et accidentia humanae naturae, quae non complectitur ipsamet natura humana.

7. — Scholion. — Multi cum sint compositionis modi, — nam compositio alia est ex partibus quantitativis, alia ex materia et forma, alia ex natura et supposito, alia ex essentia et esse, alia ex genere et differentia, alia ex subiecto et accidente, qui omnes modi important imperfectionem utriusque componentis, — si a compositione quae est ex natura et supposito auferatur id quod est imperfectionis ex parte suppositi, haec compositio poterit utique salvari in persona Christi[5].

8. — Difficultas. — Quod componitur ex aliquibus, est homogeneum eis. Sed persona Verbi non est homogenea componentibus. Ergo persona Verbi non est composita.

Resp. *Dist. mai.* In continuis, *conc.*, in caeteris, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Solum in partibus continui hoc verificatur, quod illud quod componitur ex eis, est homogeneum componentibus ; continuum enim non componitur nisi ex conti-

1. Cf. CAIET. — 2. C. G. L. IV, c. 49, in solut. 6^ae^ obiect. — 3. IBID., in respons. ad 10^m^. — 4. A. 1, ad 15^m^. — 5. CAIET.

nuis, sicut ex corporibus non componitur nisi corpus. Quod etiam patet in linea, quae non potest constare punctis : aut enim linea, esset infinita, aut finita : si infinita, deberet constare punctis actu infinitis, quod repugnat, cum multitudo actu infinita repugnat ; si finita, constaret punctis actu finitis, quae quidem deberent posse esse numero tum pari tum dispari : at non possent esse numero dispari, secus linea per medium nequiret dividi, cum punctum illud medium ponatur indivisibile. Ergo, in continuis quidem, id quod componitur est homogeneum componentibus ; at non in aliis, sicut patet in animali, quod neutrum est eorum ex quibus componitur, scilicet, nec anima, nec corpus : et ita, cum unione duarum naturarum in supposito Verbi nulla continuitatis ratio attendatur, hinc ex eo quod Verbi persona ponitur esse composita, non sequitur ut ambae naturae Christi sint homogeneae supposito[1].

ARTICULUS V. — *Utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo.*

1. — Errores. — Animam in Christo substantialiter uniri eius corpori in dubium revocasse videntur quidam inter antiquos, veriti ne cum Nestorio accusarentur de dividendo in duas hypostases Verbi incarnati personam. At, longe deterior est illorum positio qui praefracte respuunt doctrinam a scholasticis traditam, et ab Ecclesia definitam, qua docetur animam humanam esse formam substantialem corporis ; siquidem eo ipso negare coguntur animam in Christo substantialiter informasse corpus : immo, si ponatur, ut faciunt, animam uniri corpori ut motorem, seu esse principium effective vivificans corpus, iam in Christo inutilis prorsus anima videbitur, quandoquidem *Verbum potest efficere motum quemcunque et vitam multo magis quam anima, si de efficientia mera sit sermo*[2].

1. Ad 3^m. — 2. Satolli, h. l.

2. — PROP. — **Necesse est dicere animam in Christo fuisse corpori unitam.**

Hoc est de fide tenendum, iuxta illa[1] : *Confitemur Unigenitum Dei Filium in iis omnibus, in quibus Deus Pater existit, una cum Patre aeternali subsistentem, partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus in se verus Deus existens, fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile, et animam intellectivam, seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore, in virginali thalamo, ad unitatem suae hypostasis et personae.* Pariter Ecclesia de sponso suo Christo canit[2] : *Animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est.* Sed animatum non dicitur corpus, nisi propter unitam sibi animam. Ulterius S. Paulus[3] dicit de Verbo Dei quod *exinanivit se*, id est incarnatus est, ut exponit S. Thomas[4], *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Atqui similitudo cum forma humana nequit salvari, nisi posita unione substantiali corporis ad animam.

3. — **Rat. theologica** — Christus dicitur homo univoce cum aliis hominibus ; est enim, ut ex Paulo audivimus, eiusdem speciei. Atqui, id ad quod generatio terminatur est species : natura enim per generationem intendit speciem reproducere : unde generatio definitur : *Origo viventis a principio vivente coniuncto in similitudinem naturae eiusdem speciei.* Sed species in rebus compositis non constituitur, nisi per hoc quod forma sit actus materiae. Forma autem nequit esse actus materiae, nisi ipsi substantialiter uniatur. Unde species aut natura humana non est, nisi anima uniatur corpori tanquam forma substantialis eiusdem.

4. — **Corollarium.** — Quae ita cum sint, dicere quod in Christo non fuerit anima corpori unita, est derogare veritati humanitatis Christi, et consequenter haereticum, cuius damnationem habemus in Concilio CP. II[5] : *Si quis non confitetur, sicut sancti Patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali secundum compositionem, id est secundum subsistentiam factam... A. S.*

1. Clement. l. 1, Tit. I, de Summa Trin. et fide cath. — 2. In Circumc. Dom., Ant. ad laudes. — 3. Phil. II, 7. — 4. Comment. ad h. l. — 5. Confess., L. VIII, cap. 4.

5. — Difficultates. — I. Anima corpori unita constituit hypostasim hominis. Sed in Christo non fuit hypostasis hominis. Ergo in Christo anima non fuit corpori unita.

Resp. *Dist. mai.* In puris hominibus, *conc.;* in Christo, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Equidem in puris hominibus, anima unita corpori hypostasim constituit, quia anima et corpus sic in eis coniunguntur, ut per se existant. Sed in Christo, uniuntur ad invicem, non ut per se existant, sed ut adiuncta alteri principaliori quod subsistit in natura ex eis composita; ideoque ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis aut persona, sed ipsum coniunctum praeexistenti hypostasi aut personae advenit.

Et si fiat instantia, dicendo quod igitur unio animae et corporis in Christo minoris est efficaciae quam in nobis, negari debet; nam coniunctio ad nobilius non admit virtutem aut dignitatem, sed auget, sicut principium sensitivum in nobis, ex eo quod coniungitur rationali per quod completur species hominis, virtuosius et nobilius est quam in animalibus, in quibus per se, ut ultima forma, constituit speciem[1].

II. Anima unitur corpori ut vivificet ipsum. Atqui corpus Christi potuit vivificari ab ipso Verbo Dei, quod est fons et principium vitae. Ergo non fuit necesse ut uniretur animae rationali.

Resp. *Dist. mai.* Tanquam principium efficiens, *nego;* tanquam principium formale, *conc. Dist. min.* Corpus Christi potuit vivificari a Verbo, tanquam a principio efficiente, *conc.;* formali, *nego. Nego conseq. et conseq.* — De ratione animae est, ut sit actus, id est forma informans corpus. Porro, sicut unumquodque formaliter est per formam suam, ita corpus vivit per animam, cum esse viventibus sit ipsummet vivere, iuxta illud Philosophi[2] : *vivere viventibus est esse;* unde anima est per quam corpus formaliter vivit; et quia Verbum nequit esse forma corporis, ideo corpus nequit vivere per Verbum[3].

6. — *Quaestio. — *Quisnam sit sensus verborum S. Ioannis*

1. Ad 1^m. — 2. L. II, de An., t. 32. — 3. Ad 3^m.

Damasceni[1]*:* IN DOMINO IESU CHRISTO NON EST COMMUNEM SPECIEM ACCIPERE?

Resp. Huiusmodi verborum sensus non est quod in Christo non fuerit natura *singularis* humanae speciei, cum ipse Damascenus postea[2] dixerit quod Filius Dei assumpsit naturam humanam in atomo, id est in individuo, non quidem in alio individuo quod esset suppositum vel hypostasis illius naturae, sed in ipsa persona et hypostasi Filii Dei; sed sensus est quod in Christo non fuerit humana species communiter accepta.

Porro humana species vel natura non fuit in Christo communiter, triplici sub respectu. — α) Non fuit in Christo natura communis, secundum quod est abstracta ab omni individuo, prout in nuda contemplatione consideratur; sic enim Filius Dei non assumpsisset ipsam rem humanae naturae. Si autem humana natura esset quaedam idea separata, sicut Platonici posuerunt hominem esse sine materia[3], tunc posset dici quod Filius Dei assumpsisset humanam naturam in communi, sed tunc non assumpsisset materiam, quod est contra illud[4]: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* — β) Nec fuit in Christo natura communis secundum quod est in omnibus individuis humanae speciei, sic enim omnes homines assumpsisset, et oporteret quod quilibet homo esset filius Dei. — Denique, γ) natura communis non fuit in Christo, quasi tertia quaedam conflata ex duabus naturis, divina scilicet et humana, ut ponebant monophysitae. Huiusmodi enim natura communis iam est expuncta per primum articulum huius quaestionis, ubi dictum est quod unio non est facta in natura; et insuper si talis daretur communis natura, esset apta nata de pluribus praedicari. Revera, si Christus ex tali natura constitutus generaret, generaret utique simile sibi in specie; ergo alium habentem eamdem communem naturam. Sed, ut addit ipse Damascenus[5], *neque generatus est, neque unquam generabitur alius Christus ex Deitate et humanitate, in Deitate et humanitate Deus perfectus idem et homo perfectus.* Si igitur Christus generasset filium, quia principium *quo* generationis est ipsa natura humana, et

1. Lib. III Orthod. Fidei, c. 3. — 2. Ibid., c. 11. — 3. Cf. Arist. L. I, Metaph. t. 6, 25; l. XV; l. VII, l. XIV. — 4. Luc, XXIV, 39. — 5. Loc. cit.

terminus est in eo qui generatur, scilicet essentia speciei eiusdem naturae specificae ac est forma generantis, ideo perfectum quidem hominem, et absque originalis peccati macula, semper tamen purum hominem generasset; ita quod esse simul Deum et hominem non sit aptum natum de pluribus praedicari[1].

ARTICULUS VI. — *Utrum natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter.*

1. — Ratio articuli. — Cum superius determinatum fuerit unionem Verbi cum humana natura factam fuisse in persona, iam apparet hanc unionem non potuisse esse accidentaliter factam, quia licet aliquid uniatur alicui in persona accidentaliter, ut scientia homini, tamen natura humana sic uniri nequit, quae non accidens, sed substantia est. Cum igitur aliunde noverimus unionem non esse factam in natura vel substantia, restat ut modus praedictae unionis inspiciatur formaliter, ut sciatur utrum aliquid sit veluti medium quoddam inter substantiam et accidens, in quo unio ista sit peracta. Gravis quidem quaestio, hisce praesertim diebus, quibus grassante rationalistarum impietate, alteram a Christo, divinam nempe naturam, scioli quique adimere conantur, quasi Dominum Nostrum nonnisi dolosa astutia, insigne secundi genii munus, ad opera quae patravit complenda, exornaverit.

2. — Quid sit secundum fidem agnoscendum. — Porro imprimis advertendum est catholicam veritatem a duobus scopulis aeque discedere, scilicet hinc Eutychetis et Dioscori, dicentium Christum esse *ex* duabus naturis ante unionem distinctis, non autem post unionem *in* duabus naturis subsistere, illinc vero Nestorii, Theodorique Mopsuesteni, ponentium aliam esse personam Filii Dei et aliam personam filii hominis. Aliquam quidem unionem isti admittebant, sed tantummodo quae accidentalis esset. Nam agnoscebat Nestorius unionem hanc fuisse

1. Cf. Ad 2^m.

factam, α) secundum *inhabitationem*, secundum quod Verbum habitavit in illo homine sicut in templo; β) secundum *unitatem affectus*, secundum quod voluntas illius hominis est conformis voluntati Verbi; γ) secundum *operationem*, secundum quod ille homo est instrumentum Verbi; δ) secundum *dignitatem*, secundum quod omnis honor qui exhibetur Verbo, etiam huic homini est co-exhibendus propter coniunctionem ad Filium Dei; ε) secundum *aequivocationem* aut communicationem nominum, secundum quod ille homo dicitur esse Deus, et viceversa.

Igitur damnatis illis duobus erroribus, confitendum est, secundum fidem catholicam, α) quod una persona est in Christo, contra Nestorium; β) quod ibi sunt duae naturae, divina et humana, et tres substantiae, divinitas, anima et caro, contra Eutychetem; γ) quod duae substantiae, anima scilicet et corpus, fuerunt assumptae a Verbo, contra Manichaeum; δ) quod nec anima nec corpus praeextiterunt unioni, contra Origenem.

3. — *Tres sententiae. — In tribus vero ultimis articulis, asserta est α) unitas hypostasis in Christo; β) compositio personae Christi; γ) unio animae cum corpore in Christo. Porro tres isti articuli cum suis respectivis conclusionibus referuntur ad tres opiniones quas tangit Magister in tertio Sententiarum[1]. Quidam enim, proscriptis quatuor modo recensitis erroribus, putarunt se, a contrariis dogmatibus profectos, aeque veritatis catholicae iter prosequi posse, licet in processu diversas inirent vias.

Nam α) aliqui, admittentes unionem animae et corporis in unitatem naturae, et divinitatis cum humanitate in unitatem personae, posuerunt Verbum assumpsisse hunc hominem, non quidem personam hominis, sed suppositum; unde Christus una quidem tantum persona esset, sed duo supposita; et quia suppositi est esse, hinc in ipso haberentur duo esse, et sic persona Christi non esset composita, sed simplex.

β) Alii vero consenserunt cum istis, citra assumptionem huius hominis: non enim admittebant Verbum assumpsisse suppositum, sed id quod est Christum esse hunc hominem, dicebant

1. Dist. VI.

ab illo haberi ex coniunctione non animae ad corpus, sed utriusque ad divinam personam. Consequenter ponebant in Christo tantum unum esse, et personam Verbi, ante assumptionem, simplicem, post assumptionem fuisse compositam, secundum quod subsistit in duabus naturis.

γ) Alii demum, ab illis et ab istis in exordio discedentes, posuerunt partes humanae naturae fuisse assumptas ut divisas; ideoque istas duas substantias, animam scilicet et corpus, fuisse coniunctas Verbo accidentaliter, quemadmodum vestis coniungitur homini, aut etiam quemadmodum corpus ab angelo in apparitionibus assumitur; consequenter homo in Verbo non praedicaret aliquid compositum ex anima et corpore, sed partes accidentaliter unitas; ideoque aliud foret esse Verbi, aliud esse animae et corporis, illud quidem substantiale, istud vero accidentale, et persona Verbi non esset composita, sed simplex, tum ante, tum post assumptionem.

Ubi patet quod prima positio convenit cum secunda, in eo quod homo de Christo praedicatur in *quid*, licet prima positio in suo decursu hoc amplius sustinere non possit; et tertia convenit cum secunda in eo quod in Christo ponit unum tantum suppositum; sed prima et tertia conveniunt inter se, et sic aeque discedunt a secunda, in eo quod dicunt humanam naturam non pertinere ad personalitatem divinae personae; cum, secundum primam, substantificetur per se, secundum tertiam autem, nullo modo substantificetur; insuper utraque ponit duo esse in Christo, et personam Christi esse simplicem, tum ante, tum post incarnationem.

4. — *Critica. — Magister[1] recensuerat tres istas hypotheses, nulla censurae nota illas inurendo, et S. Thomas illum commentans, in secundam quidem inclinaverat, non tamen sine aliqua formidine. Hic autem altius elevans considerationem et acutius figens mentis intuitum, secundam positionem non opinionem sed doctrinam fidei catholicae fidenter asserit, primam et tertiam sententiam appellans haereses a conciliis damnatas. Et rationem affert, quia utraque in haeresim Nestorii incidit.

1. Loc. cit.

Prima quidem sententia, quia idem est ponere duas hypostases seu duo supposita ac ponere duas personas; et si fiat vis in nomine personae, considerandum est quod etiam Nestorius utebatur unitate personae propter unitatem dignitatis et honoris, non autem secundum rem. Unde Concilium Constantinopolitanum II[1] profert anathema in eum qui dixerit *unam personam secundum dignitatem et honorem et adorationem, sicut Theodorus et Nestorius insanientes conscripserunt.*

Tertia vero opinio in eumdem Nestorii errorem incidit, ex qua parte ponit unionem accidentalem tantum: non differt enim dicere quod humana natura unita fuit Verbo secundum inhabitationem sicut in templo suo, quod asserebat Nestorius, et ponere quod Verbum unitum fuit humanae naturae secundum induitionem sicut vestimento, sicut tertia opinio docebat. Ubi tamen aliquid adhuc peius asseritur, nempe animam et corpus non fuisse unita.

Igitur media incedens catholica veritas, tenet sequentem

5. — PROP. — **Unio Verbi cum natura humana non est facta α)essentialiter, nec β) accidentaliter, sed γ) medio quodam modo, id est secundum hypostasim seu subsistentiam.**

Primum resultat ex damnatione Eutychetis, qui asseruit unionem fieri substantialiter, ut esse hominem aut esse capitatum Socrati; *secundum* est ipsa haeresis Nestorii, qui voluit unionem fieri accidentaliter, ut esse album Socrati. Ergo *tertium* remanet, quod ulteriori probatione non indiget post praedicta.— *Confirmatur* tamen auctoritate Concilii Constantinopolitani II dicentis[2]: *Cum multis módis unitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarii et Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quae convenerunt colentes* (id est interimentes utramque naturam), *unionem secundum confusionem dicunt: Theodori autem et Nestorii sequaces divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt: sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiae impietatem reiiciens, unionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam.*

1. Collat. 8, can. 5. — 2. Loc. cit.

6. — *Confirmatur. — Eatenus humana natura est asserenda Verbo Dei unita, quatenus possit salvari veritas huius propositionis : *Christus aut Verbum secundum quod homo est quid.* Atqui veritas huius propositionis salvari nequit sive in prima, sive in tertia sententia, cum secundum primam sententiam, humana natura formaliter post unionem non haberetur, secundum tertiam vero esset unita Verbo accidentaliter, et ita Christus esset aut *ad aliquid*, aut *aliqualis*, aut aliquo alio modo accidentaliter se habens. Porro confiteri debemus secundum fidem catholicam quod Christus, secundum quod homo, est quid. Revera, in concilio Lateranensi III[1], S. P. Alexander III in animo habebat ut damnaret hanc propositionem Petri Lombardi[2]: *Christus secundum quod est homo, non est quid.* Obiicientibus quibusdam cardinalibus maiora esse negotia pertractanda, quinimmo, ait Pontifex, primum et maximum negotium est tractare de fide et de haereticis. Exeuntibus e concistorio hisce cardinalibus iunxit se quidam Walliae Episcopus nomine Adamus, qui fuerat discipulus Petri Lombardi, dicens se Magistri sui doctrinam defensurum esse. Igitur res in concilio non fuit agitata ; sed paulo post Alexander rescripsit ad Gulielmum Archiepiscopum Rhemensem, suum legatum, qui concilio interfuerat, mandans ut doctores scholarum Parisiorum, Rhemorum et vicinarum urbium adunaret, et auctoritate Pontificis sub anathematis poena prohiberet quominus id deinceps ullus auderet asserere. Unde in actis Concilii Lateranensis[3] legimus : *Cum Christus sit perfectus Deus et perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere quod Christus, secundum quod est homo, non est quid?* Quo decreto, ait Scotus[4], damnata est tertia positio superius recensita.

7. — Quaestio. — *Quonam sensu debent accipi verba S. Pauli dicentis*[5] *quod Filius Dei* HABITU INVENTUS (est) UT HOMO ?

Resp. Primo advertendum est tum ad id quod dicit Augustinus de hoc mysterio, nempe, quod *si rationem haberet, non esset admirabile, et si exemplum haberet, non esset singulare*[6], tum etiam

1. A. D. 1179. — 2. In III. Dist. X. — 3. Cap. *Cum Christus*, de Haeret. — 4. In h. l. — 5. Phil. II, 7. — 6. Relatus a Caiet. in fine, art. 8.

ad id quod tradit Damascenus[1]: *Non est necesse omnifariam et indefective assimilari exempla: quod enim est in omnibus simile, idem utique erit et non exemplum et maxime in divinis: impossibile enim est simile exemplum invenire in omnibus, et in theologia, id est in Deitate personarum, et in dispensatione, id est in mysterio Incarnationis.*

Igitur verba illa hoc sensu intelligenda sunt, quod humana natura in Christo assimilatur habitui seu vestimento, non simpliciter et in omnibus, sed tantum propter duo: α) quia Verbum videtur per humanam naturam, sicut homo per vestimentum; quocirca S. Leo ait: *Deus invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris;* β) propter hoc quod humana natura per suam ad Verbum unionem est mutata in melius, Verbo immutato manente. Est enim quadruplicis generis habitus, ut ait S. Thomas[2]: *unus* qui mutat et non mutatur, ut sapientia immota manens mutat in melius stultum; *alius* qui mutat et mutatur, ut cibus; *tertius* qui nec mutat nec mutatur, ut annulus; *quartus* qui non mutat sed mutatur, ut vestis, quae formatur secundum figuram eius qui eam induit, illo immoto permanente. Et sic humana natura assumpta a Verbo Dei est meliorata, ipsum autem Dei Verbum non est mutatum, ut exponit S. Augustinus[3].

Salvis autem hisce duabus analogiis, non potest dici quod humana natura sit unita Verbo, ut vestis homini. Nam γ) vestis habet aliam hypostasim ab hypostasi, puta, Socratis; humana autem natura non habet aliam hypostasim ab hypostasi Verbi; δ) talis unio est secundum esse accidentale, unio autem humanae naturae ad Verbum est secundum esse substantiale. Revera, vestis, licet sit nomen substantiae, tamen non confert Socrati quod sit vestis, sed tantum quod sit vestitus, quod est in genere accidentis; humana autem natura confert Verbo esse hominem, quod est in genere substantiae et non accidentis. Hinc S. Thomas[4] ait: *Verbum humanam naturam assumpsit, ut vere sit homo. Esse hominem est esse in genere substantiae. Quia igitur ex unione naturae humanae, hypostasis Verbi habet quod sit homo, non advenit ei accidentaliter: nam accidentia esse substantiale non conferunt*[5].

1. L. III, Orthod. Fid. c. 26. — 2. Comment. ad hunc loc. — 3. In l. LXXXIII. Quaest. q. 73. — 4. L. IV, C. G. c. 49, ad 13^m. — 5. Cf. ad 1^m.

8. — Cui Incarnatio sit similis. — Cui igitur similem in natura dicemus unionem istam? Prima fronte videretur simillima insitioni, qua unius naturae ramus inseritur plantae alterius naturae, fierique videtur cum ea unum suppositum continuatione, cum, ut ait S. Augustinus, *quod facit in corporibus situs, hoc facit in spiritualibus ordo*. Et huic positioni consentire videtur S. Scriptura quae Christum radicem nominat, sic, verbi gratia[1] : *Vicit Leo de tribu Iuda, radix David ;* et[2] : *Ego sum radix.*

Sed huiusmodi exemplum, ait Caietanus[3], magis ad metaphoricam, quam ad propriam theologiam spectat. Revera, falso diceretur ibi esse unum suppositum, cum duae sint naturae. Nam, quod ait Philosophus[4], *quaecumque sunt unum numero sunt unum specie*, non valet e converso, sed multo magis in rebus creatis diversitas naturarum exigit diversitatem suppositorum. Ergo ramus insitus non aliter habet suam suppositalitatem, quam si in terra plantaretur ; arbor vero, in qua ramus inseritur, vices gerit terrae alimentum ministrando, licet iam depuratum ; cuius signum est quod non cuiuscumque naturae ramus potest cuilibet plantae inseri, nam *non pyrum recipit quercus*, ait Varro. Et si ponas, ad salvandam unitatem hypostasis, quod ramus inseratur in arbore eiusdem speciei, iam deficit similitudo ex parte dualitatis naturarum, veraque insitionis ratio.

Igitur, *in omnibus rebus creatis*, ait S. Thomas[5], *nihil invenitur huic unioni tam simile, sicut unio animae ad corpus ; et maior esset similitudo, ut etiam Augustinus dicit contra Felicianum, si esset unus intellectus in omnibus hominibus, ut quidam[6] posuerunt ; secundum quos oporteret dicere quod intellectus praeexistens hoc modo de novo conceptui hominis uniatur, ut ex utroque fiat una persona, sicut ponimus Verbum praeexistens humanae naturae in personam unam uniri. Unde propter hanc similitudinem utriusque unionis, Athanasius dicit in Symbolo quod, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.*

9. — Difficultates. — **I.** Quod advenit alicui rei post esse completum, unitur ei accidentaliter : hoc enim est accidens, quod

Apoc. V, 5. — 2. Ibid., XXII, 16. — 3. Hoc loco. — 4. In V. Metaph. — 5. L. IV. C. G. c. 41. — 6. Averr. L. III de Anima, com. 5.

potest adesse et abesse praeter subiecti corruptionem. Sed natura humana advenit Verbo post eius esse completum : advenit enim ipsi ex tempore. Ergo natura humana unitur Verbo accidentaliter.

Resp. *Dist. mai.* Si illud non trahitur in communionem illius esse completi, *conc.*; secus, *nego. Dist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.* — Fatemur quod si illud quod advenit alicui rei post eius esse completum, non trahitur in communionem illius esse completi, unio est accidentalis, quia aliud est esse unius, aliud esse alterius, sicut in homine cui advenit albedo, aliud est esse albi et aliud esse hominis. Sed non ita, in Incarnationis mysterio, res se habet : Verbum enim Dei ab aeterno habuit esse completum secundum hypostasim ; ex tempore autem advenit ei natura humana assumpta ad unum esse hypostasis divinae. Cuius rei potest exemplum haberi in resurrectione, cum corpus adveniet animae praeexistenti et completae secundum esse, nec tamen unio erit dicenda accidentalis. Trahetur enim corpus in communionem illius esse completi animae quantum ad duo : scilicet, quantum ad esse specificum, ut ex anima et corpore una constituatur essentia : et quantum ad esse hypostasis vel personae, ut sit unus homo subsistens in anima et corpore. Sed tamen hoc exemplum valet tantum quoad secundum : natura enim humana non unitur Verbo ut constituat unam specificam naturam cum eo, ut dictum est[1].

II. Quod non pertinet ad substantiam rei, unitur ei accidentaliter, omne enim quod est, aut est substantia aut accidens. Atqui humana natura in Christo non pertinet ad substantiam Verbi. Ergo humana natura in Christo unitur Verbo accidentaliter.

Resp. *Dist. mai.* Sumpta substantia prout significat essentiam aut hypostasim, *conc.*; prout significat tantum essentiam, *nego. Dist. min.* Humana natura non pertinet ad substantiam Verbi, sumpta substantia pro essentia, *conc.;* pro hypostasi, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Dictum est substantiam aliquando sumi pro essentia, aliquando vero pro hypostasi. Ad hoc igitur ut unio esset facta secundum accidens, necesse foret ut nec secundum

1. Ad 2^m. Legendus est Bossuet, Sermon sur la Nativité de Notre-Seigneur, T. II., pp. 83, seqq. ; Liège 1862 ; et iterum pp. 93. seqq.

essentiam, nec secundum hypostasim esset facta : at unio Verbi cum humana natura facta est secundum hypostasim[1]. — Ubi cum Caietano notabis plus significari in eo quod dicitur : *secundum hypostasim*, quam in eo quod dicitur : *in hypostasi*. Nam istud significat tantum inesse et praedicari de eo, quod verificatur etiam de accidente ; illud vero constituit Verbum in hoc quod est esse personam humanam, hypostasim naturae humanae, hunc hominem. Et ita significat *per modum* subsistentiae, quod excludit unionem accidentalem, necnon unionem naturarum.

10. — **Quaestio.** — *Quanam ratione dictum est a S. Ioanne Damasceno quod caro Christi* INSTRUMENTUM DIVINITATIS EXISTIT[2] ?

Ante responsionem notandum est quod S. Thomas, in libro IV contra Gentiles[3], similitudinem quae est inter unionem Verbi cum natura humana, et unionem animae cum corpore, attendendam esse voluerat secundum quod anima unitur corpori ut instrumento, doctorum auctoritate adducta, qui humanam naturam in Christo organum divinitatis esse posuerunt. Instrumentum autem dixerat humanam naturam respectu Verbi, non commune et separatum, ut dolabra qua multi possunt operari, sed proprium et coniunctum, ut manus in homine. Omnes enim homines possunt considerari ut instrumenta extrinseca, quibus Deus agit, qui *operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate*[4]; sed humana natura in Christo *est assumpta ut instrumentaliter operetur ea quae sunt operationes propriae solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam et introducere in perfectionem vitae aeternae*. Obiicienti vero quod illud, cuius est instrumentum proprium debet esse forma eius, responderat S. Thomas hoc non esse necesse, quia verbi gratia, lingua, prout est organum locutionis, est proprium instrumentum intellectus, qui tamen[5] nullius partis corporis actus est. Est etiam aliquod instrumentum coniunctum, ad naturam eius non pertinens cuius est, ut sextus digitus.

At vero, in Summa Theologica[6] altius assurgens S. Doctor,

1. Ad 3^m. — 2. L. III Orthod. Fidei, c. 15. — 3. C. 41. — 4. Phil. II, 13. — 5. Ut habetur in III de Anima, l. 6. — 6. Hoc loco.

unionem hypostaticam unioni quae est per modum instrumenti assimilari quidem concedit, sed sub hoc tantum respectu et cum hac conditione, quod humana natura consideretur ut instrumentum divinitatis subsistens in hypostasi ipsiusmet Verbi. Et si bene consideretur, haec ratio complet et exponit superiorem rationem; instrumentum enim ideo dicitur proprium et coniunctum, quia subsistentia principalioris agentis subsistit.

11. — Solutio difficultatis. — Unde, sic propositae difficultati: Quod unitur alteri tanquam instrumentum, unitur ei accidentaliter. Atqui humana natura unitur Verbo tanquam instrumentum. Ergo humana natura unitur Verbo accidentaliter- duplex dari potest solutio : Primo, *dist. mai.* Quod unitur alteri tanquam instrumentum coniunctum et proprium, unitur accidentaliter, *nego;* tanquam instrumentum separatum et commune, *conc.* — Secundo, *dist. mai.* Quod unitur alteri tanquam instrumentum assumptum in unitatem hypostasis, unitur accidentaliter, *nego;* secus, *conc. Conc. min. Nego conseq. et conseq.*

Quocirca Damasceni verba superius recitata S. Doctor secundum quid approbat; *qui etiam suffragari videtur Cyrillo dicenti [1] : *Hunc Emmanuelem* (id est Christum) *non tanquam instrumenti officio assumptum dicit Scriptura, sed tanquam Deum vere humanatum;* simul tamen censet male dici absolute unionem esse per modum instrumenti : instrumentum enim est nomen causae : unio autem non est facta in *causando,* secus communis esset Patri et Filio et Spiritui Sancto, cum omnis causalitas, sive respectu naturae assumptae, sive in caeteris, sit communis toti Trinitati; sed unio est facta in *essendo ;* est enim primo et per se secundum modum et genus entis per se quod est substantia ; consequenter autem est secundum genus causae, secundum quod humana natura est assumpta ut instrumentum coniunctum operationum Dei [2].

12. — *Rosminii sententia. — Circa unionem humanae naturae cum Verbo, hanc sententiam Rosminius tradidit [3] : *In humanitate Christi, humana voluntas fuit ita rapta a Spiritu Sancto ad ad-*

1. Ep. I ad Monach. Aegypti. — 2. Ad 4^m, Cf. Caiet. — 3. Prop. XXVII.

haerendum esse obiectivo, id est Verbo, ut illa ipsi integre tradiderit regimen hominis, et Verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens humanam naturam. Hinc voluntas humana desiit esse personalis in homine, et cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura.

In quam propositionem haec libeat breviter adnotare. — *Primo*, quam improprie, imo falso dicatur voluntatem esse personam, tum ex dictis resultat, tum fuse ostendunt philosophi[1]. Quam autem falso hoc adseratur theologice, et praesens tractatus ostendit, in quo unam tantum personam et duas voluntates fides in Christo agnoscit, et tractatus de SSma Trinitate, in quo tres personae et una tantum voluntas in Deo praedicantur, abunde confirmat. — *Secundo*, dato etiam quod personalitatis ratio in voluntate consisteret, debuisset tamen ista personalitas in humanitate Christi praeexistere, cum et rapta dicatur a Spiritu Sancto, et illa integre Verbo tradiderit regimen hominis. Aut ergo ista personalitas assumpta est, et ita in Christo duae sunt personae, aut est perempta in assumptione, contra axioma theologicum quod nihil humanae naturae Verbum assumens peremerit. *Natura nostra*, ait S. Leo[2], *non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.* Perempta autem sic in Christo humana voluntate, profecto deerit naturae humanae integritas. — *Tertio*, in quocumque casu, unio ita facta, erit unio accidentalis, cum voluntas sit mera potentia animae rationalis cuius proinde ratio consistet in sola morali affectione, id est in coniunctione voluntatum, ut posuerat Nestorius [3].

Huic sententiae haud multum dissimile est quod docuerat Antonius Günther, qui personae rationem in hominis conscientia reponens, ad hoc vi suae positionis adductus est, ut duas esse in Christo personas admitteret, ad unam personalitatem relatione tantum revocatas, quem Pius IX condemnavit[4].

1. Vide Lorenzelli, Philosophiae theor. Inst. T. I, p. 284. Romae 1896. — 2. Epist. 25, al. 11, ad Iul. Ep. Coens. — 3. Cf. Rosm. Prop. Trut. theol., p. 267. Rom. 1892. — 4. Litt. ad Card. de Geissel, 15 iun. 1857.

ARTICULUS VII. — *Utrum unio naturae divinae et humanae sit aliquid creatum.*

1. — Advertenda. — In hoc articulo, in quo de ultima formali ratione unionis Verbi cum humana natura quaeritur, plura praenotanda veniunt.

I. Hic non sumitur unio pro *actione unitiva,* quae sane toti Trinitati communis est, quae quidem actio est divina Essentia cum relatione ad creaturam ; quatenus autem consideratur in creatura, est quaedam mutatio in ipsa, sicut generatio est mutatio in genito a non esse ad esse.

II. Sed nec unio hic sumitur secundum quod significat coniunctionem, seu unitatem duorum, naturae scilicet divinae et humanae seu *fundamentaliter,* quo sensu in prioribus articulis de ipsa egimus; quia, ut advertit Caietanus[1] unio ita accepta non est aliquid creatum, sed creator. Quod ex eo patet, quod per illudmet unumquodque est unum per quod est ens ; et cum Christus per esse substantiale subsistentiae personae divinae habet quod sit ens, per hoc etiam habet quod ipsi coniungatur natura humana : unde esse istius coniunctionis est divinum et increatum. — Nec obstat quod haec coniunctio incoeperit esse ex tempore, quia, pergit Caietanus, *haec coniunctio, quantum ad illud quod ponit in ipso* (Christo) *esse secundum se, non incoepit esse ex tempore, sed est ab aeterno, licet quantum ad hoc quod natura humana sortita sit illud subsistere, incoepit esse ex tempore.* Quod et exemplo illustrat : si enim anima rationalis fuisset ab aeterno sine corpore, et corpus ipsi postmodum adveniret, coniunctio vel unitas, licet quantum ad hoc quod corpori communicatur inciperet ex tempore, tamen quantum ad esse quod ponit in ipso secundum se, esset ab aeterno.

III. Igitur unio nunc sumitur *formaliter,* scilicet secundum quod significat *relationem quae sequitur coniunctionem,* quae quidem non est aliud re quam ipsa habitudo unitorum, ex ipsa eorum

1. Hoc loco. Cf. Billuart, Tract. de Inc. Diss. IV. a. 3.

coniunctione orta, quae habitudo in creatura quidem realis est, in Deo vero rationis tantum, cum ipse mutari non valeat; seu est relatio quae consideratur inter naturam divinam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei. Quod contra Vasquesium dicitur, Caietani sententiam respuentem [1], et contendentem quod unio est in humana natura *modus substantialis relatus*, non autem relatio vera, accidentalis et realiter distincta, unionem sequens. Igitur, hoc sensu accepta unione, dicimus

2. — PROP. — **Unio naturae divinae et humanae est aliquid creatum.**

Prob. α) Omne quod incipit esse ex tempore est aliquid creatum. Atqui unio naturae divinae et humanae incepit ex tempore, non enim fuit ab æterno. Ergo est aliquid creatum. — Ubi manifestum est hic sumi unionem non fundamentaliter, ut dictum est, scilicet prout significat unum esse substantiale utriusque naturae, sed formaliter, secundum quod relationem significat.

β) Omnis relatio quae consideratur inter Deum et creaturam est aliquid creatum. Atqui unio naturae divinae et humanae est relatio quae consideratur inter Deum et creaturam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei. Ergo est aliquid creatum. — *Prob. mai.* Quod realiter est in creatura, ratione autem in Deo, est aliquid creatum. Atqui relatio inter Deum et creaturam realiter est in creatura, ratione autem in Deo. Ergo relatio quae est inter Deum et creaturam est aliquid creatum. — *Minor huius argumenti prob.* Quod non innascitur nisi secundum mutationem creaturae, est realiter in creatura et ratione tantum in Deo. Atqui relatio inter Deum et creaturam non innascitur nisi secundum mutationem creaturae. Ergo relatio inter Deum et creaturam est realiter in creatura, et ratione tantum in Deo.

3. — **Difficultas.** — Quod est in Deo, increatum est : nihil enim creatum in Deo esse potest. Atqui unio est in Deo, nam Deus ipse est humanae naturae unitus. Ergo unio naturae divinae et humanae est quid increatum.

1. Hoc art. Disp. 18.

Resp. *Dist. mai.* Quod est in Deo realiter, *conc.*; secundum rationem, *nego. Dist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.* — Revera, haec unio non est in Deo realiter, sed solummodo secundum rationem : nam dicitur Deus unitus creaturae, ex eo quod creatura est ipsi unita absque Dei immutatione, non secus ac columna, immota manens, dicitur dextera ex eo quod homo est ipsi a sinistra, absque ulla columnae immutatione, et Deus ipse dicitur vere creator et Dominus, ex eo quod habet creaturas sibi subiectas, absque tamen ulla sui immutatione[1].

Porro, in praedicta unione, sicut in omni relatione, sedulo distinguenda est ratio veluti generica a ratione formali : nam secundum illam, relationis esse est *esse in*, sicut cuiusvis accidentis : secundum hanc vero relationis esse est *esse ad*. Et quia esse relationis pendet a subiecto, subiectum autem relationis, secundum quod consideratur eius generica ratio, est natura humana, ideo ista relatio in natura creata habet esse creatum[2]. Esse autem *ad*, seu ratio formalis relationis pendet ex fine vel termino, sicut etiam ratio cuiuscumque motus ; et quia terminus seu finis unionis praedictae est divina hypostasis, seu persona ad quam facta est unio, ideo ex hac parte relatio ista quamdam infinitatem induit, non secus ac peccatum, quod est quidem entitative finitum, ex obiecto tamen quamdam infinitatem induit.

4. — ***Scholion**. — Ex eo quod unio sic accepta est quid creatum, non sequitur quod natura sit unita hypostasi divinae per aliquod accidens, ut volebat Nestorius : nam, ut habet S. Doctor[3], *homo dicitur creator, et est Deus, propter unionem, in quantum terminatur ad hypostasim divinam*, quod est idem ac dicere quod homo dicitur Deus propter unionem, non prouti formaliter accipitur, sed prouti sumitur fundamentaliter, scilicet pro coniunctione, quam sequitur ratio formalis relationis in humana natura ad hypostasim Verbi.

Revera, considerandum est quod humana natura potest intelligi referri aut ad divinam naturam simpliciter, aut ad divinam naturam sic, id est prouti est hypostasis Verbi, quae tamen hypostasis

1. Ad 1^m. — 2. Ad 2^m. — 3. Ad 3^m.

composita est. Primo modo, natura humana refertur ad divinam naturam relatione quae realis est; et propterea divina natura ad humanam etiam refertur vere, licet non realiter : non autem propter talem relationem, homo dicitur Deus. Alio modo natura humana refertur non ad divinam hypostasim quomodolibet, sed ad divinam hypostasim unam personaliter in utraque natura, quemadmodum corpus refertur ad animam non quomodolibet, sed ad animam communicantem suum esse substantiale corpori : et propter relationem sic acceptam, homo est Deus. Unde causa cur homo sit Deus, non est relatio unionis simpliciter, sed relatio unionis prout terminatur ad hypostasim divinam, ubi Iy *prout terminatur ad hypostasim divinam diminuit*, ait Caietanus[1], *causalitatem relationis, imo adimit causalitatem a relatione, et transfert causalitatem illam ad terminum. Sicut enim cum dicimus quod generationis motus, in quantum terminatur ad substantiam, est in genere substantiae, intendimus quod generatio ratione termini sortitur et dat esse substantiale, ita dum dicitur quod relatio unionis, in quantum terminatur ad hypostasim divinam, hoc est ratione hypostasis divinae ad quam terminatur, dat quod homo est Deus.* Ubi hypostasis divina complete sumitur, id est prout terminat relationem realem unionis naturae humanae ad ipsam.

Quae ita cum sint, non sequitur instantia : cum *propter quod unumquodque tale, et illud magis*, si propter unionem homo est creator, ergo multo magis unio ipsa debet dici creator; nam propter unionem, homo est creator, prout unio sumitur fundamentaliter, non autem prout sumitur formaliter; ita ut in primo signo rationis intelligere debeamus personam Verbi assumentem naturam humanam, in unitatem hypostasis; ad quam unionem, aut melius unitatem, sequitur relatio unionis quae profecto est quid creatum. Unde terminus totalis unionis est persona Verbi quatenus est composita, id est quatenus subsistit in divina et humana natura[2].

5. — Corollarium. — Ex hac doctrina sequitur quod non potest dari aliquis nexus medius formaliter uniens naturam

1. Hoc. loco. — 2. Ad 1^m.

humanam Verbo, sed Verbum immediate seipso terminat et sustentat naturam humanam. — *Sciendum est*, ait S. Doctor[1], *quod in unione humanae naturae ad divinam, nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura coniungatur, quam divinae personae: sicut enim inter materiam et formam, nihil cadit medium in esse quod per prius sit in materia quam forma substantialis, alias esse accidentale esset prius substantiali quod est impossibile, ita etiam inter naturam et suppositum non potest aliquid dicto modo medium cadere, cum utraque coniunctio sit ad esse substantiale.* Consequenter longe a vero aberrant qui hanc unionem appellant *habitum qui personam assumentem inter, naturamque assumptam intercedit*[2]: quod si ita foret, vix esset unde conclamantes unionem accidentaliter factam fuisse, redargui possent.

ARTICULUS VIII. — *Utrum unio Verbi incarnati sit idem quod assumptio.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam constiterit quid formaliter sit unio Verbi cum humana natura, quae etiam aliquando consuevit appellari *conventio, foederatio, copulatio*, etc., modo debet comparatio institui inter huius vocis significatum et significatum, seu rationem formalem significatam a voce *assumptio*, aut etiam a voce *susceptio*; cui etiam adiungetur specialis disquisitio circa voces *incarnatio, inhumanatio*, aut etiam *incorporatio*.

2. — PROP. — Unio Verbi incarnati non est idem — I. quod assumptio, nec II. quod incarnatio.

I. Revera discrimen inter *unionem* et *assumptionem* resultat :

α) **Ex diversitate eius quod ab utraque importatur.** — Siquidem prima et principalis differentia inter unionem et assumptionem est, quod unio formaliter importat *relationem* quae consequitur coniunctionem sive assumptionem, assumptio vero significat *actionem*, secundum quam aliquis dicitur assumens, et *passionem*,

1. In 3. Dist. II, q. 2, a. 2, quaest. 3. — 2. HURTER, Theol. spec. p. 1. Tract. VII. in prooem. Œniponte, 1883, p. 321.

secundum quam aliquid dicitur assumptum. Quod ex eo apparet quod unio importat relationem quamdam divinae naturae et humanae, secundum quod conveniunt in una persona : omnis autem relatio quae incipit esse ex tempore, ex aliqua mutatione causatur, sive in utroque termino, ut cum pater generat filium, sive in alterutro termino, sicut cum homo ex indocto fit doctus, scibili immoto manente. Porro mutatio consistit in actione et passione : unde assumptio significat actionem et passionem, unio autem relationem importat ; et haec est prima differentia.

3. — β) **Ex diverso modo significandi.** — Secunda autem differentia, quae ex praecedenti oritur, est quod assumptio dicitur sicut *in fieri,* unio autem sicut *in facto esse :* et propterea uniens dicitur unitum, assumens autem non dicitur assumptum, sicut Filius qui univit sibi humanam naturam, dicitur uniens et unitus ; ex hoc vero quod assumpsit humanam naturam, dicitur quidem assumens, non autem assumptus. Et ulterius Filius Dei dicitur homo, non autem dicitur humana natura. Cuius diversitatis ratio est quod homo significatur ut in termino assumptionis humanae naturae, ideoque in facto esse, unde dicere : Filius est unitus humanae naturae, est idem ac dicere : Filius est homo ; necesse est enim humanam naturam subsistere in aliquo supposito quod est aliquis homo ; in utroque autem casu natura significatur ut in termino assumptionis ad divinam hypostasim, et per hoc iam subsistens subsistentia Verbi. Sed nequit dici quod natura humana assumpta sit Filius assumens, quia naturam humanam assumi significatur non ut in termino, sed quasi in fieri, ideoque quasi non habens esse subsistens actu, ac per hoc significatur in abstracto. In Filio autem, non est humana natura ut abstracta, ideoque nequit dici quod Filius est humana natura. Dicitur tamen quod assumit humanam naturam, quatenus operatur ad humanae naturae assumptionem, et haec est quasi in via ad unionem. — Quia igitur uniens est unitum, ideo potest dici quod Filius unit et quod est unitus, et quod Filius est homo ; quia autem assumens non est assumptum, nequit dici aut quod Filius assumatur, aut quod Filius sit humana natura : ubi tamen advertatur id quod dicitur, nempe *uniens dici unitum*, non uni-

versaliter sed permissive esse accipiendum : nam Pater unit, qui tamen non unitur. E contra, quod assumens sit assumptum, universaliter et per se negatur[1].

4. — γ) **Ex diversitate determinationis termini.** — Tertia differentia in hoc consistit, quod unio indifferenter se habet ad utrumque terminum, assumptio autem determinat terminum *a quo* et terminum *ad quem.* — Revera, unio significat relationem, relatio autem, maxime aequiparantiae, non magis se habet ad unum extremorum quam ad aliud : tam enim pater est similis filio, quam filius patri. Quocirca, cum unio non magis se habet ad unum unitorum quam ad alterum, aeque dicitur quod natura humana est unita Filio Dei, et quod Filius Dei est unitus naturae humanae. Sed assumptio utrumque terminum determinat : incipit enim agens a termino a quo, et procedit ad terminum ad quem, unde dicitur assumptio, quasi *ab alio ad se sumptio:* unde possumus quidem dicere quod Filius assumpsit humanam naturam, quia humana natura adiuncta est ad personalitatem divinam, ut persona divina in ipsa subsisteret, non autem quod Filius aut natura divina fuerit assumpta ab humana, quia non fuit adiuncta ad personalitatem humanam, ut persona humana in divina natura subsisteret. Unde, licet sit idem terminus assumptionis et unionis, scilicet hypostasis divina, tamen quia ad hunc terminum unio et assumptio non eodem modo se habent, sed diverso, ideo non idem sunt unio et assumptio, motus enim specificatur secundum terminum eodem modo se habentem[2].

5. — **Corollarium.** — Ex hoc sequitur quod non sint omnino idem, uniens et assumens, unitum et assumptum. — *Uniens* et *assumens;* nam persona Patris est uniens, non autem assumens, cum univerit quidem naturam, at non sibi, sed Filio; persona autem Filii, cum sibi univerit naturam humanam, est uniens simul et assumens. Quocirca in Concilio Toletano XI[3] dicitur : *Incarnationem quoque huius Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae.* — Pa-

1. Cf Caiet. — 2. Ad 1[m]. — 3. In Conf. Fid.

riter, *unitum* et *assumptum* idem omnino non sunt; nam divina natura dicitur unita, sed non assumpta[1].

6. — II. Discrimen inter assumptionem et incarnationem. — Discrimen istud in hoc consistit, quod *assumptio* determinat cui facta est copulatio ex parte *assumentis :* assumptio enim dicitur quasi *ad se sumptio;* sed *incarnatio* et pariter *inhumanatio* hoc potius determinant ex parte *assumpti:* denotant enim quid fuerit assumptum, scilicet caro vel natura humana. Et propter hoc, assumptio differt ab incarnatione; pariterque unio ab utraque differt, quia neutrum terminum connotat, sed tantum copulationem[2]. Unde Damascenus ait[3]: *Aliud est unio, aliud incarnatio : nam unio solum demonstrat copulationem, ad quod autem facta est copulatio, non adhuc,* πρὸς τὸ δὲ γέγονεν ἡ συνάφεια, οὐκ ἔτι : *humanatio autem et incarnatio determinant ad quod facta sit copulatio.*

7. — *Corollarium. -- Ex hinc sequitur quod inter *assumptionem* et *incarnationem* est tantum differentia rationis; sed inter *assumptionem* et *unionem*, est differentia realis. — Primum sequitur ex dictis : alterum probatur ex eo quod unio habet pro termino relativum; assumptio autem pro termino suo, proprie loquendo, habet ens absolutum, quod est non persona Filii Dei sola, non haec natura humana sola, sed Filium Dei esse hominem, quod est esse in genere substantiae et non in genere relationis : non enim aliter confitemur in Symbolo Nicoeno CP. : *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* Hoc negare, est cum Nestorio sentire, et tenere, id quod Alexander III damnavit, quod Christus, secundum quod homo, non est quid, sed ad aliquid[4]. — *Ex vi assumptionis*, ait Caietanus[5], *non fit Filius Dei, non fit natura humana, sed fit esse hominem non in communi, sed hunc : et similiter, si separaretur natura humana, corrumperetur non natura humana sed esse hominem hunc. Nam si sibi relinqueretur natura humana, non esset idem homo, sed alius homo fieret, qui in natura illa subsisteret ; non enim Christus subsisteret in illa natura, sed alius homo.*

1. Ad 2^m^. — 2. Ad 3^m^. — 3. L. III. Orthod. Fid. c. 11. — 4. Vide supra, p. 127. —5. Hoc loco.

Revera, ex hoc quod anima unitur corpori, non fit nec anima nec corpus, sed subiectum in compositione consistens, seu esse absolutum, super quod consurgit unionis relatio, nam oportet prius naturâ intelligi terminari informationem, quam consurgat relatio corporis ad animam et viceversa, et si anima migraret in aliud corpus, constitueret aliud numero esse et aliud vivum. Ita prius naturâ intelligi debet terminari assumptionem, quam consurgat assumpti relatio : et si separaretur haec humanitas a Filio Dei, remanente eadem numero natura humana, non remaneret idem homo : alius enim homo subsisteret et non Christus, quanquam haberetur composita natura humana.

ARTICULUS IX. — *Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum.*

1. — Ratio articuli. — In hoc articulo S. Thomas sumit unionem non formaliter prout est relatio, sicut duobus articulis praecedentibus sumebatur, relativa enim per se non accipiunt magis et minus ; sed eam sumit prout est substantialis coniunctio, ut patet ex introductoriis verbis in corpore articuli : *Unio importat coniunctionem aliquorum in aliquo uno*, sicut album et dulce in pomo uniuntur. Porro, unio sic accepta potest considerari, tum ex parte eorum quae coniunguntur, sicut albi et dulcis, tum ex parte eius in quo coniunguntur, sicut pomi.

Durandi sententia fuit[1] unionem Incarnationis esse maximam quantum ad dignitatem, non quantum ad rationem intrinsecam unionis. Hic vero contendimus unionem hanc esse maximam, non solum dignitate, sed propria unionis ratione.

2. — PROP. — Unio duarum naturarum in Christo, non quidem α) ex parte eorum quae coniunguntur, sed β) ex parte eius in quo coniunguntur est maxima unionum.

Prob. 1ª Pars. — Eorum quae in infinitum distant, non est maxima unio : quanto enim ea quae uniuntur magis distant,

1. 3, Dist. V, q. 1.

tanto minor est unio. Atqui ea quae secundum hanc unionem uniuntur, scilicet natura divina et humana, maxime distant : distant enim in infinitum. Ergo unio duarum naturarum in Christo, ex parte eorum quae uniuntur non est maxima unionum[1].

3. — **Prob. 2ª Pars.** — Id in quo duae naturae in Christo uniuntur habet maximam unitatem : est enim persona divina, cuius unitas est summa. Atqui unio, secundum quam aliqua uniuntur in aliquo quod est maxime unum, est maxima unionum ex parte eius in quo uniuntur. Ergo unio Incarnationis, ex parte eius in quo fit unio, habet praeeminentiam inter alias uniones. — *Confirmatur*. Cum unum non sit nisi ens indivisum, illud est maxime unum, quod est maxime ens et maxime indivisum. Atqui persona divina est maxime ens, cum non habeat esse determinatum per aliquam naturam cui adveniat, sed sit ipsum esse subsistens omnibus modis indeterminatum : insuper est maxime indivisa, quia nec actu nec potentia dividitur[2]. Ergo unitas duarum naturarum in esse personali Verbi est maxima.

4. — ***Scholia — I.** Unio ista praestat *unioni animae et corporis* in nobis : quia, licet haec sit *extensive* maior, cum ex illis unitis resultat non solum una persona sed etiam una natura, tamen *intensive* et simpliciter unio Incarnationis est maior, nam unitas divinae personae est maior unitas quam personae et naturae in nobis[3]. Revera, anima et corpus sic uniuntur substantialiter in nobis, ut cum imperfectione partium uniantur; et quidem in unionem creatam conveniunt, non vero in unionem incorruptibilem, qualis est unio divinae personae; ideoque unio animae cum corpore morte solvitur, non autem unio Incarnationis[4].

II. Praestat quoque ista unio *unitati numerali* quae est principium numeri. Nam, unitati numerali competit ratio partis, cum sit pars numeri; et ipsa recipitur in aliis per participationem, scilicet in rebus numeratis. E contra, unitati divinae personae non competit ratio partis, cum sit completa, habens in se quidquid ad rationem unitatis pertinet ; insuper ipsa est unitas increata per se

1. Ad 2m. — 2. Cf. 1. Part., q. XI, a. 4. — 3. Ad 3m. — 4. Cf. S. Leo, Serm. XVIII de Pass.

subsistens, non recepta in aliquo per participationem. Et propter hanc rationem unio Incarnationis praeeminet unitati numerali, et quidem ratione unitatis divinae personae, non vero ratione naturae humanae quae non est ipsa unitas divinae personae, sed ei est *unio* unita[1].

III. Est etiam maior haec unio *unione accidentium in Christo, necnon unione iustorum in Deo;* nam accidentia non uniuntur Verbo, nisi mediante humanitate; et iusti Deo non uniuntur personaliter, nec Deus illis communicat suum esse et suum subsistere: sed aliud est esse sanctorum, et aliud esse Dei.

5. — *Quaestio. — *Utrum unio Incarnationis sit maior quam unio trium personarum in una divina Essentia?*

Resp. Licet affirmative videretur prima fronte respondendum esse propter auctoritatem S. Augustini dicentis[2] *quod homo potius est in Filio Dei, quam Filius in Patre,* tamen responsio negativa est retinenda, quam ita tradit S. Bernardus[3]: *Inter omnia quae recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres Personae una substantia sunt: secundo loco illa praecellit, qua e converso tres substantiae una in Christo persona sunt.* Revera, hunc adunationis modum esse superiorem omni alia adunatione, patet ex eo quod simplicitas divinae naturae in tribus distinctis personis quamcumque compositionem excludit.

Ad auctoritatem vero S. Augustini, dicendum est quod homo potius est in Filio Dei quam Filius in Patre, habita ratione unitatis personalis in concreto, quia nempe homo, prout sumitur pro Christo, non distinguitur a Filio Dei, nec realiter nec personaliter, Filius autem distinguitur a Patre personaliter: unde Filius est in Patre per circuminsessionem, homo vero est in Filio Dei per identitatem personalem: supponitur enim idem in hoc quod dico *homo* et *Filius Dei,* non autem supponitur idem in hoc quod dico *Filius* et *Pater*[4]. At Filius et Pater, in tertio, idest in natura divina, magis constituunt unum quam natura divina et humana: quia Filius et Pater ita sunt *in* natura divina, ut sint etiam *natura*

1. Ad 1[m]. — 2. L. I, de Trin. c. 10. — 3. L. de Consid. c. 8. — 4. Ad 3[m].

divina; sed licet natura divina sit persona Verbi, tamen natura humana non est persona Verbi, sed tantummodo est in ipsa. Unde recte facultas theologica Parisiensis[1] damnavit propositionem Ioannis Monsonii docentis quod unio hypostatica est maior quam unio trium divinarum personarum in Essentia divina, quam sententiam Clemens VII anno sequente Avenione ratam habuit.

ARTICULUS X. — *Utrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.*

1. — Quid sit gratia. — Antequam exponatur qualiter unio humanae naturae cum hypostasi divina se habuerit relate ad suam causam sive effectivam sive meritoriam, necesse est quid nomine gratiae veniat ex alibi traditis repetere.

Gratia dilectionem gratuitam significat; dilectio autem potest sumi aut pro actu diligentis, aut pro ipso effectu dilectionis. Et si quidem sumatur pro actu diligentis, nihil aliud est quam bona ipsius voluntas; si autem pro effectu, significat donum quod diligens dilecto facit. Ita igitur dilectio sive gratia Dei potest sumi aut active, scilicet pro ipsa voluntate Dei gratis aliquod dantis, aut passive, nempe pro ipso gratuito Dei dono. Et si quidem pro primo sumatur, dicit actum Dei liberum quidem, sed Deo coessentiale et coaeternum; si autem pro secundo, quia omnis Dei effectus est in tempore, temporaneum quid connotat.

Iamvero, gratia, in hoc duplici sensu accepta, potest sumi tum communiter, tum specialiter, sive tum in ordine naturali, tum in ordine supernaturali. Communiter quidem et in ordine naturali habetur gratia improprie dicta, nempe relate ad esse, vivere et caetera quae sunt de rerum essentia : haec enim et sunt dona gratuita, et ex bona Dei voluntate conferuntur, at non sunt supra naturae debitum; specialiter autem et in ordine supernaturali gratia proprie dicitur id quod transcendit facultatem naturae, scilicet relate ad bonum divinum seu aeternum. Bonum autem divinum

1. A. D. 1387.

seu supernaturale duplex est : unum, quo homo elevatur ad cognitionem et amorem Dei secundum se; aliud vero, quo elevatur ad esse personale ipsius Dei. Primum commune est omnibus sanctis, alterum manet proprium Christi. Iamvero, quia ad perfectionem operationis requiritur habitus, ideo gratia sanctorum habitualis est ; sed ad hoc quod homo sit Deus, iam dictum est non debere haberi aliquid medium ; propterea hic dubitatur quomodo gratia ad opus Christi Incarnationis se habuerit : est enim specialissimum hoc opus, nec cuivis contingit esse Filium Dei, aut ipsemet Christus hoc habet secundum principia suae naturae humanae.

Quapropter proposita quaestio in hoc resolvitur, ut quaeratur utrum praedicta unio sit facta per gratiam, prout gratia sumitur α) pro bona Dei voluntate; β) pro habituali dono; γ) pro ipso personali esse duarum naturarum in Verbo.

2. — PROP. — **Unio duarum naturarum in Christo est facta α) per gratiam, sumptam pro ipsa Dei voluntate gratis vel gratum aliquid faciente, non autem β) sumptam pro habituali gratiae dono, quin potius γ) est ipsamet gratia quaedam, scilicet singularissimum et omnino gratuitum Dei donum.**

α) **Unio duarum naturarum in Christo est facta per gratiam, sumptam pro ipsa Dei voluntate.** — *Prob.* Id per quod humana natura elevatur in Deum hypostatice, fit per gratuitam Dei voluntatem : quod enim humana natura in Deum quocumque modo elevetur, est supra facultatem creatae naturae; ideoque oportet quod elevatio humanae naturae in Deum hypostatice fiat per gratuitam Dei voluntatem. Atqui, per unionem Incarnationis, humana natura elevata est ad esse personale Filii Dei. Ergo unio Incarnationis facta est per gratuitam Dei voluntatem. Hinc S. Augustinus ait[1] : *Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus.*

3. — β) **Unio Incarnationis non est facta per gratiam habitualem.** — *Prob.* Elevatio naturae humanae ad esse personale

1. L. de Praedest. SS. c 15.

Filii Dei, non est facta per habituale gratiae donum, nam haec est differentia inter elevationem naturae humanae in Deum per operationem qua sancti cognoscunt et amant Deum, et elevationem ad esse personale qua aliquis homo est ipsemet Filius Dei, quod cum ad perfectionem operationis requiritur quod potentia sit perfecta per habitum, hinc ad talem elevationem, praeter gratuitam Dei voluntatem, requiritur etiam habituale gratiae donum, quo informetur anima ad perfectam operationem habendam; cum autem ad hoc ut natura habeat esse in supposito, non requiratur habitus medius, hinc ad elevationem humanae naturae ad esse personale Verbi, non requiritur habituale gratiae donum. Atqui per unionem Incarnationis, humana natura elevata est ad esse personale Filii Dei. Ergo ad hanc unionem non requiritur habituale gratiae donum, immo requiritur ut non adsit medians habituale gratiae donum, secus unio foret tantum accidentalis.

4. — *__Confirmatur__ — **I.** Eodem modo se habet natura humana ad personam Christi, quo se habet natura Socratis ad eius personam. Atqui nullo mediante natura Socratis ipsius personae unitur. Ergo.

II. Subiectum gratiae non est nisi essentia animae : sed uniri personae Verbi pertinet ad totam naturam humanam. Ergo.

5. — *__Corollarium__. — Igitur, in hoc differt Sanctus Sanctorum ab aliis sanctis, quod isti quidem Deo uniuntur, et Deus in ipsis est, sed per gratiam habitualem, ut cognitum in cognoscente et amatum in amante; ille vero secundum subsistentiam sive personam Deus est[1]. Unde Aligherius, restaurationis humanae exordia repetens, Verbum dicit humanam naturam sibi in persona univisse solo actu aeterni amoris. Sic enim canit[2]. :

Per non soffrire alla virtù che vuole
Freno, a suo prode, quell' uomo che non nacque,
Dannando sè, dannò tutta sua prole :
Onde l'umana specie inferma giacque,
Giù per secoli molti in grande errore,
Fin ch' al Verbo di Dio discender piacque,

1. Ad 3^m. — 2. Parad. VII, 25 sqq.

U' la natura che dal suo Fattore
S'era allungata, unito a sè in persona
Con l' atto sol del suo eterno amore.

6. — α) **Unio Incarnationis est ipsummet gratuitum Dei donum, seu gratia singularissima.** — *Prob.* Unio Incarnationis nullis praecedentibus meritis facta est, ideoque potest dici gratia, id est gratuitum Dei donum. Revera, nequit fingi donum Dei maius quam sit ista unio. Nam similitudo divinitatis in anima sanctorum est quidem Dei gratia ; sed participata cum sit, accidens est, non ipsa divinitatis substantia. Esse autem unionis hypostaticae non est in Christo accidens humanae naturae, sed est ipsamet res divinitatis. — Profecto, maius quoddam est res ipsa, quam sit eius similitudo participata. Quocirca, ipsa unio Incarnationis est quidem gratia, seu donum Dei, non tamen habituale, sed summum Dei personale donum[1]. Per hanc autem gratiam natura humana fuit sanctificata primo et immediate, factaque ipsius Verbi Incarnati natura hypostatice.

7. — **Quaestio I.** — *Quonam sensu debeant intelligi illa S. Pauli verba*[2] : IN IPSO (Christo) INHABITAT OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS CORPORALITER?

Resp. Hoc dicitur, *primo*, ad distinguendam hanc unionem ab unione quae est per gratiam habitualem. Revera, haec in anima solum residet; gratia vero unionis ad totam humanam naturam, quae componitur ex anima et corpore pertinet; unde plenitudinem divinitatis habitasse in Christo corporaliter, est naturam humanam tum quoad animam, tum quoad corpus, unitam fuisse divinae personae.

Secundo, ad distinctionem sacramentorum Novae Legis a sacramentis Veteris Legis, in quibus divinitas non aderat realiter seu physice, ideoque in participatione divinitatis id erant relate ad Christum, quod est umbra relate ad corpus, cum in Christo divinitas realiter habitaverit : unde ritus Legis mosaicae dicuntur[3] *umbra futurorum*, σκιὰ τῶν μελλόντων; Christus vero dicitur[4] ipsummet corpus : *Corpus autem Christi*, τὸ δὲ σῶμα Χριστοῦ, sive

1. Ad 1ᵐ. — 2. Col. II, 9. — 3. Vers. 17. — 4. IBID.

corpus est Christus et ea quae ad ipsum pertinent; ideoque sicut umbra contra corpus dividitur, ita et ritus legales contra Christum et sacramenta Novae Legis ponuntur, in quibus res ipsa divinitatis communicata plenissime invenitur.

Tertio, ad innuendum triplicem modum quo divinitas in Christo dicitur habitasse, analogia instituta cum tribus corporum dimensionibus: divinitas enim in Christo fuit *uno modo* per essentiam, praesentiam et potentiam, sicut in caeteris creaturis : *alio modo* per gratiam gratum facientem, sicut in sanctis; *tertio modo* per unionem hypostaticam, quod est sibi omnino proprium[1]. Quapropter dicitur plenitudo divinitatis habitare in Christo corporaliter, σωματικῶς. Optime autem alibi[2] legitur: *Complacuit... inhabitare*, ut innuatur quod unio a sola complacentia gratuitae Dei voluntatis sit repetenda[3].

8. — ***Quaestio II.** — *Utrum gratia unionis sit aliquid creatum?*

Respondendum est cum distinctione. Si enim unio hic sumatur formaliter, seu pro relatione qua natura humana refertur ad personam Verbi, profecto talis gratia est donum creatum : comprehenditur enim inter creatas res. Si vero sumatur secundum illam entitatem positivam quae est ipsummet esse naturae illius, sic gratia unionis, quoad se, est donum increatum, quoad uniri vero vel coniungi tali naturae, donum creatum est.

ARTICULUS XI. — *Utrum unionem Verbi Incarnati aliqua merita praecesserint.*

1. — **Ratio articuli.** — Exclusa gratia in ratione medii unientis humanam naturam cum Verbo, praesentis articuli intentio est, ut excludatur etiam meritum in ratione causae praeparatoriae huius unionis : ubi distinctio duplex prae mente est retinenda, una scilicet circa meritum *de condigno* et meritum *de congruo*, quae distinctio superius[4] fuit tradita, altera circa me-

1. Ad 2m. — 2. Col. I, 19. — 3. Cf. S. Thom. Comment. in epist. S. Pauli in h. l. — 4. Quaest. I, art. 2, p. 26.

ritum ipsiusmet Christi et meritum aliorum ab ipso. Hinc triplex subnectitur propositio.

2. — PROP. **I.** — **Nulla Christi merita unionem Verbi Incarnati praecesserunt.**

Hanc veritatem ita exprimit Leo XIII[1] : *Quae dignitas* (unionis hypostaticae) *non ullis quidem data est eius* (humanae naturae) *promeritis, sed ex integra plane gratia, proptereaque ex munere veluti proprio Spiritus Sancti.*

Prob. Posset fingi aliqua Christi merita praecessisse unionem, si poneretur cum Photino quod Christus antea fuerit purus homo, et postea per meritum bonae vitae, obtinuerit esse Filium Dei. Atqui hoc longe est a veritate catholica, qua ponitur quod a conceptionis suae initio, homo ille fuit vere Filius Dei, aliam hypostasim ab hypostasi Filii Dei non habens. Ergo nulla merita Christi praecesserunt unionem Verbi incarnati. Porro quod non sit in Christo alia hypostasis ab hypostasi Filii Dei, sufficienter pro nunc eruitur ex verbis Lucae[2] : *Quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.* Unde, quia operari sequitur esse, ideo omnis operatio hominis illius subsecuta est unionem, et proinde nulla eius operatio potuit esse meritoria unionis.

3. — ***Confirmatur.** — Eatenus aliqua Christi merita potuissent praecedere unionem Verbi incarnati, quatenus aliqua nostra merita possent praecedere regenerationem nostram. Atqui nulla nostra merita regenerationem nostram praecesserunt. Ergo. — *Maior* est ipsius S. Augustini[3], qui haec habet : *Quisquis in capite nostro praecedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris eius praecedentia merita multiplicatae regenerationis inquirat.* — *Minor* vero ex verbis S. Pauli eruitur[4] : *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*[5].

4. — PROP. **II.** — **Nulla opera alterius cuiuscumque hominis potuerunt esse meritoria ex condigno unionis Verbi incarnati.**

Prob. **I.** Opera meritoria quae proprie ad beatitudinem ordi-

1. In Ep. Encycl. *Divinum illud,* 9 maii 1897. — 2. C. I, 35. — 3. L. de praedest. SS. c. 15. — 4. Tit. III, 5. — 5. Cf. S. Aug. Enchir. c. 17, l. de Corrept. et Gratia. cc. 36 et 40, etc.

nantur, nequeunt esse ex condigno meritoria unionis Verbi incarnati: nam unio Incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatae mentis in Deum, quae est per actum fruentis. Atqui opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem: huiusmodi enim opera sunt actus virtutis, quorum praemium est beatitudo quae in plena Dei fruitione consistit. Ergo nulla opera potuerunt esse ex condigno meritoria unionis Verbi incarnati.

II. Gratia nequit cadere sub merito: gratia enim est principium meriti. Atqui Incarnatio est principium gratiae, dicitur enim[1]: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. Ergo nullum meritum alicuius hominis potuit praecedere Verbi Incarnationem.

III. Sub merito alicuius hominis non cadit reformatio totius naturae: bonum enim alicuius hominis nequit esse causa boni totius naturae. Atqui Incarnatio est reformativa totius naturae. Ergo Incarnatio nequit cadere sub merito alicuius singularis hominis.

5. — ***Confirmatur.** — Opera meritoria sanctorum valorem intrinsecum recipiunt praecise ex meritis Christi, aut praevisis, ut in Veteri Testamento, aut extantibus, ut in Novo Testamento: ideoque Incarnationem supponunt, non causant.

6. — PROP. III. — **Unionem Verbi incarnati aliqua merita praecesserunt de congruo.**

Prob. Congruum est ut Deus iustorum desideria compleat, et eos qui sibi obediunt exaudiat. Atqui non defuerunt iusti, qui Incarnationem et fervide desiderarent et devote postularent. Ergo eorum merita de congruo praecesserunt unionem Verbi incarnati. Sic prophetarum pia desideria unionem Verbi incarnati praecesserunt: unde super illud[2]: *Fiat misericordia tua super nos*, etc., Glossa ait: *Hic insinuatur, desiderium prophetae de Incarnatione et meritum impletionis.* Ita pariter de Beatissima Virgine canit Ecclesia quod *Dominum omnium meruit portare*[3]; et Prudentius: *Edere namque Deum merita, omnia Virgo venena domat.*

1. Io., I, 17. — 2. Ps., XXXII, 22. — 3. In antiph. *Regina Coeli* et in Or. *Deus qui salutis*, etc.

7. — **Observandum circa primam propositionem.** — Ratio ibi adducta fundatur super hoc principium, quod operari sequitur esse, ideoque omnis operatio hominis Christi subsecuta est unionem, non enim fuit homo antequam esset Verbum Dei, et proinde nulla eius operatio potuit esse meritoria unionis. — *Idem est*, ait Caietanus[1], *ordo naturae humanae Christi ad personam Filii Dei, qui est naturae humanae Socratis ad personam Socratis. Et ideo, sicut natura Socratis prius natura personatur per Socratem quam operetur, tum quia esse personale, utpote substantiale, est prius quam operari, tum quia primus terminus ut quod generationis est ipse Socrates, et deinde naturae ordine consequuntur operationes etiam naturalissimae, ut si sol fieret, primo fieret suppositum solis et deinde luceret, quamvis in eodem instanti, — ita prius natura humanitas Christi personatur per Verbum Dei, quam operetur propter utramque dictam rationem.*

8. — ***Confirmatur.** — Ita Incarnatio debet praesupponi merito Christi, ut opera meritoria ipsiusmet Christi valorem accipiant precise ex unione hypostatica Incarnationis. Ergo impossibile est aliqua merita Christi praecessisse unionem Verbi incarnati.

9. — **Explicantur aliqua loca Sacrae Scripturae.** — Iuvat autem haec doctrina ad intelligenda nonnulla S. Scripturae loca. Sic, quod dicitur[2]: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem* (in graeco πλοῦτον id est *divitias*), non ita accipiendum est, quasi Agnus Dei, per propria merita, simpliciter divinitatem sit consequutus, sed quod per propria merita obtinuerit, ut divinitas sua publicaretur et agnosceretur, iuxta consuetudinem Scripturae, quae dicit rem fieri quando innotescit.

Pariter, quod legitur[3]: *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus*, etc., potest multiplicem sensum habere. *Primus* est ut ly *unxit te*, etc. referatur ad *dilexisti*, etc., tanquam ad causam finalem, quasi dicatur: *Ad hoc enim unxerat te Deus; alter*, ut stet pro *propterea quod*, quasi unctio, videlicet gratia divina, sit causa cur Christus dilexerit iustitiam, etc.; *tertius*, ut supponat pro *ideo*, et ita significatio redditur: *Quia dilexisti*

1. Hoc loco. — 2. Apoc. V. 12. — 3. Ps. XLIV, 8.

iustitiam, etc., *ideo unxit te Deus*, etc., *tibi post passionem conferens immortalitatis coronam*. Cui loco optime cohaerent verba[1] : *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen*, etc ; quorum sensus est quod propter Christi obedientiam et humiliationem, Deus ipsi contulerit in toto mundo gloriam, et ordinaverit ut manifestaretur coram hominibus nomen ipsi iampridem, scilicet in ipsa eius Incarnatione, collatum.

10. — Difficultas. — Meritum Christi fuit infinitum. Atqui merito infinito debetur merces infinita. Ergo Christus meruit Incarnationem.

Resp. *Conc. mai. et min. Nego conseq. et conséq.* Nam infinitum praemium habuit Christus in resurrectione, quando nempe divinitas humanitati rursus fuit unita, quod fuit bonum simpliciter infinitum : infinitum quoque fuit eius praemium, in eo quod in Eucharistia panis et vinum in suum Corpus et in suum Sanguinem convertantur.

11. — *Scholia. — I. Si alia persona divina fuisset antea incarnata, haec mereri potuisset Incarnationem Verbi. Pariter Christus mereri potuisset Incarnationis suae continuationem, nisi quod haec non dependenter a merito, sed absolute et gratuito peracta fuerit.

II. Si Christus per impossibile potuisset mereri Incarnationem, hoc non fuisset sine magno suae dignitatis praeiudicio : importaret enim quod ipse antea non fuisset Deus.

12. — Observandum circa secundam propositionem. — Sine Incarnatione vita aeterna haberi nequit : nam et ipsi sancti Patres sine Incarnatione ad vitam aeternam ingredi non potuerunt, ut patet ex hoc S. Gregorii dicentis[2] : *Ili qui ante Christi adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet virtutem iustitiae haberent, ex corporibus educti, in sinum coelestis patriae statim recipi nullo modo poterant, quia nondum ille venerat qui iustorum animas in perpetua sede collocaret.*

Exinde *difficultati* ita propositae : Quicumque meretur aliquid, meretur etiam illud sine quo hoc haberi nequit ; atqui sancti

1. Phil., II, 8, sqq. — 2. L. XIII, Mor. c. 15.

Patres meruerunt vitam aeternam; ergo meruerunt etiam Incarnationem, sine qua vita aeterna haberi nequit, — potest *responderi* advertendo[1] quod *hoc est falsum quod sub merito cadit omne illud sine quo praemium esse non potest : quaedam enim sunt, quae non solum requiruntur ad praemium, sed etiam praeexiguntur ad meritum, sicut divina bonitas et eius gratia et ipsa hominis natura; et similiter Incarnationis mysterium, quod est principium merendi, quia de plenitudine Christi omnes accepimus*[2].

13. — Notandum circa tertiam propositionem. — Difficultas hic haud levis exurgit eo ducta, quod, si aliquis Sanctus potuit mereri de congruo Incarnationem, ergo Incarnatio habet rationem alicuius recompensationis, gratuitae quidem et liberalis, semper tamen recompensationis retributivae, quod officit eius causativo primatui : nam Incarnatio est vera radix et primum fundamentum omnis cuiuscumque meriti, sive de condigno, sive de congruo accipiatur.

Ad hanc difficultatem solvendam distinguendum est inter Incarnationis substantiam et aliquam eius circumstantiam. Et substantiam quidem Incarnationis nullus unquam purus homo, quantacumque gratia donatus, sive de condigno, sive etiam de congruo mereri potuit, propter allatam rationem : aliqui tamen sancti potuerunt illam mereri quantum ad aliquas eiusdem circumstantias, puta quantum ad tempus, ut probabiliter Daniel[3], aut quantum ad locum, aut quantum ad stirpem, ut Abraham, cui post sacrificium Isaac dixit Deus[4] : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae;* aut etiam quantum ad hoc quod Deus decretum iam factum, addito iureiurando firmaverit[5] : *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus.*

Unde nec Beatissima Virgo substantiam Incarnationis meruit, sed nec divinam Maternitatem; sed *meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum ut congrue posset esse Mater Dei*[6], scilicet ut posset esse dignum habitaculum Verbi Incarnati, et digna eius Mater, in eius passione socia; cui etiam, propter

1. Ad 2^m. — 2. Io., I, 16. — 3. Dan., IX, 24. — 4. Gen. XXII, 18. — 5. Ibid., 16. — 6. Ad 3^m.

summam caritatem qua ardebat, non est denegandum quod suis desideriis et precibus Incarnationis tempus acceleraverit[1].

ARTICULUS XII. — *Utrum gratia unionis fuerit Christo naturalis.*

1. — Status quaestionis. — Titulus huius articuli, in quo de modo singulari, quo facta fuit unio humanae naturae ad personam Verbi, inquiritur, prima fronte implicare videretur; nam gratia, proprie dicta, dividitur contra naturam, cum gratia sit quid omnino gratuitum, supra quodcumque naturae debitum; unde non videretur esse locus dubitandi utrum gratia unionis fuerit Christo naturalis. Haec tamen contradictio cito evanescit, si consideretur quod *gratia* dicitur quatenus non est ex merito; *naturale* autem dicitur non solum quod causatur ex principiis naturae, sed etiam quod potest provenire ex virtute divinae naturae in humanitatem Christi ab eius nativitate[2].

Revera aliquid potest dici naturale *dupliciter*: uno modo, secundum quod natura sumitur pro ipsa rei nativitate: unde naturale alicui est quod ipsi est a nativitate, quo sensu dicitur[3]: *Eramus natura filii irae*, et rursus[4]: *Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum.* Alio modo, secundum quod natura sumitur pro essentia rei, ideoque naturale est quod est tantum ex principiis naturalibus rei, sicut naturale est igni ferri sursum[5]: Unde naturale in Christo sic dupliciter sumi potest, nempe secundum alterutram naturam aut secundum quod insit ipsi a nativitate. Ulterius advertatur quod licet expresse hic agatur de gratia *unionis*, quae aliud non est, nisi ipsa unio humanae naturae cum Verbo, tamen extendi potest praesens inquisitio etiam ad gratiam *habitualem*, quae est accidens humanae naturae, de qua erit infra[6] fusior disputatio, et quae, ut ait Caietanus, est proprietas consequens gratiam unionis sicut splendor solem.

2. — PROP. — Gratia Christi sive unionis sive habitua-

1. Cf. Tract. de B. Virgine Maria, Matre Dei, p, I, c. 1, art. II, nn. 5, sqq.— 2. Ad 2^m^.— 3. Eph., II, 3.— 4. Sap. XII, 10.— 5. Cf. I.V. Metaph., l. 5.— 6. Quaest., VII et VIII.

lis α) non potest dici naturalis, quasi causata ex principiis humanae naturae, β) potest tamen sic dici naturalis, quasi proveniens in humanam Christi naturam, causante divina natura ipsius: γ) utraque vero potest dici naturalis in Christo in quantum eam a nativitate habuit.

Prob. α) Revera, utraque gratia est supra humanae naturae vires; sed β) utraque provenit ex divina natura, tanquam ex principio ipsius effectivo; γ) utraque quoque est Christo a nativitate, quia ab initio conceptionis et humana natura fuit divinae personae unita, et anima Christi munere gratiae repleta extitit. Unde cum angelus dixisset[1]: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, etc., mox addidit[2]: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum*, ut innueretur ex vi talis nativitatis nasciturum esse Filium Dei. — Hanc autem sententiam sic enunciat Augustinus[3]: *In humanae naturae susceptione, fit quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum.*

3. — Scholia. — I. Circa *secundam partem* propositionis huius, notanda sunt verba illa: *Potest dici naturalis, quasi proveniens*, etc., ubi diminutio duplex, scilicet *potest*, et *quasi*, eo fine apponitur quia, cum ad hoc ut aliquid proprie dicatur naturale, sumpta natura pro essentia, requiratur et causalitas et modus causandi, nempe non libere, sed necessario, divina autem Essentia sit quidem unionis causa sed non necessario, ideo potius *quasi naturalis* dicitur ista gratia. Esset autem gratia ista simpliciter naturalis, in hypothesi quod Deo competeret uterque modus operandi ad extra, scilicet libere et necessario: quia tunc esse personale necessario communicaretur huic naturae creatae[4].

II. Circa *tertiam partem*, notandum est verba theseos non solum de coaevitate intelligi debere, sed etiam de causalitate, ita quod non tantum a nativitate, sed ex vi nativitatis, Christus hoc habeat; sicut, exemplum est Caietani, quod aliquis nascatur cum sexto digito, non modo est ipsi a nativitate, sed vi nativitatis, scilicet ex abundantia in materia formativa. Locorum autem in praenotamine adductorum, prior hoc cumulativo sensu intelligi debet,

1. Luc., I, 35. — 2. Ibid. — 3. Enchir. c. XL. — 4. Cf. Caiet.

quia ex vi nativitatis peccato originali inficimur ; posterior vero tantum de coaevitate, quia chananaei, de quibus est sermo, *non ex vi nativitatis contrahebant peccata parentum; sed malitia illorum ita cito incipiebat, ut dicatur in utero incoepisse*[1].

4. — Corollarium. — Ex hoc sequitur quod gratia unionis potest dici et *naturalis* et *personalis : naturalis* quidem, quia et est ex virtute divinae naturae, et convenit Christo a principio suae nativitatis necnon vi talis nativitatis ; personalis vero, ratione termini : est enim ad unitatem personae[2].

5. — Difficultas. — Si gratia unionis est Christo naturalis, aut erit secundum humanam naturam, aut secundum divinam. Si secundum humanam naturam, ergo convenit omnibus hominibus qui sunt eiusdem naturae cum ipso : si autem secundum divinam naturam, ergo convenit tribus divinis personis. Atqui neutrum verificatur. Ergo gratia unionis non est homini Christo naturalis.

Resp. Incompletum est dilemma in *maiori*. Deberet enim ita proponi: Si gratia unionis est Christo naturalis, aut secundum humanam naturam, aut secundum divinam naturam ; sed in primo casu, aut a nativitate, aut secundum principia speciei ; in secundo autem casu, aut causaliter, aut terminative. Et sic utrumque verificatur quantum ad aliquid. Nam gratia unionis, secundum principia essentiae, est naturalis Christo secundum divinam naturam causaliter ; secundum autem humanam naturam, a nativitate. Et ex hoc neutrum sequitur. Non primum, scilicet quod conveniat omnibus hominibus, quia Christo propria fuit talis nativitas, ut conciperetur ex Spiritu Sancto, ut esset idem naturalis filius Dei et hominis: non secundum, nempe quod conveniat aliis personis, quia gratia unionis non est naturalis divinae naturae, tanquam ad divinam naturam terminative, sed tantum quantum a causa, et hoc sensu gratia unionis est communis toti Trinitati, nempe eo sensu quo divina natura est principium actionis huius gratiae, id est causaliter[3].

1. Caiet. — 2. Ad 1^m. — 3. Ad 3^m.

*DISSERTATIO SPECIALIS

DE HAERESIBUS NESTORII ET EUTYCHETIS

Ut cuique parumper attendenti constare poterit, summa anteactae quaestionis circa duos errores fidei christianae repugnantes versatur, Nestorii scilicet et Eutychetis, quos inter veritas catholica media consistit. Clarioris methodi gratia, qua a simplicioribus ad magis composita proceditur, S. Thomas prius de duabus naturis contra Eutychetem, et postea de una persona contra Nestorium tractavit, chronologico ordine inverso. Siquidem, dum mentes hominum nimio studio decertarent in profligandâ haeresi de duabus personis, in alteram e diametro oppositam inciderunt, scilicet ut confunderent naturas. Quaenam fuerint huius duplicis erroris principium, progressus, exitusque, quantum huius tractatus natura postulat, hic breviter ostendetur.

§ I.

De Haeresi Nestoriana

1. — Prima saeculi quinti medietate, cum vix pelagianae haereseos monstrum in occidente, armis praecipue S. Augustini († 430), profligatum esset, inter orientales theologicis speculationibus ardentiori studio intentos, agitari coepit acribus controversiis mysterium de Christi Incarnatione, et quid de persona, quidve de naturis, necnon de proprietatibus Verbi Incarnati, esset praedicandum, inquiri. Duae scholae prae caeteris eminebant, quae tamen diversa studia prosequebantur, videlicet hinc schola *alexandrina*[1],

1. Celebria sunt sequentia S. Athanasii verba (De Incarn. Verbi, Mansi, Conc. omnium ampl. Coll., t. IV, p. 689) : ὁμολογοῦμεν καὶ εἶναι αὐτὸν

quae uniendis naturis, illinc vero schola *antiochena*, quae separandis personis favebat. Utrinque tamen periculum imminebat; quandoquidem naturarum distinctio, usque ad personae distinctionem perducta, tum proprietates, tum loquendi modum pessumdabat, nec rationem qua Christus salutem nostram esset operatus salvabat; personae vero unio usque ad naturarum confusionem adserta, adimebat Christo, relate ad genus humanum, meriti et exempli rationem.

Iam veritas divinae naturae in Verbo contra arianos, similiterque humanae contra docetas fuerat ab Ecclesia proclamata, cum Nestorius, Germanicia, Syriae oppido, oriundus, olim discipulus Theodori Mopsuesteni, postea vero monachus in Laura S. Euprepii prope Antiochiam, demum (428) ad sedem Patriarchalem Constantinopolitanam evectus, palam cepit profiteri personarum in Christo dualitatem.

2. — Vir erat fulgentis ingenii et argutae mentis, facundia praestans et plurium scientiarum suppellectili quoad superficiem ornatus, simulatae sanctitatis, animi levis et protervi, inanisque gloriae percupidi. In cuius rei testimonium adferri solent ista, quae in oratione ad Imperatorem Theodosium II protulisse fertur : *Mihi, o imperator, terram haereticis tu purgatam tribue, et ego tibi coelum tribuam. Tu mihi in profligandis haereticis subveni, ego tibi in profligandis Persis subveniam*[1]. Quod in parte tantum praestitit; nam arianos quidem, macedonianos et apollinaristas debellavit, sed novae haeresi praelusit, pelagianos ab occidente exules suscipiendo, eorumque partes tuendo.

Hunc ita describit Theodoretus, ipsi antea amicitiae vinculis constrictus. *Ex Germaniciorum civitate ortus homo iste cuinam exercitio initio deditus fuerit ignoro. Ex alia vero aliam regionem*

υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ θεὸν κατὰ πνεῦμα, υἱὸν ἀνθρώπου κατὰ σάρκα, οὐ δύο φύσεις τὸν ἕνα υἱόν, μίαν προσκυνητήν, καὶ μίαν ἀπροσκύνητον· ἀλλὰ μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην, καὶ προσκυνουμένην μετὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ μιᾷ προσκυνήσει — *Agnoscimus illum Dei Filium et Deum esse secundum spiritum, Filium autem hominis secundum carnem, non duas naturas unum Filium, unam adorandam, alteram non adorandam : sed unam naturam divini Verbi incarnatam, quae simul cum eius carne una adoratione adoratur.* — 1. Baronius, T. VII, p. 286, Lucae, 1741.

peragrans, instar Aegyptiacae plagae, ad magnam Antiochensium pervenit urbem: in qua melioribus artibus mediocriter instructus et imbutus, et pulcherrima et maxima praeditus voce, in Ecclesiam Dei cum certa eius pernicie irrepsit; et sacerdotum numero adscriptus, populi Dei regendi suscepta cura, in ipsomet principio, qualis in tota vita sua futurus esset aperte ostendit. Non enim ingenuum illum, et fructuosum dicendi charactérem imitatus est, qui hominum animos pascere posset; sed ad popularem auram declinando, et vanum populi applausum, ut quivis alius aucupando, instabile et abiectum vulgus ad sui desiderium concitavit. Sordida quidem indutus veste, maestus et tristis incedens, forenses tumultus devitans, corporis pallore et macie abstinentiam simulans, libris domi ut plurimum incumbens et intentus, et quiete sibi vivens, his artibus et simulationibus, plerosque alliciebat ad sui admirationem; quousque ad graviorem provenit aetatem, videri potius quam esse christianus, et suam magis quam Christi gloriam quaerere studens. Hic igitur ille erat qui orientem totum mox populaturus erat.

3. — Huius rei occasio fuit quod, cum Anastasius, Ecclesiae CP. presbyter, qui munus sibi a Nestorio demandatum habuerat ea quae ad naturam Filii Dei pertinent explanandi, quadam die (428), coram Patriarcha, de more praedicaret, Beatam Virginem θεοτόκον, id est *Dei Genitricem*, nuncupare recusavit, dicens Mariam extitisse puram creaturam, nec Deum potuisse ex homine nasci. Oborto hac de re populi murmure, tumultuque crescente, Nestorius, Anastasii partibus susceptis, suam dixit esse sententiam Beatam Virginem χριστοτόκον, id est *Christi Genitricem*, minime autem θεοτόκον, id est *Deiparam*, esse appellandam. Cuius denominationis rationem dabat, quod Christum, non Deum illa genuerat; hinc et Christum, bene quidem θεοφόρον, *Deum portantem*, aut θεοδόχον, *Deum suscipientem*, vocari posse, minime vero θεόν, *Deum*. At populi offensionem minime sedavit, qui sibi imperatorem quidem, nullum vero esse Episcopum conqueri coepit.

Ex illa autem doctrina sequebatur, quod Nestorium non latebat, in Christo duas esse filiationes agnoscendas, duas quoque personas; nec eas alio nisi morali vinculo in uno Christo uniri. Hinc alium hominem e Virgine natum, alium Filium in sinu Patris ab aeterno

genitum; nec huic quae hominis, aut homini quae Verbi sunt propria, nisi quodam sensu metaphorico tribui posse.

4. — Attamen praecursorem Nestorius habuerat, Leporium nempe, Galliae monachum, presbyterum Carthagine ordinatum (A.D.426), qui in Christo duo esse independentia elementa iamdudum asseruerat : scilicet divinum, ad *Logon* tantum, humanum vero, ad hominem Iesum solummodo pertinens. Sed Nestorius hoc sibi comparavit, ut novus error suo nomine nuncuparetur; qui error et Nestorii tyrannide, et Theodori Mopsuesteni discipulorum, qui eidem favebant, opera, longe lateque disseminatus est : aliunde rudi vulgi intellectui magis erat pervius, quam ipsummet catholicae fidei dogma iamdiu traditum.

5. — Sed providens Ecclesiae suae Deus, quemadmodum Ario Athanasium, Pelagioque Augustinum veritatis vindices obiecerat, ita et Nestorio Cyrillum Patriarcham Alexandrinum opposuit. Qui novis commotus erroribus, fidem catholicam, data ad populum epistola, vindicavit, exemplo usus generationis humanae, in qua hominis mater, non modo corporis, verum etiam totius personae mater est et dicitur, licet animam ipsa non pariat, cum non modo corpus, sed totum complexum individuum parturit, ex anima et corpore essentialiter compositum. Ita, concludebat, Beata Virgo Maria, licet divinitatem non genuerit, qua Verbum est Patri aequale, tamen vere et realiter Mater est Verbi, quia caro Verbi formata est in eius utero, illaque in mundum intulit personam Filii Patris aeterni, in nostra natura subsistentem.

6. — At Nestorius hisce rationibus minime acquievit, quin potius arrogantius in suo proposito persistens, litteras ad S. Caelestinum Pontificem misit, ut illum ad suas partes traheret. Cyrillus quoque ad R. Pontificem vicissim conscripsit, appellans ad *veterem ecclesiarum consuetudinem* recurrendi ad Episcopum Romae in similibus negotiis, postulans quoque ut quid ipse sentiret praescriberet, *quo liquido nobis constet communicarene nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denunciare.*

Habitis Caelestinus epistolis, Romae concilium coegit (430), in quo et damnatus Nestorius, et restituti sunt suis sedibus Episcopi a Nestorio depositi, confirmata quoque nestoriani erroris condem-

natio, scriptae demum ad Cyrillum epistolae, ut in causa Nestorii Sedis Apostolicae vices suppleret. Igitur Cyrillus concilium episcoporum suae diocceseos Alexandriae coegit, in quo epistolam edidit, quam ad Nestorium, una cum S. Caelestini litteris, quatuor episcopi detulere. In ipsa, S. Cyrillus patriarcham CP. certiorem facit de sententia S. Pontificis in eum lata: iubet ut profiteatur fidem nicaenam, fideique professionem subiicit, necnon sequentia duodecim anathemata a se edita, quibus Nestorius subscribere iubetur.

α'. εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ διὰ τοῦτο Θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον· γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ λόγον· ἀνάθημα ἔστω.

β'. εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ, σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον, ἕνα τε εἶναι χριστὸν μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς, τὸν αὐτὸν δηλονότι θεὸν ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπον· ἀ. ἔ.

γ'. εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις, μετὰ τὴν ἕνωσιν, μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίαν, ἢ δυναστείαν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικήν· ἀ. ἔ.

δ'. εἴ τις προσώποις δύσιν, ἤγουν ὑποστάσεσι, τάς τε ἐν τοῖς εὐαγγελικοῖς καὶ ἀποστολικοῖς συγγράμμασι διανέμει φωνὰς, ἢ ἐπὶ Χριστῷ παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένας, ἢ παρ' αὐτοῦ περὶ ἑαυτοῦ· καὶ τὰς μὲν ὡς ἀνθρώπῳ παρὰ τὸν

I. Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, et ob id Sanctam Virginem Deiparam, genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundum carnem, anathema sit.

II. Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum, et unum una cum sua carne esse Christum eumdem, nimirum Deum simul et hominem, a.s.

III. Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque dumtaxat coniunctione easdem inter se nectit quae est secundum dignitatem, hoc est autoritatem, vel potestatem, et non ea potius quae est secundum naturalem unionem, a.s.

IV. Si quis duabus personis vel hypostasibus eas voces attribuit quae in evangelicis et apostolicis Scripturis passim occurrunt, quaeve tanquam a sanctis de Christo aut ab ipso quoque Christo de seipso dictae sunt; et alias quidem homini seorsum a

ἐκ Θεοῦ λόγον ἰδικῶς νοουμένῳ προσάπτει, τὰς δὲ ὡς θεοπρεπεῖς μόνῳ τῷ ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγῳ· ἀ. ἔ.

ε'. εἴ τις τολμᾷ λέγειν Θεοφόρον ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν, ὡς υἱὸν ἕνα καὶ φύσει, καθὸ γέγονε σάρξ ὁ λόγος, καὶ κεκοινώνηκε παραπλησίως ἡμῖν αἵματος καὶ σαρκός· ἀ. ἔ.

ς'. εἴ τις τολμᾷ λέγειν, Θεὸν ἢ δεσπότην εἶναι τοῦ Χριστοῦ τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον, καὶ οὐχὶ δῆ μᾶλλον τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖ Θεὸν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπον, ὡς γεγονότος σαρκὸς τοῦ λόγου κατὰ τὰς γραφάς· ἀ. ἔ.

ζ'. εἴ τις φησίν, ὡς ἄνθρωπον ἐνηργῆσθαι παρὰ τοῦ Θεοῦ λόγου τὸν Ἰησοῦν, καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς εὐδοξίαν περιῆφθαι, ὡς ἕτερον παρ' αὐτὸν ὑπάρχοντα· ἀ. ἔ.

η'. εἴ τις τολμήσει λέγειν, τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ λόγῳ, καὶ συνδοξάζεσθαι, καὶ συγχρηματίζειν Θεὸν, ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ· τὸ γὰρ, Σύν, ἀεὶ προστιθέμενον, τοῦτο νοεῖν ἀναγκάζει· καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον μιᾷ προσκυνήσει τιμᾷ τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ μίαν αὐτῷ τὴν δοξολογίαν ἀναπέμπει, καθὸ γέγονε σάρξ ὁ λόγος· ἀ. ἔ.

θ'. εἴ τις φησὶ, τὸν ἕνα κύριον Ι. Χ. δεδοξάσθαι παρὰ τοῦ πνεύ-

Dei Verbo considerato adscribit, alias vero tanquam in divinam maiestatem convenientes, soli Verbo quod ex Deo Patre est, accommodat, a.s.

V. Si quis dicere audet, Christum esse hominem Deiferum et non potius Deum verum, utpote unum naturalemque Filium, quatenus nimirum Verbum caro factum est, carnique et sanguine perinde ac nos communicavit, a.s.

VI. Si quis dicere audet Dei Patris Verbum, Christi Deum vel Dominum esse, et non potius ipsum confitetur Deum simul et hominem, propterea quod Verbum factum est caro secundum Scripturas, a.s.

VII. Si quis dicit Iesum moveri tanquam hominem a Dei Verbo, et circumdari gloria Unigeniti, quasi esset alter ab ipso, a.s.

VIII. Si quis audet dicere assumptum hominem simul adorari et conglorificari cum Verbo Deo oportere, et simul nuncupari Deum, quasi alter in altero existat (haec enim particula Σύν, cum praefigitur, semper hunc intellectum praebet), et non una potius Emmanuel adoratione prosequitur, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro, a.s.

IX. Si quis dicit unum Dominum I. C. glorificatum fuisse a

μάτος, ὡς ἀλλοτρίᾳ δυνάμει τῇ δι' αὐτοῦ χρώμενον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαβόντα τὸ ἐνεργεῖν δύνασθαι κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ τὸ πληροῦν εἰς ἀνθρώπους τὰς θεοσημείας, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ἴδιον αὐτοῦ τὸ πνεῦμά φησι, δι' οὗ καὶ ἐνήργηκε τὰς θεοσημείας· ἀ. ἔ.

ι'. Ἀρχιερέα καὶ ἀπόστολον τῆς ὁμολογίας ἡμῶν γεγεννῆσθαι Χριστὸν ἡ Θεία λέγει γραφὴ, προσκεκομικέναι τε ὑπὲρ ἡμῶν ἑαυτὸν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ. εἴ τις τοίνυν ἀρχιερέα καὶ ἀπόστολον ἡμῶν γεγεννῆσθαί φησιν οὐκ αὐτὸν τὸν ἐκ Θεοῦ λόγον, ὅτε γέγονε σὰρξ καὶ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἕτερον παρ' αὐτὸν ἰδικῶς ἄνθρωπον ἐκ γυναικός· ἢ εἴ τίς λέγει, καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ προσενεγκεῖν αὐτὸν τὴν προσφορὰν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ὑπὲρ μόνων ἡμῶν· οὐ γὰρ ἂν ἐδεήθη προσφορᾶς ὁ μὴ εἰδὼς ἁμαρτίαν· ἀ. ἔ.

ια'. εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ τὴν τοῦ κυρίου σάρκα ζωοποιὸν εἶναι, καὶ ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγου, ἀλλ' ὡς ἑτέρου τινὸς παρ' αὐτὸν, συνημμένου μὲν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν ὡς μόνην Θείαν ἐνοίκησιν ἐσχηκότος· καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ζωοποιὸν, ὡς ἔφημεν, ὅτι γέγονεν ἰδία τοῦ

Spiritu Sancto, quasi aliena usus esset virtute quae per eum operabatur, et ab eodem Spiritu S. accepisse efficaciam contra immundos spiritus, et potestatem miracula inter homines operandi, et non potius proprium illius ait esse spiritum, quo divina signa edidit, a. s.

X. Pontificem et apostolum confessionis nostrae factum esse Christum divina Scriptura commemorat, qui obtulit semetipsum pro nobis Deo et Patri in odorem suavitatis. Si quis igitur Pontificem et Apostolum nostrum dixerit non fuisse ipsummet Verbum quod ex Deo est, cum factum est caro et homo propter nos, quasi alterum esset ab illo qui specialiter fuit homo ex muliere; aut si quis asserat illum etiam pro semetipso obtulisse sacrificium, et non potius pro nobis solis (non enim ipsi opus fuit oblatione qui peccatum nescivit), a.s.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, et propriam Verbi quod ex Patre est, sed quasi alterius cuiuspiam praeter ipsum, coniuncti quidem ipsi secundum dignitatem tantum, hoc est divinam solum inhabitationem sortiti, et non potius carnem hanc vivificatricem esse confessus fuerit, ut modo meminimus, eo quia Verbi,

λόγου τοῦ τὰ πάντα ζωογονεῖν ἰσχύοντος· ἀ. ἔ.

ιβ΄. εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον παθόντα σαρκὶ, καὶ ἐσταυρωμένον σαρκὶ, καὶ θανάτου γευσάμενον σαρκὶ, γεγονότα τε πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν, καθὸ ζωή τέ ἐστι καὶ ζωοποιὸς ὡς Θεός. ἀ. ἔ.

quod omnia vivificare potest, facta est propria, a.s.

XII. Si quis non confitetur Dei Verbum secundum carnem passum, et secundum carnem crucifixum, et mortem gustasse secundum carnem, et primogenitum ex mortuis factum esse, quatenus vita est et vivificum, ut Deus, a.s[1].

Hisce propositionibus in compendium, uti patet, reducitur tota veritas catholica de mysterio Incarnationis Domini.

7. — At Nestorius his anathematismis minime subscribere voluit; quinimmo Cyrillum vicissim duodecim aliis anathematismis a se confectis condemnavit, multosque Syriae episcopos, quos inter ipsummet Theodoretum Cyrensem, virum aliunde insignis ingenii et sincerae pietatis, contra Cyrillum armavit, quasi hic Apollinaristarum haereseos suspectus esset : quo factum est, ut Ioannes Antiochenus, qui iam contra Cyrilli epistolam scripserat, nestorianae factionis antesignanum se posuerit.

Cum autem Theodosius II imperator, christianae reipublicae pacem, salutemque his rebus in discrimen adduci cerneret, quanquam aliunde Cyrillo infensus erat, synodum oecumenicam indixit congregandam, quae Ephesi (431) celebrata est, in ecclesia metropolitana, S. Mariae nuncupata. Interfuere plures quam ducenti episcopi, Christo praeside in Evangelio super thronum collocato, Cyrillo vero, utpote vices Romani Pontificis agente, primum locum occupante, post quem adfuere legati apostolicae Sedis a Caelestino Pontifice missi.

Ast, ob moras Ioannis Antiocheni aliorumque ex Nestorii factione episcoporum, prima synodi sessio in diem 22 Iunii dilata est, cui tamen Nestorius adesse renuit; qui etiam militibus stipatus, omnem ad se patribus synodi accessum interclusit, protestatus se nolle agnoscere, tanquam Deum, infantulum duorum vel trium mensium. Quem propterea synodus, post tertiam cita-

1. Apud Mansi Conc. ampl. Coll. T. IV, pp. 1081-1084.

tionem anathematizavit et deposuit, sententia ipsi per syngrapham significata, cum hoc titulo : *Nestorio novo Iudae;* simulque vetitum fuit ne quis aliquid, praeter id quod per Nicaenum symbolum definitum erat, fidei adiicere praesumeret.

8. — Qua in re, notatu digna est singularis populi ephesini, olim quidem Dianae studio, licet ignoranter, abrepti[1], nunc autem de sanctae Deiparae honore solliciti, religiosa devotio; quam ita describit S. Cyrillus, in epistola ad populum alexandrinum data[2] : *Sumus,* ait, *hic congregati episcopi ultra ducentos, fere plus minus tercenti. Perduravit autem universus civitatis populus a mane usque ad vesperam, sanctae Synodi iudicium expectans. Ut autem audierunt infelicem illum esse depositum, coeperunt omnes una voce sanctam praedicare synodum, et Deum glorificare, quod cecidisset fidei inimicus. Egredientes vero nos ab Ecclesia deduxerunt cum lampadibus usque ad diversorium nostrum (erat enim iam vespera); et facta est multa laetitia et luminaria in civitate posita, ita ut mulieres quoque adolentes thymiamata, cum thuribulis nos praecederent.* Sex autem post diebus Ioannes Antiochenus et alii Syriae episcopi Ephesum pervenerunt; sed Nestorius synodo interesse adhuc renuit, quin potius domi suae, quam et militibus stipaverat, pseudo-synodum coegit, cui tres et quadraginta episcopi interfuere. Hi igitur, concilii sententiam in Nestorium latam irritam declarantes, Cyrillum tanquam haereticum anathemate plectere, caeterosque adversae partis episcopos excommunicare non sunt veriti.

Nestorianorum autem fautores Theodosii animum ita circumvenerant, ut Cyrillum eiusque sectatores, tanquam de haeresi suspectos ille habuerit. Qui tamen, ut ad imperatorem usque veritas perveniret, epistolas ad Dalmatium Archimandritam CP. baculo inclusas per mendicum quemdam miserunt; quibus habitis, omnes monachi ad imperatoris palatium antiphonas canentes ordinatim processerunt, petentes ut ille pro Cyrillo contra Nestorium staret. Sed nonnisi post longas ambages, imbellis imperator sententiam depositionis Nestorii ratam habuit, et episcopis Ephesi adunatis, ut in suam quisque diocesim reverteretur, permisit.

9. — Tandem, episcopis inter se reconciliatis, opera praesertim

1. Cf. Act. XIX. — 2. Ep. XXXIV. t. IV.

Acacii Berocae episcopi, et Pauli episcopi Emesini, ab omnibus recepta fuit fidei professio, quam tradit S. Cyrillus in sua ad hunc epistola, et quae ex alia versione exstat in libro Rustici Diaconi adversus Acephalos, in collatione CP. cum severianis a. 533, necnon in epistola synodica Ioannis Antiocheni.

ὁμολογοῦμεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν μονογενῆ Θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος· πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε· διὸ ἕνα Χριστὸν, ἕνα υἱὸν, ἕνα κύριον ὁμολογοῦμεν. Κατὰ ταύτην τὴν τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως ἔννοιαν ὁμολογοῦμεν τὴν ἁγίαν παρθένον θεοτόκον, διὰ τὸ τὸν Θεὸν λόγον σαρκωθῆναι, καὶ ἐνανθρωπῆσαι, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑνῶσαι ἑαυτῷ τὸν ἐξ αὐτῆς ληφθέντα ναόν· τὰς δὲ εὐαγγελικὰς, καὶ ἀποστολικὰς περὶ τοῦ κυρίου φωνὰς, ἴσμεν τοὺς θεολόγους ἄνδρας, τὰς μὲν κοινοποιοῦντας, ὡς ἐφ' ἑνὸς προσώπου, τὰς δὲ διαιροῦντας, ὡς ἐπὶ δύο φύσεων· καὶ τὰς μὲν θεοπρεπεῖς κατὰ τὴν θεότητα τοῦ Χριστοῦ,

Confitemur Dominum Nostrum I. C. Filium Dei Unigenitum, Deum esse perfectum, et hominem esse perfectum ex anima rationali et corpore constitutum; ante saecula quidem ex Patre natum secundum divinitatem, postremis vero temporibus eumdem ipsum propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine secundum humanitatem: eumdem Patri consubstantialem secundum divinitatem, nobis item coessentialem secundum humanitatem: siquidem duarum naturarum facta est unio, et propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Secundum hanc inconfusae unitatis intellectum, sanctam Virginem Deiparam esse confitemur, propterea quod Deus Verbum incarnatum sit et homo factum, et ex ipso conceptu templum ex illa sumptum sibi univerit. Evangelicas autem et apostolicas de Domino voces scimus theologos alias quidem tanquam ad unam personam pertinentes, communes facere; alias vero tanquam in duabus naturis divisim usurpare: et illas quidem Deo dignas secundum Christi divinitatem, alias vero humiles

τὰς δὲ ταπεινὰς κατὰ τὴν ἀνθρω- *secundum illius humanitatem*
πότητα αὐτοῦ παραδιδόντας. *tradere*[1].

10. — Demum Nestorius, in desertum Oasis relegatus, misere periit; non tamen cum ipso illa quam pepererat haeresis. Perduravit enim eorum, quos ab ipso Nestorianos dixerunt, factio, usque in praesentem diem, mutato nomine in *Chaldaeos christianos*, qui tamen in India *Christiani S. Thomae* sunt appellati. Anno 496 episcopum suum Seleuciae contra Ctesiphontem, episcopum universalem (*Iacelich*, id est *catholicum*) denominaverunt, qui etiam postea ad Sinenses usque disseminati sunt[2].

§ II

De Haeresi Eutychiana

1. — Cum homines, acti veritatis amore, acriori studio nestoriani erroris placita oppugnarent, malo fato evenit, ut, auream medietatem deserentes, in oppositum errorem laberentur. Huius novae haereseos auctor habetur Eutyches, provectae iam aetatis vir, in urbe CP. archimandrita, quem suus zelus in Nestorii fautores profligando, dignum fecerat cui S. P. Leo epistolam conscriberet, ipsius sollicitudinem magnopere commendans.

Hic igitur amplexatus, ut putant, Origenis doctrinam de praexistentia animarum, ante unionem quidem duas naturas agnoscebat; sed unam tantum post unionem permansisse effutiebat, quasi humana natura a divina absorpta fuisset aut consumpta, quemadmodum aquae stilla in oceano absorbetur et evanescit. Quapropter, humanum elementum, in divinitatem transfusum aut transmixtum, nonnisi apparenter et extrinsecus in Christo perdurasse contendebat; realiter vero cuncta esse deitati, quam solam superstitem agnoscebat, tribuenda, sive actiones, sive passiones, quas in corpore suo Christus sustinuisse legitur. Huius novae haereseos fautores *monophysitae* dicti sunt, adversarii e contra, *duo-*

1. Apud Mansi, Conc. ampl. Coll. T. V, pp. 305, 306. — 2. Cf. I. S. Assemani, De Syris Nestor., Bibl. orient. T. III, Pt. II. Rom. 1728, fol. et alia passim. Cf. Petav., de Incarn. l. I. C. 9., T. V.

physitae appellati; illorum vero erat tessera, Christum ἐκ δύο φύσεων, *ex duabus* quidem *naturis*, minime vero ἐν δύο φύσεσιν, *in duabus naturis*, existere.

2. — Ista taliaque Eutyches palam praedicabat anno 448; sed duos iam ante annos Theodoretus hanc haeresim exposuerat triumphanterque refutarat, in opere quod ἐρανίστης (quod est *mendicus*) ideo dictum est, quod ipse novam haeresim quasi placita ab aliis haeresibus emendicantem exhibeat, puta a Valentino, Ario et Apollinari, nova tantum forma vestitam.

3. — Cum igitur Eusebius, Dorilaei Episcopus, Eutycheten audisset suum errorem praedicantem, monitumque prohibere aut retrahere nequivisset, accusationis libellum contra ipsum Flaviano episcopo CP. dedit, apud quem tunc temporis synodus pro Florentio Sardaeorum Metropolita, adversus episcopos sub se constitutos, Ioannem et Cossinium, coacta fuerat, qua ἐνδημοῦσα dicta est, eo quod in episcopii secretario fuerit celebrata.

Porro Eutyches, cum iam accusationis libellum cognovisset, iussus est ad synodum convenire, qui tamen bis invitatus adesse renuit, allegans modo suum propositum de non egrediendo extra monasterium, modo fictum quoddam adversae valetudinis impedimentum. Addebat ille nullibi in divinis Scripturis legi quod Verbum subsistit in duabus naturis : desciscens vero veternosus senex a sanctis patribus, dictitabat, ut haereticorum mos est, Scripturas doctrinis Patrum esse potiores. Tertia vice citatus, unius hebdomadae postulavit inducias, interim vero passim, circumferebantur per urbem et monasteria libelli Eutychetis doctrinam referentes.

4. — Elapso septem dierum termino, Eutyches, cum iam per Chrysaphium Eunuchum imperatoris favorem esset aucupatus, magna se militum monachorumque comitante caterva, synodum adiit, ubi rogatus a Flaviano utrum ex duabus naturis unitionem confiteretur, affirmative respondit ; interrogante vero Eusebio utrum confiteretur duas naturas post Incarnationem, et consubstantialem nobis esse Christum secundum carnem, ad disputandum se haudquaquam venisse respondit. Cum vero rursus illum urgeret Florentius Patricius, dicens : *Confiteris duas naturas post adunationem? dic : si non dixeris, damnaberis ;* cumque se haud

sponte id professurum esse significaret, Florentius vero Patricius cum iterato interpellaret, ad postremum, Eutyches illud edixit: *Qui non dicit ex duabus naturis et duas naturas, non credit recte.* Tunc exurgens universa S. Synodus exclamavit: *Quae ex necessitate est, fides non est,* et illico Flavianus decrevit Eutychetem per Dominum Nostrum Iesum Christum, ab eo blasphematum, extraneum esse ab omni officio sacerdotali, ab Ecclesiae communione, necnon a monasterii primatu[1].

5. — Leo vero magnus, R. P., cum per Flavianum de nova haeresi certior esset effectus, celebrem ad hunc dogmaticam conscripsit epistolam, in qua, confirmato processu Synodi CP., clarissimis Scripturarum testimoniis, tum Nestorii, tum Eutychetis haereses tam invicte refutavit, ut cum postea lecta esset haec epistola in Conc. Chalcedonensi, episcopi uno ore conclamaverint: *Haec Patrum fides, haec apostolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema ei qui non ita credit; Petrus per Leonem ita locutus est; apostoli ita docuere.* Ex qua epistola, sequentia excerpimus, quae theologum ignorasse puderet.

Lectis dilectionis tuae litteris, quas miramur fuisse tam seras, et gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuerit agnovimus... Quid autem iniquius quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere...

Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei Incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiae lumen in Sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem et indiscretam confessionem sollicito apprehendisset auditu, qua fidelium universitas profitetur credere se in Deum Patrem Omnipotentem, et Iesum Christum Filium eius, unicum Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: quibus tribus sententiis omnium fere haereticorum machinae destruuntur...

1. Cf. Baron. ad A. C. 448, n. XLIX. Cf. Petav., loco cit. c. 13.

Ingreditur ergo haec mundi infima Filius Dei, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens esse coepit ex tempore: universitatis Dominus servilem formam, obumbrata maiestatis suae immensitate, suscepit: impassibilis Deus non dedignatus est esse homo passibilis, et immortalis mortis legibus subiacere; nova autem nativitate generatus, quia inviolata Virginitas concupiscentiam nesciens, carnis materiam ministravit. Assumpta est igitur de Matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Iesu Christo ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo natura est dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo: nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, alterum succumbit iniuriis; et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim idemque est (quod saepe dicendum est) vere Dei Filius, et vere hominis Filius, Deus per id quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; homo per id quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis; Deus per id quod omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, homo per id quod factus est ex muliere, factus sub lege[1].

Nativitas carnis manifestatio est humanae naturae, partus Virginis divinae est virtutis indicium: infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo Altissimi declaratur vocibus angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere, sed Dominus est omnium quem Magi gaudentes veniunt suppliciter adorare. Iam cum ad Praecursoris seu Ioannis baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine Divinitas tegeretur, vox Patris de caelo intonans dixit: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere,

1. Gal. IV, 4.

atque dormire evidenter humanum est; sed quinque panibus, quinque millia hominum satiare, et largiri Samaritanae aquam vivam cuius haustus bibenti praestet ne ultra iam sitiat, supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulare, et elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate, divinum est. Sicut ergo, ut multa praeteream, non eiusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum, et eumdem remoto quatriduanae aggere sepulturae, ad vocis imperium excitare redivivum, aut in ligno pendere, et luce in noctem conversa omnia elementa tremefacere, aut clavis transfixum esse, et Paradisi portam fidei latronis aperire, ita non eiusdem naturae est dicere: Ego et Pater unum sumus, et dicere Pater maior me est. Quamvis in Domino Iesu Christo, Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est, unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria.

6. — Interim vero Dioscorus, S. Cyrilli in Sede Alexandrina successor, homo violentus, ambitiosus, hypocrita, novae haereseos placitis imbutus, imperatricis Eudoxiae adiumento fretus, imperatores Theodosium II et Valentinianum III circumvenit, eos inducens ad concilium in causa Eutychiana Ephesi convocandum (449). Praesedit Dioscorus, suis stipatus sequacibus; qui etiam prohibuit ne Pontificis legati praesiderent, nec permisit ut legeretur Leonis epistola. Episcopos quoque novae haeresis adversarios iniuriis omnisque generis conviciis insolenter appetiit, quos inter S. Flavianum, qui, ex verberibus vulneribusque acceptis, post triduum defunctus est. Episcopos autem, ut duophysitarum doctrinam damnarent et Eutychetis orthodoxiam vindicarent compulit, excommunicatis Flaviano, Eusebio, Theodoreto, aliisque adversae partis principibus, ipsoque Summo Pontifice Leone deposito. Ista est synodus quae in historia sub nomine *latrocinii Ephesini*, σύνοδος λῃστρική, designatur. Haec tamen Theodosius II rata habuit; at Leo in concilio Romae eodem anno adunato, illius synodi decreta annullavit et Dioscorum excommunicavit.

7. — Eodem tempore S. Pontifex Abundium et Asterium episcopos, Basilium et Senatorem presbyteros CP. misit, ut imperatorem docerent quaenam esset vera fidei formula. Sed antequam illuc pervenissent, cum Theodosius iam e vita migrasset, Marcianus, ob ductam in coniugem Pulcheriam Theodosii soro-

rem, summam imperii potitus, ratus se religioni christianae optime consulturum, si concilium a Leone antea expetitum et a Theodosio pertinaciter recusatum congregari curaret, de hac re ad S. Pontificem, quem dicebat *principatum in Episcopatu divinae fidei possidere*, litteras dedit, ut *omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicae fiat, ab omni scelere pura et intemerata consistens.* Interim vero, cum legati CP. pervenissent, benigne honorificenterque a Marciano sunt excepti : ipse vero denuo ad Leonem conscripsit epistolam de concilio celebrando : de qua re et ipsa Pulcheria ad eumdem rescripsit.

Quorum cum votis Pontifex annuisset (A. D. 451), Imperator, datis epistolis, omnes metropolitas convocavit ad Synodum oecumenicam Nicaeae in Bythinia celebrandam. Sed cum a praefectis provinciarum accépisset Illyricum ob metum barbarorum perturbari, ipse vero Nicaeam se conferre non posset, Concilium Chalcedonem transtulit, et illuc episcopos omnes convenire iussit.

8. — Coepit illud haberi mense octobri eodem anno, in amplissima S. Euphemiae V. M. basilica, in suburbio civitatis. Interfuere plusquam sexcenti Episcopi, praesidentibus S. Pontificis legatis. In isto concilio, lectis actis tum Synodi latrocinalis ephesini, tum Synodi CP. a Flaviano celebratae, Flavianus et Eusebius absoluti sunt et ab haeresis nota vindicati; Dioscorus vero depositus, hac, inter alias, de causa, quod synodum sine approbatione Sedis apostolicae tenere praesumpsisset; Eutyches vero et Nestorius iterato damnati, lata demum et promulgata sequens de duabus in Christo naturis fidei professio.

ἑπόμενοι τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, θεὸν ἀληθῶς καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς, τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λο-

Sequentes sanctos patres, unum eumdemque confiteri Filium D. N. I. C. consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdemque perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationali et corpore,

γικῆς καὶ σώματος, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον τὸν αὐτὸν ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν, χωρὶς ἁμαρτίας· πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου τῆς θεοτόκου κατὰ τὴν ἄθρωπότητα, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστόν, υἱόν, κύριον, μονογενῆ, ἐκ δύο φύσεων ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον· οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωφομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἕν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον, ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν υἱόν, καὶ μονογενῆ, Θεὸν λόγον, κύριον Ἰησοῦν Χριστόν· καθάπερ ἄνωθεν οἱ προφῆται περὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰ. Χ. ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ τῶν πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον.

consubstantialem Patri secundum divinitatem, eumdemque consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato[1]*; ante saecula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine secundum humanitatem; unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, ex duabus naturis*[2]*, inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam hypostasim concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et Unigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum; sicut ante prophetae de eo et ipse nos Dominus Iesus Christus erudivit et Patrum nobis symbolum tradidit*[3].

9. — Postea patres ad Leonem rescripserunt, rogantes ut,

1. Heb. IV. 15. — 2. Ita in textu graeco; sed hunc fuisse alteratum, ostenditur ex Evagrio, Euthymio et Leone Byzantino, professionem exhibentibus cum particula *in*. Vide etiam Rustic., in *dialogo adversus Acephalos*, et Epistol. Flaviani ad Theodosium, Niceph. l. 15, cap. 9. Cf. Döllinger, Histor. Ecclesiast., Vol II, p. 168. — 3. Apud Mansi, T. VII, p. 116.

quemadmodum ipse auctor fuerat omnis boni quod in illa synodo actum fuerat, ita eius decreta auctoritate sua firmare dignaretur. Pontifex vero omnes canones approbavit, praeter tamen vigesimum octavum quo, praeiudicio ecclesiarum Alexandrinae et Antiochenae, secundus honoris et dignitatis locus Constantinopoli, novae Romae, post veterem tribuebatur[1].

1. Circa Nestorianismum videri possunt Natalis Alex., Saec. V. Dissert. VI, T. V, p. 187; Labbe, T. III; Mansi, T. IV; Thomass., Dissert. in Syn. Ephes., etc. Circa Monophysitas vero, cf. Evagr., Hist. eccl. l. II.; Cacciari, *De eutychiana Haeresi Historia,* t. III. opp. S. Leonis; Labbe, T. III et IV; Mansi, T. V. VI., VII. Decursu temporis, Monophysitae, dicti *Iacobitae* ab eorum duce Iacobo Baradaeo (Baradai), admiserunt unam naturam post Incarnationem, ex divina et humana natura formatam, attamen sine mixtione et confusione, quod quomodo intelligerent, nescimus : unde hinc quidem a Concilio Chalcedonensi discedentes, illinc tamen anathema Eutycheti dicebant; quapropter semieutychianismo favebant : e contra qui Chalcedonensem fidem retinuerunt, *Melchitae,* id est imperiales dicti sunt, eo quod illa esset imperatoris fides. Le *monophysisme*, scribit Bardenhewer (Les Pères de l'Eglise, T. II. p. 229, n. 1. Paris, 1899), *en parlant la langue et en dénaturant la pensée de saint Cyrille, compromit dans l'Occident la christologie de ce grand homme. Cette christologie attendit un siècle durant l'approbation solennelle du Saint-Siège. Le pape Jean II est le premier qui, dans une lettre officielle de l'an 534, ait allégué textuellement le XIIe anathématisme. La christologie de Cyrille partagera désormais à Rome l'autorité du concile de Chalcédoine et des lettres de saint Léon le Grand.*

QUAESTIO III

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Ex hucusque dictis colligi debet unionem Verbi cum humana natura peractam fuisse non in natura, sed in persona, ita ut una persona Verbi subsisteret in duabus naturis, divina scilicet et humana. Sed unio, ut dictum est, est relatio; relatio vero ex quadam actione consurgit; actio autem factiva unionis est assumptio : unde de unione loquendum modo est, secundum quod per assumptionem constituitur et perficitur. Sed assumptio nequit esse, nisi aliquod assumatur : hinc necessitas tractandi in hac quaestione de assumente, in subsecuturis vero quaestionibus de assumpto.

Porro, sicut ad habendam de aliquo scientiam, non satis est facta repetere, sed necessarium est etiam quid possibile fuerit expendere, ita, in hoc mysterio, non sufficit dogmata recensere, sed oportet etiam ut et dogmatis ratio, multiplicatis hypothesibus, statuatur. Quocirca, quamvis hic *praecipue intendatur explicatio dogmaticae veritatis, tamen, monente Suarezio, oportet ad perfectius et exactius intelligendum, alios modos, quibus de potentia absoluta fieri potuisset, inquiri*[1].

2. — Quaestionis divisio. — Quapropter, octo articulis S. Doctor rem istam ita absolvit, ut de modo unionis ex parte personae assumentis distinctis partibus agendo, primo generaliter (1-7), et secundo specialiter, id est per respectum ad ipsam Filii personam (8), in prima tamen parte non sit contentus quid de facto tenendum sit tradere (1-2), tum quoad personam divinam (1), tum quoad naturam divinam (2), verum etiam quid possibile

1. Satolli in h. l.

fuerit, intendat agitare (3-7). Debent autem possibilitates considerari, non modo secundum specialem abstractionem personalitatum a Deo (3), verum etiam secundum rem ipsam, seu secundum divinas personas in quibus Deus subsistit (4-7), et quidem, sive in seipsis considerentur (4-5), sive considerentur relate ad naturam assumptibilem (6-7). Quantum ad primum, inquirendum veniet, tum utrum una persona possit assumere sine alia (4), tum utrum quaelibet persona assumere valeat (5); quantum ad secundum verò, determinabitur utrum plures personae unam numero naturam assumere potuerint (6), necnon utrum duas numero naturas una tantum persona valeat assumere (7).



Unde octo hic quaeruntur.

Primo. Utrum assumere conveniat personae divinae.

Secundo. Utrum conveniat naturae divinae.

Tertio. Utrum natura possit assumere abstracta personalitate.

Quarto. Utrum una persona possit assumere sine alia.

Quinto. Utrum quaelibet persona possit assumere.

Sexto. Utrum plures personae possint assumere unam numero naturam.

Septimo. Utrum una persona possit assumere duas numero naturas.

Octavo. Utrum magis fuerit conveniens de persona Filii Dei, quod assumpserit humanam naturam, quam de alia persona divina.

ARTICULUS I. — *Utrum personae divinae conveniat assumere naturam creatam.*

1. — Praenotanda. — In hoc articulo sermo est de persona divina ut sic, id est generaliter accepta, non curando utrum sit haec vel illa, una vel plures: hoc enim determinabitur postea. Assumere vero hic accipitur, non simpliciter cum activo sensu, ut cum dicitur[1]: *Assumet duos agnos immaculatos,* sed cum reflexivo sensu, quasi resolvendo verbum per reciprocam particulam *se*, ut assumere sit idem ac *ad se sumere*, quo sensu ait Tullius[2]: *Si id mihi assumo, videor id meo iure quodammodo vindicare.* Igitur, in verbo *assumptionis* duo importantur, scilicet *principium* actus, et *terminus* eiusdem; et *assumere* est esse simul principium et terminum actus assumptionis.

2. — PROP. — **Personae divinae propriissime competit assumere naturam creatam.**

Prob. I. *Auctoritate* sancti Fulgentii dicentis[3]: *Formam, id est naturam servi in suam accepit Deus ille* (scilicet Unigenitus) *personam;* Deus autem Unigenitus secunda est in Sanctissima Trinitate persona.

II. *Rat. theol.* Illi propriissime convenit assumere naturam creatam, cui convenit esse principium et terminum assumptionis: assumere enim significat *ad se sumere.* Atqui personae divinae

1. Levit. XIV, 10. — 2. L. I, Off. c. 1. — 3. L. de Fide ad Petr. c. 2.

convenit esse principium et terminum assumptionis: principium quidem, quia suppositi est agere; terminum vero, quia unio est facta in persona. Ergo divinae personae propriissime convenit assumere.

3. — **Confirmatur.** — Illi convenit propriissime assumere naturam creatam, cui maxime et immediate convenit subsistere, assumitur enim natura ut in ea aliquis subsistat. Atqui maxime et immediate convenit subsistere divinae personae : eius enim actus formalis est esse subsistentiam completam individuam.

4. — **Advertendum.** — *Propriissime* dicitur in conclusione, ad distinguendam personam a natura, cui etiam competit assumere, ut dicetur articulo sequenti, sed non primario. Persona vero, cum de sui ratione propriissima sit subsistentia incommunicabilis pluribus suppositis, ideo hoc sibi vindicat, scilicet terminare unionem personaliter, ut quod subsistit in utraque natura.

5. — **Difficultates.** — **I.** Perfectissimo enti non convenit assumere, assumere enim importat fieri additionem assumpti ad assumentem. Sed persona divina est perfectissimum ens. Ergo personae divinae non convenit assumere.

Resp. *Dist. mai.* Secundum appositionem alterius ad se, *conc.*; secundum appositionem sui ad alterum, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.*—Persona divina, cum sit infinita, non patitur ut sibi fiat ulla additio ; attamen, eo praecise quod infinita est, additionem in altero causare potest. Non debet ergo assumptio sic intelligi, ut per ipsam persona divina ditior sit effecta, quo sensu a Cyrillo dictum est[1] : *Non secundum appositionem, coniunctionis intelligimus modum;* sed hoc sensu assumptio intelligi debet, quod natura humana sit per divinam personam in ea subsistentem ditior effecta. Unde, per gratiam unionis, non est humanum appositum divino, sed potius divinum appositum humano, quemadmodum per gratiam adoptionis non additur aliquid Deo, sed quod divinum est apponitur homini : unde per Incarnationem non Deus, sed homo perficitur [2].

1. Ep. syn. conc. Ephes. p. I, c. 26. — 2. Ad 1^m.

II. SUBSUMES. Atqui personae divinae non convenit assumere, etiam secundum appositionem sui ad alterum. Ergo. — *Prob.* Illi quod est incommunicabile, non convenit assumere, etiam secundum appositionem sui ad alterum, quia illud ad quod aliquid assumitur, assumpto quodammodo communicatur, sicut dignitas communicatur ei qui in dignitatem assumitur. Atqui persona divina est incommunicabilis. Ergo personae divinae non convenit assumere, etiam secundum appositionem sui ad alterum.

Resp. *Nego min. subs. Ad eius prob. dist. mai.* Ut ipsum de pluribus suppositis praedicetur, *conc.;* ut plura de ipso uno supposito incommunicabili praedicentur, *nego. Dist. min.* Persona est incommunicabilis, hoc sensu quod plura non possint de ipsa praedicari, *nego;* hoc sensu quod ipsa non possit de pluribus praedicari, *conc. Nego conseq et conseq.* — Non est contra rationem personae in communi, ut plura in ipsam concurrant, et sic ut plura de ipsa praedicentur : puta, in persona creata plures naturae possunt concurrere accidentaliter, sicut in persona unius hominis invenitur determinata quantitas et qualitas quae de ipso praedicantur; ita etiam in persona divina plures naturae, sed substantialiter concurrere possunt, quae de ea pariter praedicentur. Igitur persona dicitur incommunicabilis, eo quod ipsa nequit de pluribus praedicari[1] ; et in hoc differt etiam ab individuo tum divinae tum etiam creatae naturae. Ab individuo quidem divinae naturae, quia ipsum potest de pluribus personis praedicari, puta ut dicatur : *Pater est Deus, Filius est Deus* etc ; ab individuo autem naturae creatae, quia licet in creatura non differat hic homo et Petrus, aut hic lapis et suppositum, tamen, si tres divinae personae assumpsissent unam numero naturam humanam, ut non impossibile fuisse probabitur articulo sexto, *haec* natura humana, cum notis individuantibus, de pluribus potuisset praedicari, ut diceretur : et Pater et Filius et Spiritus Sanctus hic homo, hic albus, etc.

6. — ***Scholion.** — Porro notatu digna sunt verba quae hic[2] habet S. Thomas : *Proprium est divinae personae, propter eius infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidenta-*

1. Ad 2^m. — 2. Ibid.

liter, sed secundum subsistentiam ; quae expositive aequivalent duabus hisce propositionibus : *primo,* divina persona potest subsistere in pluribus naturis, eo quod est infinita ; *secundo,* consequenter nulla persona creata potest in duabus naturis subsistere. — Contra Scotum qui primum negat, circa secundum autem dubius haeret[1], utrumque simul vindicabitur.

Eatenus potest Verbum in duabus naturis subsistere, quatenus potest subsistere in infinitis naturis, si actu darentur. Atqui Verbum non posset subsistere in infinitis naturis, nisi propter infinitatem divinae personae. Ergo quod divina persona possit subsistere in pluribus naturis, habet ex sui infinitate. — Ratio *maioris* est, quia ubi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas faceret differentiam, si possibilis foret; aliis verbis quemadmodum ponitur Verbum subsistere actu in duabus naturis, ita debet concedi, ut fusius probabitur articulo septimo, quod posset subsistere in tribus, quatuor, etc., quidni in infinitis naturis, si darentur ? — *Minoris* autem ratio est, quia personalitas Verbi est infinita, tum radicaliter, tum formaliter. *Radicaliter* quidem, sic enim non est nisi ipsamet natura divina ; *formaliter* vero, quia personalitas, ut personalitas est, aliud non est, nisi personae terminatio, ita quod persona divina habeat quidem ex natura divina infinitatem in essendo et infinitatem in causando ; sed infinitatem in terminando habet propriissime ex se formaliter et non ex natura divina : consequenter terminare naturam alienam pertinet ad se, secundum quod est ibi eminenter continentia omnium personalitatum ; ideoque, quod Verbum possit subsistere in aliena natura, ex infinitate habet, unde id ita praestat, ut nulla creata personalitas idipsum ullimode praestare valeat[2].

7. — Corollaria. — I. Quae cum ita sint, reiiciendum est tanquam vanum figmentum, quod aliqui ignoranter adstruunt, scilicet fieri posse, et interdum fieri, ut angelus, puta, diabolus, in hominibus quibusdam incarnetur, ut illos ad maiora mala perpetranda excitet : aliud quippe diabolus facere nequit, nisi possidere hominem, non quidem secundum terminationem humanae naturae per hypostaticam unionem, sed tantummodo

1. In 3 Dist. I, q. 4. — 2. Cf. Caiet.

secundum causam movens[1]: quandoquidem unionis Verbi ad humanam naturam ratio ultima repeti debet ex infinitate divinae potentiae, ut etiam Ecclesia in sua liturgia testatur, dum orat[2]: *Excita, Domine, potentiam tuam et veni.*

II. Ex dictis etiam sequitur non posse asseri quod divina persona assumpserit *divinam* naturam, sicut dicitur quod assumpsit *humanam* naturam. Nam persona divina constituitur secundum naturam divinam simpliciter, quae ideo facit personam esse id quod est ab aeterno; sed persona divina non constituitur secundum humanam naturam simpliciter, sed tantummodo *sic*, id est secundum quod divina persona denominatur ab humana natura, a qua Filius Dei habet quod sit homo, passibilis, et mortalis. Quocirca, quia effectus non agit in causam, ideo persona nequit dici assumere naturam divinam, inconveniens enim est quod constitutum assumat id secundum quod simpliciter constituitur; dicitur tamen assumere naturam creatam, quia non inconvenit quod res iam simpliciter constituta aliud sibi assumat, in quo novo quodam modo constituatur[3].

ARTICULUS II. — *Utrum divinae naturae conveniat assumere.*

1. — Praenotanda. — Cum non sint nisi duo in divinis, unum quod est principium unionis seu absolutum, scilicet natura, aliud vero quod est principium distinctionis seu relativum, scilicet persona, hinc probato quod assumptionis opus huic propriissime conveniat, determinandum restat utrum et ipsi divinae naturae ita possit attribui, ut dicatur quod natura divina assumpserit naturam creatam.— Ubi plura praenotanda veniunt. 1° Quaestio haec, sicut quaestio praecedens, est de facto, et non tantum de possibili. 2° Cum actio alicui possit dupliciter tribui, scilicet, ut est principium *quo*, et ut est principium *quod*, ideo quaestio praesens non est utrum divina natura fuerit principium *quo* assumptio est facta, sed potius utrum fuerit aut saltem potuerit esse prin-

1. Cf. Tract. DE ANGELIS, Q. LI. art. 2. — 2. Coll. Dom. I. Advent. — 3. Ad 3m.

cipium *quod*. Nimis enim evidens est Incarnationem, sicut et caetera opera, quae sive ad intra, sive ad extra a Deo fiunt, in virtute divinae naturae fieri. Quaestio igitur est utrum natura divina fuerit non modo id *quo* assumptio est peracta, sed etiam utrum fuerit id *quod* assumpsit. 3° Recolendum est in verbo *assumere* duo significari : *principium* assumptionis et *terminum* eiusdem.

2.—PROP. — **Divinae naturae α) tanquam assumptionis principio, β) non autem tanquam assumptionis termino, secundum seipsam convenit assumere.**

Prob. 1ª Pars. — Illi convenit secundum seipsum esse principium assumptionis, cuius virtute assumptio est peracta. Atqui virtute divinae naturae assumptio peracta est. Ergo divinae naturae secundum seipsam convenit esse principium assumptionis.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod, quando est sermo de natura creata, agere quidem non convenit naturae, sed personae, distinguitur enim realiter ibi illud quo agit, et illud quod agit; siquidem natura est id *quo*, suppositum vero id *quod* agit. At in Deo, sicut idem est quo est et quod est, ita etiam idem est quo agit et quod agit : unumquodque enim in tantum agit, in quantum est ens, essentia autem Dei est ipsum eius esse. Quocirca natura divina est simul principium *quo* Deus agit, et ipse Deus *qui* agit : unde naturae divinae secundum seipsam convenit esse principium *quod* assumptionis[1], non secus ac ipsi competit esse principium productionis hominis; ut, quemadmodum tres divinae personae concurrentes per modum unius principii subsistentis, in illo opere dixerunt[2]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ita in hoc opere tota Trinitas exhibeatur agens. Legimus enim, per respectum ad Patrem[3] : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere;* per respectum autem ad Filium[4]: *Semetipsum exinanivit;* necnon per respectum ad Spiritum Sanctum[5] : *Quod... in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Quocirca ait S. Fulgentius[6] : *Illa natura, quae semper genita manet ex Patre* (id est, ut exponi debet, quae

1. Ad 3ᵐ. — 2. Gen. I, 26. — 3. Gal. IV, 4.— 4. Phil. II, 7.— 5. Matth., I, 20. — 6. L. de Fide ad Petr., c. 2.

est per generationem aeternam accepta a Patre), *naturam nostram a matre sine peccato suscepit.*

3. — **Scholion** — Circa id quod dicit S. Thomas, nempe quod *virtute* (divinae naturae) *assumptio facta est*, advertendum est quod nulla creatura aut effecit aut poterat efficere unionem hypostaticam sua propria virtute. Cuius rei praecipuum argumentum est S. Scripturae hac de re silentium, imo explicita mentio, quod opus illud solius Dei efficientiae tribuendum sit. Idipsum evincit haec ratio, nempe quod talis unio excedit omnem energiam et efficientiam creatae aut creabilis naturae, cum esse personale Verbi sit infinitum, et extra omnes limites activitatis cuiuscumque naturae creatae, non modo quoad fieri, sed etiam quoad coniungi. Quod valet etiam de Beatissima Virgine, cuius operatio in hoc sita est, ut respectu alicuius circumstantiae Incarnationis tantum, puta circumstantiae temporis, causa meritoria extiterit, et ut Verbo Incarnato carnis suae materiam ministraverit : qua in re ait Angelicus[1] : *In ipsa conceptione Christi Beata Virgo nihil active operata est, sed solum materiam ministravit.* Unde opus istud aliquid omnino novum super terram dicendum est[2], et tanquam verum miraculum praedicandum[3]. Porro, quod Hezychius[4] vocat B. Virginem *instrumentum Incarnationis*, lato sensu debet sumi, scilicet pro omni eo quod ad alicuius rei productionem quocumque modo concurrit.

4. — **Probatur 2ª Pars.** — Cum assumptio sit terminata non in naturam secundum seipsam, sed in unam ex tribus personis, scilicet in personam Verbi, hinc dici potest natura divina assumpsisse naturam humanam ad personam Verbi. Sed persona Verbi est persona divinae naturae : igitur natura divina assumpsit naturam humanam ad *sui personam*. Et quia omnis actio, sicut motus, magis specificatur a termino quam a principio, igitur *primo* et *propriissime* persona dicitur assumere, quia in ipsa terminata est assumptio ; *secundario* autem et *non tam proprie* dicitur quod convenit naturae divinae assumere.— *In forma :* Illi con-

1. Infra, Quaest. XXXI, a. 5. — 2. Hier. XXXI, 22. — 3. Vide quod scripsimus in Op. *Del Miracolo*, etc., c. VI, pp. 99, sqq, Romae, 1900. — 4. Hom. 2 de Deipara.

venit assumere ut termino, quod est terminus assumptionis. Sed natura divina non est terminus assumptionis. Ergo naturae divinae non convenit assumere ut termino.

5. — Exponuntur SS. Patrum dicta. — Ex hisce intelligi potest quonam sensu aliqui ex sanctis Patribus dixerint, naturam divinam esse incarnatam; scilicet, non ad significandum quod natura divina sit in carnem conversa aut viceversa, quod Eutychianum esset, sed quod natura divina fuerit principium assumptionis, licet non fuerit eius terminus. *Dicimus*, ait S. Damascenus[1] *naturam Dei incarnatam esse secundum beatos Athanasium et Cyrillum*. Non tamen dici potest: *Natura divina est facta homo, aut est nata, passa aut mortua:* siquidem essentia divina nec est in carnem conversa, nec est secundum se nata aut passa[2].

Exinde legimus in concilio Tolet. VI[3]: *Ex tribus personis divinis solum Filium fatemur, ad redemptionem humani generis, humanitatem sine peccato de sancta Virgine assumpsisse; ut idem Filius Dei Patris esset Filius hominis, Deus perfectus et homo perfectus, in duabus naturis una persona, ne quaternitas Trinitati accideret, si in Christo gemina persona esset... Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, id est, in eo quod est proprium Filii, non quod est commune Trinitati, quoniam constat naturam Trinitatis esse, non tamen personam.*

6. — Difficultates — I. Assumere est ad se sumere. Sed divina natura non sumpsit ad se naturam humanam. Ergo divinae naturae non convenit assumere.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Sumpta natura divina praecisive pro eo quo Deus subsistit, et non realiter pro eo quod subsistit, *conc.;* sumpta pro eo quod realiter subsistit, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Vis huius difficultatis in particula reciproca *se* consistit, quae importat ut terminus actionis referatur ad illud suppositum, quod fuit principium eiusdem. Porro, in praesenti casu, terminus assumptionis est suppositum Verbi; quod quidem suppositum

1. L. III, Orthod. Fid. c. 6. — 2. Cf. quae diximus Quaest. II, a. 1, n. 13. — 3. Can. 1.

aliud non est a natura divina, seu, ut dicit S. Thomas, *natura divina non differt supposito a persona Verbi.* Ergo, dicere quod natura divina sumpsit naturam humanam ad suppositum Verbi, acquivalet ei quod dicatur quod illam sumpsit ad se, seu assumpsit.

Instabis: Atqui natura divina nec sumpta *realiter* pro eo quod subsistit, sumpsit ad se naturam humanam; secus et Pater posset dici assumpsisse naturam humanam, quia illam sumpsit ad Filium, cum quo aeque participat naturam divinam.

Resp. *Nego subsumptum.* — Ad rationem dicitur quod Pater differt supposito a Filio, natura autem divina non differt supposito a Filio; unde bene dicitur: Natura divina assumpsit, id est sumpsit ad se, naturam humanam, cum illam sumpserit ad personam Filii, non autem quod Pater assumpsit, seu sumpsit illam ad se, cum non est idem suppositum Patris et Filii[1].

II. Quod convenit naturae divinae, convenit tribus personis. Sed assumere non convenit tribus personis: Pater enim et Spiritus Sanctus non assumpserunt naturam humanam. Ergo non convenit naturae divinae.

Resp. *Dist. mai.* Quod convenit naturae divinae secundum se, *conc.;* quod ipsi convenit ratione alicuius personae, *nego. Transmissa min. Nego conseq. et conseq.* — Ea quae conveniunt naturae divinae secundum seipsam, tribus personis conveniunt: et huiusmodi sunt ea omnia quae conveniunt Deo ut unus est, verbi gratia, bonitas, sapientia; aut ut est Creator; aut ut est sanctificator; aut, sicut in casu praesenti, ut est principium assumptionis. Quod autem ipsi convenit ratione personae, ut verbi gratia, proprietas personalis, et, in casu, esse terminum assumptionis, soli illi personae convenit. Igitur distinctio in conclusione adhibenda redit: scilicet, assumere convenit naturae divinae ut *principio quod* assumptionis, non autem ut *termino* eiusdem[2].

7. — ***Quaestio.** — *Utrum potuerit assumptio terminari in naturam divinam?*

Resp. *affirmative*, sumendo naturam divinam ut est subsistens,

1. Ad 1^m. — 2. Ad 2^m.

ut sic, quemadmodum divina natura, eo quod est ens per se et subsistens, est per se principium assumptionis, ita foret etiam per se terminus eiusdem. Et ita hic Deus esset hic homo ; et sicut hic Deus est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, ita etiam hic homo esset Pater, Filius et Spiritus Sanctus, et assumptio terminaretur per se primo non ad naturam divinam *praecisive* acceptam, ut dicebat Eutyches, sed ad individuum naturae divinae, quod est hic Deus, nempe terminus hypostasis completae quoad terminare assumptionem ; et consequenter, vi unionis sic factae, tres personae essent unus homo, sicut sunt unus Deus.

Ratio, ut dicetur articulo sexto, est, hinc quidem quia in hoc mysterio, ut ait S. Augustinus[1], *tota ratio facti est potentia facientis ;* illinc vero quia natura divina, utpote perfectissime subsistens, potest communicare subsistentiam naturae humanae, sicut illam communicat tribús divinis personis.

Hoc autem, quod tantummodo tanquam possibile ponimus, alii factum fuisse censent, ut scilicet una quidem persona Verbi de facto terminaverit assumptionem, sed illam terminaverit per ipsammet essentiam divinam, ita ut intelligatur assumptio terminata prius in natura divina, et per naturam in persona illa Verbi, et prius debeat fieri unio naturae divinae cum humana, quam unio personalis Verbi cum humana natura. Haec est *Durandi*[2] sententia, quae quidem sequitur ex eo quod posuerat, nempe proprietates relativas, quibus personae constituuntur, non esse ex se et formaliter subsistentias. Unde eius sententia potest ita proponi : Persona Verbi per illud assumit terminative naturam humanam, per quod subsistit. Atqui subsistit per naturam divinam. Ergo persona Verbi per naturam divinam assumit terminative naturam humanam.

8. — Solvitur dubium. — Huic respondetur animadvertendo aequivocationem latere sub hoc vocabulo *subsistere*. Revera, subsistere in divinis et est quid essentiale et quid personale. Essentiale quidem, quo natura ipsa divina subsistit communicabiliter ; personale vero, quo unaquaeque persona subsistit incommunicabiliter. Et ne quis putet subsistere esse tantummodo quid essen-

1. Ep. ad Volus. — 2. In 3 Dist. I, q. 2.

tiale, hoc argumento probatur esse personale: Personalitas est quid personale. Sed subsistere est personalitatis. Ergo subsistere est quid personale. — *Minor* constat: secus enim Trinitas esset solum Trinitas relationum, seu proprietatum relativarum, quum fides catholica docet quod Trinitas est Trinitas subsistentium, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ulterius hoc evincitur ex prima parte, ubi S. Thomas dicit[1]: *Proprietates personales non intelliguntur advenire hypostasibus divinis, quasi formae subiecto praeexistentes, sed ferunt secum ipsas hypostases.* Immo potest dici quod subsistere magis est personale quam essentiale: nam τῷ subsistere personali magis competit definitio Boetiana personae quam τῷ subsistere essentiali; unde natura divina non dicitur habere nisi *quasi rationem* personae. — Ubi notanda est differentia in hac re inter Deum et creaturas: nam personae divinae mendicant subsistere ab essentia; e contra in creaturis, natura mendicat subsistere a persona. Consequenter in divinis subsistere est formaliter personae, originaliter vero seu radicaliter est essentiae; in creaturis vero res e converso se habet. Unde, in casu, filiatio habet quod subsistat radicaliter ab essentia, formaliter vero ex sese, quia constituit subsistens hypostatice[2].

Unde difficultati *respondetur* in forma: Persona Verbi per illud assumit terminative naturam humanam, per quod subsistit formaliter, *conc.;* per quod subsistit radicaliter, *nego. Dist. min.* Persona Verbi subsistit per naturam divinam radicaliter, *conc.;* formaliter nego. *Nego conseq. et conseq.*

9. — Scholion. — Quaerenti utrum Incarnatio sit opus ad extra, respondendum est affirmative, et quidem tum ex parte principii, tum ex parte termini. Nam, primo, ad hoc opus perficiendum tres divinae personae cooperatae sunt, cum divina natura unierit humanam naturam ad Verbi personam. Ex parte etiam termini, apparet Incarnationem esse opus ad extra: siquidem Verbum non proprie apposuit humanam naturam sibi, sed potius apposuit se humanae naturae, ut dictum est; et sic Verbum ponitur terminus assumptionis non propter se, sed propter humanam naturam quam terminat.

1. Quaest. XL, art. 3. — 2. Cf. Caiet.

ARTICULUS III.— *Utrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam constiterit quod assumere de facto propriissime competit personae divinae, secundario autem naturae, modo possibilitates ex parte assumentis ita sunt investigandae, ut primo quaeratur utrum, circumscriptis per intellectum trium personarum personalitatibus, adhuc natura divina assumere valeat. Ad quod resolvendum, necesse est ut primo tradatur quid sit abstractio, secundo quotuplex abstractio distinguatur.

2. — Quid sit abstractio. — Abstractio est actus intellectus, quo in re aliqua consideratur unum sine alio. Quia igitur abstractio est actus intellectus, ideo eo modo potest abstractio haberi, quo intellectus ipse potest se habere circa considerandum aliquid. Iamvero, intellectus ad rem aliquam considerandam, potest dupliciter se habere : *uno modo*, ut illam cognoscat sicuti est in se; *alio modo*, ut illam cognoscat secundum modum suum. Primo modo, intellectus debet conformare se rei, et modus rei debet esse modus intellectus : puta, ut rem simplicem consideret simpliciter et rem compositam composite. Alio modo, intellectus potius conformat, adaptat rem sibi, et modus suus fit modus rei ; ideoque rem unam et simplicem considerat multipliciter et divisim, sicut et ipsa intellectus cognitio composita est et divisa.

Porro, quando est sermo de Deo, cognitio primo modo sumpta non est possibilis, nam intellectus humanus nequit cognoscere Deum sicut est in se : et ratio est quia sic oporteret ut comprehenderet Deum, qui tamen incomprehensibilis est. Revera, si circumscribatur aliquid in Deo a parte rei, nihil remanebit, quia totum quod est in Deo est unum, salva distinctione personarum; sed nec posset quidem sic abstrahi una persona ab alia, quia personae distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul, ideoque una tollitur sublata alia. Igitur, modus Dei nequit esse modus nostrae cognitionis. Possumus tamen cognoscere Deum per modum nostrum, scilicet considerando multipliciter et divisim

id quod est in Deo unum et simplex, seu quodammodo accommodando modum Dei modo nostro, et sic considerando unum attributum, sive essentiale sive personale, sine alio, scilicet essentiam sine personis, aut viceversa.

3.— **Quotuplex sit abstractio.** — Igitur duplex est abstractio: una rei, sive obiectiva, altera intellectus, sive subiectiva. Prior non potest fieri nisi ubi invenitur compositio, sive logica, sive physica, sive metaphysica, ut in homine potest abstrahi ratio generis a ratione differentiae, materia a forma, suppositum a natura, essentia ab esse, subiectum ab accidentibus. Altera vero abstractio fieri potest etiam in ente simplicissimo, qualis Deus est, intelligendo scilicet bonitatem et sapientiam, et alia huiusmodi, quae dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quae dicuntur personalitates, et pariter abstrahendo naturam a tribus personalitatibus. Et in hoc non mentimur, seu *abstrahentium nostrûm non est mendacium;* quia, dum prioris speciei abstractio refertur ad rem ipsam, ut effectus ad causam univocam, ista refertur ad rem ut effectus ad causam analogicam, quae causa in infinitum excedit effectum. Prior quippe abstractio actualiter invenitur in obiecto, non quasi res quae considerantur realiter sint separabiles, sed quia rationes realiter sunt distinctae, ut puta, ratio generis non est ratio speciei, licet non possit separari genus a specie; altera vero abstractio virtualiter tantum continetur in re ipsa; unde illa quidem potest dici abstractio *resolutiva*, haec vero abstractio *similis resolutivae*.

Porro, quia in divinis, haec tantum abstractio possibilis est, ideo quod dicetur respicit solum abstractionem similem resolutivae, non autem abstractionem resolutivam.

4. — PROP. — **Abstracta per intellectum personalitate, possumus adhuc intelligere naturam divinam assumentem.**

Prob. Persona potest assumere. Sed, abstracta per intellectum personalitate, natura divina remanet ut persona. Ergo, abstracta per intellectum personalitate, natura divina potest assumere.

Maior constat; *minor* declaratur ipsis S. Thomae verbis[1]: *Quia*

1. Ad 1[m].

in divinis idem est quo est et quod est, quidquid eorum, quae attribuuntur Deo in abstracto, secundum se consideretur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens et per consequens persona, cum sit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc positis proprietatibus personalibus in Deo, dicimus tres personas, ita, exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra natura divina ut subsistens, et ut persona, et per hunc modum potest intelligi quod assumat naturam humanam ratione suae subsistentiae vel personalitatis.

Igitur natura divina, abstractis personalitatibus Patris, Filii et Spiritus Sancti, remanebit ut subsistens ; et erit etiam persona, non praecise quia erit subsistens, nunc enim de facto natura divina est subsistens, sed non est persona, sed in vi abstractionis, eo quia abstractis caeteris, remanebit incommunicabilis. Tunc enim omnes notae, quae in definitione personae ingrediuntur, habebuntur : siquidem erit substantia rationalis naturae individua, scilicet completa, subsistens et incommunicabilis, talis quippe, qualem iudaei et ethnici Deum confingunt, unum nedum in natura, sed etiam in persona[1], quem trinum esse simul et unum nullus homo cognoscere posset, nisi fuisset ei datum desuper, nempe per revelationem ab ipsomet Deo Trino et Uno immediate factam.

5.— Explicatur. — Ad huius rei evidentiam, tria distingui debent in divinis secundum rationem, quae re sunt unum et idem : scilicet, *deitas*, seu ipsa natura vel forma divina *qua* Deus est ; *individuum subsistens* in divina natura, seu hic Deus ; et *personae tres* in deitate subsistentes incommunicabiliter, scilicet Pater, Verbum et Spiritus Sanctus. In humanis quidem duo tantum sic distingui possunt, nempe *humanitas*, et *hic homo* qui est *Petras;* nam inter hunc hominem et Petrum non est distinctio nisi rationis ratiocinantis, eo quia individuum subsistens alicuius naturae creatae non potest in pluribus distinctis suppositis inveniri. In divinis autem praeter naturam quae est abstractum, et personas quae sunt concretum singulare subsistens incommunicabiliter, est concretum singulare subsistens communicabiliter, seu hic Deus, quod potest, latiori sensu, vocari persona[2]. — In hac

1. Ad 2^m.— 2. Cf. quae diximus in Tract. DE DEO UNO, Quaest. III, art. 3.

igitur hypothesi, adhuc dicendum foret quod unio sit facta in persona, hoc lato sensu accepta, et non in natura. Nam hic de persona actum est proprie, secundum quod distinguitur contra naturam. Atqui in hoc casu adhuc distingueretur contra naturam, ut dictum est; et sic humana natura inesset intrinsece huic Deo, non tanquam accidens, nec tanquam pars integralis, aut tanquam illius propria natura, sed tanquam natura assumpta, cui communicaret suam subsistentiam, ideoque unio esset facta in persona[1].

6. — **Difficultates.** — I. Quod convenit alicui ratione alterius, hoc remoto, non potest amplius ei convenire; sicut corpus cui competit videri ratione coloris, sine colore nequit videri. Sed assumere convenit naturae divinae ratione personae. Ergo remota persona, natura divina nequit assumere.

Resp. *Dist. mai.* Si hoc alterum nequeat suppleri, *conc.*; secus, *nego. Dist. min.* Secundum quod persona est *haec*, *nego;* secundum quod est subsistens in aliqua natura individua, *conc. Nego. conseq. et conseq.* — Haec difficultas oritur ex eo quod putatur personam *hanc*, puta Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti, aut omnes tres personas simul, in eo quod sunt *hae* personae, esse divinae naturae rationem assumendi; sed non ita est, cum persona sit ratio assumendi, non quia est *talis* persona, sed quia dat subsistere incommunicabiliter humanae naturae. Error quoque est in exemplo allato. Siquidem, color est ratio videndi, non quia est hic color, sed quia facit videre; sicut etiam phantasma est conditio ad intelligendam quidditatem rerum, non quia est phantasma, sed quia est in hac vita conditio ad intelligendam rem cuius est phantasma; potest enim homo sine phantasmate intelligere, si scilicet haec conditio aliunde suppleatur, ut puta, quando anima separatur a corpore, non intelligit amplius convertendo se ad phantasmata, sed ad species intelligibiles quae ipsi subministrantur a Deo in hoc statu[2]. Igitur quia natura divina habet ut actu sit subsistens, ideo potest ipsamet subsistere in creata natura[3].

II. Si, abstracta per intellectum personalitate, naturae convenit

1. Cf. Caiet., in Quaest. II, art. 2. — 2. Cf. S. Thom. 1, Quaest. LXXXIX, art. 1. — 3. Ad 1^m.

assumere, ergo unio est facta in natura. Atqui hoc est falsum. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Ergo unio est facta in subsistenti in natura divina, *concedo;* in natura praecisive sumpta, *nego. Dist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.* — Natura divina est ipsemet Deus subsistens; immo, formaliter accepta, est ipsamet divina substantia, siquidem res divinitatis tam excelsa res est, ut habeat et propria naturae et propria personae. Quocirca falluntur qui inter divinam naturam et subsistentiam, itidemque inter divina attributa, introducunt, cum Scoto, distinctionem actualem *formalem* ex natura rei : divina enim essentia est formaliter quidquid simplicis perfectionis est [1].

III. Abstracta per intellectum personalitate, nihil remanet in divinis. Sed assumens oportet ut sit aliquid. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Nihil remanet per modum abstractionis resolutivae, *conc.*; per modum abstractionis similis resolutivae, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Abstractio resolutiva est qua resolvimus rem compositam in sua elementa, non quasi in res separabiles, sed potius in rationes realiter distinctas: puta, speciem in genus et differentiam, compositum in materiam et formam, in universale et particulare: superius illam vocavimus abstractionem *rei.* Ergo talis abstractio non potest habere locum in ente simplicissimo qualis Deus est, in quo nihil est compositionis, ut dictum est, quo sensu ait S. Thomas[2] : *Abstracta in divinis personalitate, nihil remanet.* Sed abstractio similis resolutivae, seu *intellectus*, ea est qua in ente simplicissimo, ut supra dictum est, ea quae sunt unita distinguimus, ut hypostasim ab attributo essentiali; quo sensu Damascenus dicit quod in Deo commune est substantia, particulare vero hypostasis [3].

7. — Scholion. — Ex huius articuli doctrina argumentum invictissimum eruitur pro vindicanda etiam contra Unitarios, Deistas, et eos omnes qui Trinitatis revelationem respuunt, Incarnationis possibilitate: potuit enim divina natura, praecisione facta a personalitatibus, terminare unionem alicuius naturae creatae; quapropter, dato quod divina natura per se, ut sub-

1. Ad 2[m]. — 2. 1. Quaest. XL, art. 3. — 3. Ad 3[m].

sistens est, terminasset assumptione humanam naturam, sic primum mysterium esset mysterium Incarnationis; nunc autem, facta unione ad personam Verbi, cognitio Incarnationis supponit cognitionem mysterii SSmae Trinitatis.

ARTICULUS IV. — *Utrum una persona possit sine alia naturam creatam assumere.*

1. — Errores. — Vesana fuit olim *Hermogenis* et *Praxeae* sententia Filium Dei non potuisse sine Patre incarnari aut pati, cum sit eiusdem naturae cum ipso. Quod et Sabelliani dictitare non sunt veriti, qui et *Patripassiani* proinde dicti sunt, et iamdiu in quodam concilio damnati, ut refert Socrates[1] necnon S. Anselmus[2]. Dubitandi autem ratio ex eo praecipue deducitur quod, cum assumere sit opus ad extra, non videtur quomodo ad unam tantum personam, sine aliis, assumptio potuerit terminari: indivisa enim sunt Trinitatis opera ad extra, ut ait Augustinus[3]. Quo tamen nihilo obstante, ponenda est haec, quae de fide est

2. — PROP. — **Una persona α) non potest naturam humanam assumere, alia non assumente, secundum quod assumptio importat actum; β) potest tamen, secundum quod importat terminum.**

Prob. 1ª Pars. — Quod procedit ex divina virtute, commune est tribus personis, ita quod una illud sine alia facere non possit: est enim trium personarum una virtus, sicut est una essentia et una operatio. Atqui assumptio, secundum quod importat actum, procedit ex divina virtute. Ergo ita communis est tribus personis, ut una sine alia assumere non potuerit. Quod si assumptio solam hanc operationem importaret absque termino qui est persona, nullimode posset convenire uni personae quin et alteri conveniret[4].

3. — Prob. 2ª Pars. — Quod pertinet ad rationem personae in divinis, potest convenire uni sine aliis. Atqui assumptio,

1. Hist. l. II, c. 15. — 2. De Inc. c. 1. — 3. In Enchir., c. 38. — 4. Ad 1^m.

secundum quod importat terminum, pertinet ad rationem personae. Ergo potest convenire uni personae sine aliis. Exinde, quia ratio agendi est natura, quae communis est tribus personis, hinc tres personae in actu assumptionis cooperantur; quia vero ratio terminandi est relatio quae uni personae propria est, ideo sic una persona terminat, quatenus est ab aliis distincta. Hinc Angelicus ait[1] : *Quando aliqua duo in aliquo conveniunt, et in aliquo differunt, si aliquid unitur alicui eorum, ratione eius in quo conveniunt, oportet quod reliquo uniatur, non autem si unitur ei ratione eius in quo distinguitur ab altero*[2].

Haec duo complectens S. Augustinus ait[3] : *Illam creaturam quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecit: neque enim separabilia sunt opera Trinitatis.* Et S. Ildephonsus ita Deiparam alloquitur[4] : *Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te; sola persona Filii in corpore tuo nascitura carnem assumet de te.*

4. — ***Corollaria.** — Ex hoc sequitur : **I.** quod tres personae fecerunt ut humana natura uniretur uni personae Filii, ut apparet ex eo quod non Deus sed Verbum, apud Ioannem, dicitur caro factum.

II. Si distinctio fiat theologiae in theologiam *coniunctam* seu *unitam*, quae tractat de iis in quibus Trinitatis personae unum sunt, ut sunt Deitas, bonitas, causalitas; et in theologiam *discretam*, quae spectat ad ea quae uni personae ad distinctionem alterius conveniunt, ut esse Patrem, esse Filium, etc., dicendum erit cum auctore libri de *divinis Nominibus*[5], quod Incarnationis mysterium ad discretam theologiam, potius quam ad theologiam coniunctam pertinet, quatenus aliquid praedicatur de una ex divinis personis cum aliarum exclusione.

III. Cum indivisa sunt opera Trinitatis ad extra, ideo Incarnatio quae a tribus divinis personis, quantum ad assumptionis actum facta est, inter opera ad extra est connumeranda, licet sit ad unam personam terminata; ideoque duabus processionibus in divinis tertia non est adiungenda.

1. In 3. Sent. Dist. I. — 2. Cf. verba Conc. Tolet. superius relata, art. 2, n. 5, p. 185. — 3. In Enchir. c. 38. — 4. L. de Virg. B. Mariae. — 5. C. 2.

5. — Difficultas. — Iuxta Damascenum[1], tota divina natura in una suarum hypostaseon incarnata est. Sed natura communis est tribus personis. Ergo et assumptio.

Resp. *Dist. mai.* Tota divina natura est incarnata, prout communis est tribus personis, *nego*, prout est in persona Filii, *conc. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Natura divina non dicitur incarnata, aut assumens, prout communis est tribus divinis personis, incarnari enim et assumere non convenit naturae secundum se, sed ratione personae ad quam unio terminata est. Revera, natura divina tota dicitur incarnata, non quia sit incarnata in omnibus suis personis, sed quia personae, quae incarnata est, nihil de perfectione divinae naturae deest[2].

6. — Scholia. — **I.** Exhinc desumitur ratio distinctionis faciendae inter Incarnationem et illam assumptionem quae fit per gratiam adoptionis. Nam utriusque quidem principium est natura divina, prout est communis tribus personis, unde etiam de assumptione per gratiam legimus[3]: *Deus enim illum assumpsit*[4]; sed dum Incarnatio terminatur ad personam divinam, gratia adoptionis terminatur ad quamdam participationem divinae naturae, secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius, iuxta illud S. Petri[5]: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Ideoque assumptio, quae est per gratiam adoptionis, sicut et illa quae est per gloriam consummatam — utraque enim significatur per haec S. Petri verba — communis est tribus personis, tum ex parte principii, tum ex parte termini; sed Incarnatio, seu assumptio quae est per gratiam unionis, communis est ex parte principii tantum[6].

II. Licet solus Filius sit incarnatus, tamen Pater et Spiritus Sanctus, revera sunt in Christi humanitate, quod S. Augustinus ita exprimit[7]: *Suscepit Filius carnem in proprietate, sed tamen et Pater et Spiritus Sanctus non defuit maiestate. In divinitate aequalitas; in carne sola Filii proprietas, non autem ab eo Patris aut*

1. L. III Orthod. fid. c. 6. — 2. Ad 2^m. — 3. Rom. XIV, 3. — 4. Verba ista in sensu magis obvio intelligenda sunt de iudicio a Deo circa hominem faciendo. — 5. 2 Ep. C. I. 4. — 6. Ad 3^m. — 7. Serm. III de Temp.

Spiritus Sancti recessit aliquando divinitas... Implevit quidem carnem Christi et Pater et Spiritus Sanctus, sed maiestate, non susceptione. — Non tamen dicendi sunt Pater et Spiritus Sanctus esse in Christi humanitate et sic etiam in utero B. Virginis, Verbo Dei gravidae, solum ratione immensitatis, ut habet Alvarez[1], sed potius ratione ipsiusmet Incarnationis et per concomitantiam, quemadmodum divinitas Christi est in Eucharistia, et per ulteriorem concomitantiam, etiam Pater et Spiritus Sanctus. Unde si, per impossibile, Pater et Spiritus Sanctus non essent ubique per immensitatem, adhuc tamen essent in humanitate Christi, sicut ipsum Verbum, cum hac differentia, quod Verbum ibi adest per se, primo et directe, Pater vero et Spiritus Sanctus per alium, per concomitantiam et indirecte. Unde dicebat Christus[2]: *Solus non sum, sed ego et qui misit me Pater.* Et rursus[3]: *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Et[4]: *In* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* et S. Cyrillus Alexandrinus[5]: *Erat Deus Pater cum Filio, hoc est cum incarnato inhumanatoque Verbo, prout is a Filio separari nequaquam potest.*

ARTICULUS V. — *Utrum quaelibet persona divina potuerit humanam naturam assumere.*

1. Ratio articuli. — Declarato quod una persona divina potuit assumere naturam humanam alia persona non assumente, nunc sequitur determinandum utrum hoc verificari potuisset de quacumque persona divina; quod aliquando quidem Anselmo dubium apparuit[6], hac praesertim de causa, quia soli Filio Dei hoc convenire posse videtur quod sit Filius hominis, secus quaedam confusio sequeretur in nominanda Trinitate. Attamen responsio affirmativa clauditur sequenti

2. — PROP. — **Pater vel Spiritus Sanctus potuerunt carnem assumere aeque ac Filius.**

Prob. Quod uni personae divinae convenit ratione suae persona-

1. Disp. XX. — 2. Io., VIII, 16. — 3. Ibid., XIV, 10. 11. — 4. Col. II, 9. — 5. Conc. Ephes., t. VI, c. 17. — 6. Lib. de Inc. c. IV.

litatis et divinae virtutis, potest etiam aliis personis divinis convenire, eadem quippe est ratio personalitatis in tribus divinis personis, licet proprietates personales sint diversae; eadem quoque virtus divina communiter et indifferenter se habet ad omnes personas, unde actio divinae virtutis ad quamlibet personam terminari potest, quod exemplo patet in potentiis rationalibus, quae cum ad opposita se habeant, utrumque agere possunt. Atqui assumere naturam humanam convenit Filio ratione personalitatis et divinae virtutis: divinae quidem virtutis, si consideretur principium assumptionis, sive ipse actus; personalitatis autem, si consideretur ipsemet assumptionis terminus, sive persona. Ergo quaelibet divinarum personarum potest assumere humanam naturam, sicut Filius illam assumpsit; et virtus divina potuit unire humanam naturam personae Patris et Spiritus Sancti, sicut univit eam personae Filii.

3. — *Confirmatur. — Quidquid potest Filius, potest Pater, potest et Spiritus Sanctus: eadem enim est trium divinarum personarum potentia essentialis, cum *omnipotens* (sit) *Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus*[1]. Atqui Filius potuit incarnari. Ergo et Pater et Spiritus Sanctus.

4. — **Corollaria.** — Hinc, I. si Pater vel Spiritus Sanctus assumpsisset humanam naturam, factus fuisset filius hominis, sicut Verbum. Nec ulla exinde sequeretur divinarum personarum confusio; nam Verbum remansisset Filius Dei, cum non habeat ex filiatione temporali quod sit genitus a Patre, sed potius filiationem temporalem habeat ex sua nativitate temporali, quam filiationem Pater tunc vel Spiritus Sanctus habuisset[2]. — Unde *difficultati* S. Anselmi statim *respondetur*, confusionem futuram fore non in re, sed tantummodo in sermone, cum plures filios audiremus.

II. Nec obstaret nativitati Patris quod sit innascibilis; haec quippe notio excludit quidem nativitatem aeternam, non autem nativitatem temporalem: unde, si natus fuisset Pater, fuisset in tempore natus, nativitate tamen aeterna innascibilis. Et cum de ratione missionis in divinis sit, ut missus sit ab alio secundum

1. Symb. Athan. — 2. Ad 1^m.

processionem ab eo, Pater, si fuisset incarnatus, non propterea missus dicendus foret, cum a nullo in divinis procedat[1].

5. — Quaestio. — *Quid de adoptione nostra dicendum foret si, verbi gratia, Pater fuisset incarnatus?*

Resp. Adoptionem nostram S. Paulus describit his verbis[2]: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Porro, cum huiusmodi adoptio sit actus quo Deus admittit homines ad haereditatem beatitudinis aeternae, ideoque sit opus ad extra, hinc ad totam Trinitatem communiter pertinet, dicitur enim[3]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater*, ubi tres personae manifeste recensentur; licet hoc adoptionis opus Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis hanc similitudinem, approprietur. Filio autem incarnato, similitudo ista ad eum habetur, tum secundum divinam, tum etiam secundum humanam naturam; secundum quidem divinam naturam, habita ratione eius aeternae nativitatis, qua simillimus Patri ab eo procedit; secundum humanam naturam, propter conformitatem gratiae et gloriae animae et corporis cum divinitate. Quam nostri cum Christo similitudinem, secundum illius humanam naturam, Paulus ita innuit[4]: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus:* unde et praedestinati imago quaedam Christi esse debent, ideoque iubemur portare eius imaginem[5]. At, Patre incarnato, adoptivam filiationem reciperemus in similitudinem filiationis naturalis Verbi secundum divinam naturam, non autem secundum humanam naturam: et a Patre illam reciperemus, tanquam a principio naturalis filiationis; a Spiritu Sancto autem, tanquam a nexu communi Patris et Filii[6].

ARTICULUS VI. — *Utrum plures personae divinae possint assumere unam numero naturam humanam.*

1. — Status quaestionis. — Haec quaestio in hoc differt a

1. Ad 3[m]. — 2. Rom. VIII, 15. — 3. Gal. IV, 6. — 4. Rom. VIII, 29. — 5. 1 Cor. XV, 49. — 6. Ad 2[m].

quaestione mota et resoluta sub fine articuli secundi, quod ibi quaerebatur utrum personae potuerint assumere unam numero naturam humanam, terminative non per se, sed mediante natura divina ut subsistente; hic autem quaeritur utrum personae eam potuerint assumere terminative primo et per se: unde in priori hypothesi hoc fuisset consequens, quod natura humana fuisset terminata immediate per aliquid absolutum, mediate vero per aliquid relativum, et consequenter quod omnes tres divinae personae debuissent incarnari; in praesenti vero casu natura humana terminaretur immediate per aliquid relativum, et non necessario tres personae, sed aut duae aut tres assumere ponerentur; unde quaestio generatim proponitur: utrum *plures* personae, etc., cui respondetur sequenti

2. — PROP. — **Plures divinae personae potuerunt assumere unam numero naturam humanam.**

Probatio ex eo deducitur quod, quemadmodum plures personae divinae possunt subsistere in una natura divina, ita non est inconveniens quod subsistant etiam in una natura humana. — Sed difficultas statim exoritur, quia natura divina est infinita, igitur infinite communicabilis tribus infinitis personis: natura autem humana est creata et finita: quomodo ergo potest communicari pluribus infinitis personis?

3. — **Advertenda** — Ad cuius rei evidentiam, recolendum est 1° quod natura humana assumpta, fuit completa in ratione speciei: dictum est enim[1], quod facta est unio animae et corporis in Christo in unitatem specificam, non tamen in personam aut hypostasim, praecise quia natura humana assumpta est *in* personam aut hypostasim divinam. 2° Quia *in mysterio incarnationis, tota ratio facti est potentia facientis*, ut ait S. Augustinus[2], ideo magis resolvendum est praesens dubium secundum conditionem divinae personae assumentis, quam secundum conditionem naturae humanae assumptae: facta est quippe assumptio, non per potentiam naturae humanae assumptae, sed per potentiam personae divinae assumentis. Hoc autem sibi vult, considerandam esse in na-

1. Art. 5, quaest. praec. — 2. In Ep. ad Volusian.

tura humana potentiam non naturalem, sed obedientialem, qua scilicet subiacet immediatae actioni primi agentis, et non est nata actuari, citra ordinem naturalem, nisi per potentiam Dei. Et resolvitur in meram non repugnantiam terminorum, quam non repugnantiam solus Deus, apud quem non est impossibile omne verbum[1], potest ad actum reducere. Quapropter, iam probata manebit propositio, si ostendatur non adesse repugnantiam in hoc quod personae divinae plures communicent suam personalitatem uni numero naturae humanae, ut possit formulari propositio de possibili : plures personae divinae subsistunt in una numero natura humana.

4. — Ostenditur non repugnantia. — Atqui, ista non repugnantia evincitur ex verbis S. Thomae : *Est talis divinarum personarum conditio, quod una earum non excludit aliam a communione eiusdem naturae, sed solum a communione eiusdem personae.* Igitur, una persona non excludit aliam a communione eiusdem humanae naturae, sicut non excludit a communione eiusdem naturae divinae; at, undenam hoc resultat ? Resultat praecise ex hoc, ait Caietanus[2], quod una persona divina terminat humanam naturam *intensive* quidem, sed non *extensive;* seu ea omnia quae natura individua includit, substantificantur, seu personantur, sufficientissime a persona divina, quin tamen per hoc exhauriatur huius naturae potentia ut substantificetur et personetur per alias personas.

Profecto, diversus est modus quo natura humana terminatur aut personatur personalitate propria, et modus quo terminatur personalitate aliena. Nam natura humana, statim ac dimittitur extra suas causas, secundum naturae cursum, acquirit personalitatem propriam, ita quod fiat naturalis adaequatio personae ad naturam propriam et viceversa; ideoque suapte natura, humanitas ista nequit se extendere nisi ad constituendam propriam personam. Nec ullimode posset assumi ab alia persona in unitatem personae sine repugnantia in terminis : essent enim duae personae et non essent : ideoque humanitas ista, personata per personalitatem propriam, remanet inassumptibilis omnino.

1. Luc. I, 37. — 2. Hoc loco.

Sed non ita dicendum est, si humanitas haec personetur per personalitatem alienam. Haec autem non potest esse, nisi personalitas divina, quae infinita est, ut dictum est[1]. Sed praecise, quia infinita est, eius proprium est terminare per infinitatem, ideoque ob sui infinitatem, subsistere potest in pluribus naturis. Sed quaelibet persona aeque est infinita; aliunde, personalitates propriae divinarum personarum, puta paternitas, filiatio aut processio, sunt diversarum rationum, ita ut Pater aut Spiritus Sanctus, terminans per personalitatem suam naturam humanam, non excludat Filium a terminando; et personalitates divinae, praecise quia sunt infinitae et excedunt in infinitum naturam humanam, non exhauriunt eius capacitatem, aut exigentiam ut terminetur. Igitur una persona terminat naturam humanam *intensive* quidem, sed non *extensive;* seu quaelibet persona potest personare humanitatem hanc, non ex indigentia naturae humanae, sed ex abundantia personae divinae; ideoque humanitas ista, personata per personalitatem alienam, puta Verbi, adhuc remanet assumptibilis, et sic huius humanitatis non potest esse nisi una personalitas creata, sed bene possunt esse plures personalitates increatae.

5. — ***Quaestio.** — Sed quaestio hic movetur *utrum in hoc casu esset unus homo, an plures.* At non plures, quia ibi esset tantum una numero natura humana, et quemadmodum tres personae dicuntur unus Deus propter unitatem naturae divinae, ita deberent dici unus homo, propter unitatem naturae humanae. In contrarium tamen habetur quod unus homo est iste homo qui connotat unam personam, et sic si dicerentur unus homo, tolleretur personarum Trinitas in humanitate.

Ad quod solvendum, dicendum est, quod hac positione facta, tres personae essent unus homo propter unitatem naturae humanae, sicut sunt unus Deus propter unitatem naturae divinae. Nec ly *unus* importaret unitatem personae, sed unitatem in natura humana; unde tres essent unus in humana natura; et non essent unus simpliciter, sed plures simpliciter personae essent unus in humana natura. Ita homines, qui sunt plures simpliciter, sunt unus quantum ad ordinem, puta unus populus; et similiter spi-

1. Art. I, in resp. ad 2[m] diff., p. 180.

ritus hominis et spiritus Dei, licet sint plures simpliciter, tamen sunt unus conformitate gratiae; unde dicitur[1]: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est;* et S. Augustinus ait[2]: *Diversum est natura spiritus Dei et spiritus hominis, sed inhaerendo fit unus spiritus.*

Profecto, unitas divinarum personarum, in eo quod forent unus homo, esset maior unitate hominis et Dei per gratiam, et adhuc multo maior unitate plurium hominum per ordinem civitatum et regni; minor tamen esset unitate divinarum personarum in deitate: nam tres divinae personae sunt ipsamet natura divina, seu sunt sua divinitas; sed tres divinae personae non essent ipsamet natura humana, seu non essent sua humanitas[3].

6. — Scholia. — I. Positione ista facta, humana natura fuisset assumpta in unitate non quidem unius personae, sed in unitate singularum personarum: ut sicut divina natura habet naturalem unitatem cum singulis personis, ita humana natura haberet per assumptionem unitatem cum singulis personis[4].

II. Quia quaecumque conveniunt naturae, possunt praedicari de persona subsistente in natura illa, cuiuscumque naturae nomine significetur, ideo circa mysterium Incarnationis fit communicatio proprietatum pertinentium ad naturam, et de persona illae proprietates possunt praedicari. Igitur, quemadmodum, Verbo incarnato, de illo homine praedicantur ea omnia quae ad divinam simul et humanam naturam pertinent, ita etiam Patre incarnato, de ipso praedicari possent ea omnia quae ad divinam simul et humanam naturam spectant, et similiter Spiritu Sancto incarnato. Sed non propterea id quod uni personae convenit ratione sui, posset attribui alteri personae; ita, quod convenit Patri ratione propriae personae, non posset attribui personae Filii aut personae Spiritus Sancti, propter distinctionem personarum quae remaneret: unde, quia Pater est ingenitus, posset dici: *Homo est ingenitus*, secundum quod *ly* homo supponeret pro persona Patris; et similiter posset dici: *Homo est genitus*, secundum quod *ly* homo supponeret pro persona Filii.

1. 1. Cor. VI, 17. — 2. L. VI, de Trin. c. 3. — 3. Ad 1^m. — 4. Ad 2^m.

Obicienti autem: *Homo est ingenitus, atqui Filius est homo, ergo Filius est ingenitus,* — respondetur argumentum non concludere, nam medius terminus *homo* nunquam distribuitur, cum in maiori supponat pro persona Patris, in minori vero sit praedicatum propositionis affirmativae, ideoque utrobique supponat particulariter: unde fallacia est figurae dictionis aut accidentis, et idem esset ac si quis modo concludere vellet: *Deus est ingenitus, atqui Filius est Deus, ergo Filius est ingenitus*[1].

ARTICULUS VII. — *Utrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas.*

1.—Praenotanda. — I. Obiectum assumptionis in hac quaestione positum, id est duae naturae humanae, non introducitur hoc loco, nisi pro quanto exigitur ad determinandum de persona assumente quid per se valeat; nam, de natura humana, in seipsa considerata, ut est assumptibilis et assumpta, dicetur in sequentibus quaestionibus, ubi tractabitur de modo unionis ex parte naturae assumptae. Sed, quemadmodum in articulo praecedenti, difficultas de pluribus personis assumentibus praecise oriebatur ex supposita una natura assumpta, ita in praesenti, difficultas de una persona assumente oritur ex suppositione plurium naturarum, non ex parte ipsarum naturarum, sed ex parte personae divinae.

II. Nobis intentio non est ut veluti mentis nostrae palmo divinae personae potentiam dimetiamur: hanc enim prorsus infinitam esse compertum est. Unde potius possibilitas ista ex parte terminorum inspicienda venit, ut resolvatur utrum sit aliqua repugnantia in hoc quod una divina persona plures naturas humanas actu terminet; qua comperta non repugnantia, iam possibilitas rei deduci poterit.

III. Quod in titulo de duabus naturis quaeritur, extendi ita debet, ut valeat etiam pro tribus, quatuor, infinitis naturis huma-

1. Ad 3[m].

nis, si darentur ; quinimmo pro quocumque creaturae genere valet, cum infra[1] ostendetur nullam esse creaturam quae assumi non valeat.

2. — PROP. — **Una persona divina potuit assumere plures naturas humanas.**

I. Suadetur. — α) Filius Dei post Incarnationem, eadem gaudet potentia ac Pater : nihil enim ipsi Incarnatio detraxit. Atqui Pater modo posset incarnari, ut resultat ex praecedentibus articulis[2]. Ergo et Filius novam naturam accipere potest. — β) Unio hypostatica est quidem facta per potentiam Dei, sicut unio per gratiam, sed tamen est ista unione longe nobilior. Atqui unio Dei per gratiam potest fieri ad plures homines. — *Cum sit una*, dicitur de divina Sapientia[3], *omnia potest, et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.* Ergo etiam assumptio ad plures individuas naturas humanas terminari potuit.

3. **II. Probatur argumento apodictico.** — Mysterium Incarnationis magis est iudicandum secundum potentiam activam Dei, quam secundum potentiam passivam naturalem naturae humanae : nam tota ratio facti est potentia facientis, cuius *omnipotens sermo ... a regalibus sedibus venit*[4]. Sed divina potentia limitaretur a creatura, si Deus, post assumptionem unius naturae humanae, non valeret aliam assumere. Limitaretur, inquam, aut ex parte principii, quod est divina virtus aut divina ipsamet essentia, aut ex parte termini, qui est personalitas quae per assumptionem communicatur. Si igitur, assumpta una numero natura humana, alia non valeret assumi, hoc esset, aut quia divina natura in unum valeret et non in amplius ; aut quia personalitas, iam uni naturae communicata, ita exhauriretur et finiretur, ut alteri communicari non posset. Sed utrumque aeque derogat infinitati Dei.

Et quidem, circa primum, non est ambigendum ; alterum vero resultat ex dictis articulo praecedenti. Divina enim persona, praecise ex sui *infinitate*, hoc habet, ut possit naturam creatam sus-

1. Quaest. sequenti. — 2. Articulis 5 et 6. — 3. Sap. VII, 27. — 4. Ibid., XVIII, 15.

tentare, eamque sufficientissime terminare, ut subsistens in natura illa vere dici possit homo. Sed hoc habet, non ex exigentia naturae humanae, sed ex sui sufficientia : nec eius personalitas ulla ratione coarctatur per sustentatam naturam unam : quinimmo utpote actu infinita, in infinitum illam excedit ; et non solum unam, sed plures, imo infinitas sustentare posset, si darentur. Et ita apparet divinae personae excellentia, nedum in *essendo* id quod est per relationem ad intra, sed etiam in *terminando* per possibilem assumptionem naturarum creatarum infinitarum ad esse suum hypostaticum.

4. — **Difficultas.** — Duae naturae unius speciei non habentur, nisi secundum duo supposita, natura enim unius speciei non multiplicatur, nisi secundum distinctionem suppositorum. Sed una persona ita subsistit, sive in divina, sive in humana natura, ut non possit ipsi novum suppositum adiungi. Ergo una persona divina nequit assumere duas naturas.

Resp. *Dist. mai.* Si compositio materiae et formae constituit novum suppositum, *conc.* ; si non constituit novum suppositum, *nego. Trans. min. Nego conseq. et conseq.* — De ratione naturae humanae est, ut habeatur unio materiae et formae, seu compositio animae et corporis, ita quod perficiatur in sua ratione per formam, et multiplicetur secundum divisionem materiae. Sed non quaelibet talis multiplicatio inducit suppositorum multiplicationem, sed solum quando ex materia et forma resultat novum suppositum, quod est quando natura, sic constituta, proprio termino terminatur ; unde potest utique haberi multitudo secundum numerum ex parte naturae humanae propter materiae divisionem, absque suppositorum distinctione, sicut esset, si istae plures naturae aliena personalitate terminarentur.— Hoc quantum ad *maiorem ;* sed *minor* ipsa, licet sit vera, tamen transmissa est, tanquam minus opportuna: ingerit enim suspicionem quod persona Verbi assumpserit unum suppositum naturae humanae, quod falsum est[1].

5. — ***Quaestio.** — Hac facta suppositione, quaeri potest utrum

1. Ad 1^m.

persona assumens deberet dici unus homo, an duo vel plures homines ?

Dubitandi ratio ex eo movetur, quod non videretur posse dici unus homo qui haberet plures diversas naturas humanas, secundum quas vocari posset Iesus, aut Petrus, aut Paulus ; nec dici posset duo, tres, etc., homines, quia ibi esset tantum unum suppositum dum plures homines non sunt, nisi sint supposito distincti.

S. Thomas, in commentario in Magistrum Sententiarum [1] absolute concesserat quod in hac hypothesi Verbum posset dici duo vel tres homines, non tamen duo, tria, etc. supposita ; quia, licet esset ibi unum tantum suppositum, propter quod dici posset *Iesus est Petrus*, tamen pluralitas naturae signatae induceret termini substantivi pluralitatem. Siquidem, terminus, ut explicaverat S. Doctor[2], in loco praedicati positus, tenetur semper formaliter ; unde quemadmodum nos dicimus : Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus propter unitatem naturae, licet sint tria supposita, ita, e contra, dicere deberemus : Verbum est duo, tres, etc., homines, propter multiplicationem naturae. — Et *obiicienti* quod, sicut Verbum nunc in duabus naturis existens, divina scilicet et humana, non dicitur tamen duo, sed unus, ita a pari si existeret in duabus naturis humanis, non deberet dici duo homines, S. Thomas *responderat* quod natura humana habet quasi rationem accidentis respectu naturae divinae, unde habetur quod Christus non dicitur duo, sicut nec Socrates dicitur duo propter humanitatem et albedinem. Sed, quia neutra natura humana haberet quasi rationem accidentis relate ad alteram, ideo Christus diceretur duo homines, sicut albus et musicus magis possunt dici duo homines, quam homo et albus.

6. — ***Solutio.** — Hic autem, altius elevans mentis suae considerationem, absolute negat S. Thomas Verbum, in hac hypothesi, dicendum fore duos homines. Et ratio est quia nominibus nobis utendum est, etiam ad designanda divina, secundum modum significandi eorum quae apud nos sunt. Porro, in istis,

1. 3. Sent. Dist. I, Quaest. II, art. 5. — 2. Ibid.

nomen ab aliqua forma impositum, puta homo, nunquam pluraliter dicitur, nisi propter suppositorum pluralitatem: homo enim, qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur *duo vestiti*, sed unus vestitus duobus vestimentis; similiter habens duas qualitates dicitur singulariter *aliqualis* secundum duas qualitates. Porro, natura humana assumpta se habet, quantum ad aliquid, ad personam Verbi, sicut vestimentum ad hominem vestitum, ut dictum est [1]; unde in casu, cum foret unum tantum suppositum Verbi assumentis, diceretur unus homo habens duas, vel tres humanitates.

Ergo, ad hoc ut habeantur plures homines simpliciter, requiritur et pluralitas suppositorum, et pluralitas naturarum: primum non sufficit, alioquin tres divinae personae assumentes unam singularem naturam humanam essent tres homines, quod negatum est praecedenti articulo; nec sufficit alterum, ut nunc patet: in priori casu, tres personae assumentes unam numero naturam humanam dicerentur unus homo, non quidem unitate suppositi, sed quatenus conveniunt in aliquo uno; quemadmodum etiam contingit plures homines dici unum populum, non propter unitatem suppositi, sed quia conveniunt in aliquo uno[2].

7. — Scholion. — In hypothesi praesenti, Christus subsisteret in duabus naturis completis et distinctis quae eamdem uniformiter habitudinem haberent ad divinam personam, ut substantificarentur per ipsam, et secundum omnes sui partes unirentur divinae personae; non ad hoc, ut inculcat S. Thomas[3], quod natura humana esset ipsa persona Verbi, nam Filius Dei est quidem sua Deitas, sed non est sua humanitas, sed ad hoc ut persona Filii subsisteret in utraque natura humana. Duarum autem naturarum ad invicem non esset unio primo et per se, sed tantum in tertio quodam, scilicet in persona Verbi; ideoque, licet ad hoc quod humana natura assumatur a divina persona, sit necesse quod natura divina uniatur unione personali toti naturae assumptae, id est secundum omnes partes eius, tamen non esset necesse quod duae naturae sic totaliter unirentur, ut omnes partes unius coniungerentur partibus alterius; sed possent etiam inter

1. Q. II, art. 6, n. 7. — 2. Ad 2^m. — 3. Ad 3^m.

se loco distare, diversaque agere et pati. Puta, dum Iesus crucifigeretur et moreretur, Petrus viveret et glorificaretur, idemque Verbum diceretur simul vivens et mortuum, licet secundum diversa; Iesus autem nec a convenientibus Petro, nec vicissim Petrus a convenientibus Iesu posset denominari. — Sed ab ulterioribus hypothesibus iubet theologica sobrietas ut abstineamus: quo melius facti convenientiam, iuxta divinae Providentiae sapientiam, rimari valeamus in sequenti articulo.

ARTICULUS VIII. — *Utrum fuerit magis conveniens quod persona Filii assumeret humanam naturam, quam alia persona divina.*

1. — Ratio articuli. — Non a priori, ut temerarii scrutatores sed a posteriori, ut obsequentissimi adoratores, investigare volumus rationem convenientiae mysterii Incarnationis ex parte Filii assumentis, de quo in symbolo Nicaeno Constantinopolitano canimus: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de coelo, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.*

2. — PROP. — **Convenientissimum fuit personam Filii incarnari.**

α) **Suadet** convenientiam istam brevis illa Ecclesiastis sententia: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant*[1]. Scilicet a Verbo divino, quod Patris imago est et character, tanquam ab exemplari, omnium bonorum, quae in mundo sunt, flumina, aquis repleta, promanarunt; unde convenientissimum est, ut in ipsum redeant, per assumptam humanam naturam, in qua omnium rerum rationes aliquo modo continentur.

3. — **Prob.** — **I. Ex appropriatis Filio.** — Illam personam convenientissimum fuit incarnari, cui *appropriantur* virtus et sapientia. Atqui Filio virtus et sapientia appropriantur. Ergo convenientissimum fuit Filium Dei incarnari. — *Prob. mai.* ex hoc quod sapientia et virtus Dei maxime manifestata sunt in

1. C. I. 7.

hoc mysterio. — *In mysterio Incarnationis*, ait Damascenus[1], *manifestata est sapientia et virtus Dei: sapientia quidem, quia invenit difficillimi solutionem pretii quam decentissimam : virtus autem, quia victum fecit rursus victorem.* — *Minor prob.* Quia Filius *Dei virtus* et *Dei sapientia* in Scripturis vocitatur[2] : unde etiam dicitur[3] : *Fecit potentiam in brachio suo.*

Et haec quidem duo sunt appropriata Filio, praeter quae inveniuntur etiam illi appropriata *aequalitas* ab Augustino, et *species* et *pulchritudo* ab Hilario. Et ut est *aequalitas*, ipsi convenit incarnari, cum Incarnationis scopus erat praecise ut removeretur morbus quem homo contraxerat, inordinatam scientiam appetendo ; ut est autem *species*, ipsi quoque congruit propter reparationem, ut scilicet qui a sua pulchritudine deiectus fuerat, in pristinam integritatem, imo in novam, antiqua longe splendidiorem, restitueretur[4].

4. — II. Ex propriis Filii. — Eadem convenientia apparet ex parte Filii, si considerentur *propria* eius. Et haec quidem sunt quatuor : scilicet α) esse *Filium,* β) esse *Verbum,* γ) esse *Imaginem,* δ) necnon esse *mediam in Trinitatem personam.* — Et quidem α) conveniebat ut ille incarnatus nasceretur qui in Deitate est Filius, ne duo Filii agnoscantur in Trinitate ; ut ille quoque incarnatus reparationem nostram deprecando et satisfaciendo operaretur, qui a Patre procedens, illum agnoscit tanquam sui auctorem ; demum ut ille incarnatus esset Filius Dei naturalis, Deus-homo, per quem in Dei filios adoptamur, et cuius cohaeredes efficimur. β) Conveniebat ut ille praedicationis et doctrinae officium impleret, qui est Verbum Patris : verbum enim manifestat dicentem, unde Filius manifestavit Patrem : (Pater), *manifestavi nomen tum hominibus*[5]; γ) Conveniebat ut ille incarnaretur, qui convenientiam habet cum homine reparando. Atqui homo factus est ad imaginem Dei. Ergo conveniens fuit ut Filius, qui est Imago, imaginem assumeret. δ) Demum conveniebat ut ille reconciliaret hominem Deo, qui medius est in Trinitate, ut scilicet qui medius est, esset etiam mediator[6].

1. L. III Orthod. Fid. c. 1. — 2. 1. Cor. I, 24. — 3. Luc. I, 51. — 4. Cf quae diximus in Tract. de Sanctissima Trinitate, Quaest. XXXIX, art. 7 et 8. — 5. Io., XVII, 6. — 6. Cf. S. Thom. 3 Sent. Dist. I, Quaest. II, c. 2.

5. — III. Argumento apodictico. — Convenientissimum fuit illum incarnari, I. qui est similitudo exemplaris creaturae et maxime hominis; II. qui est Filius Dei naturalis; III. cui appropriatur ratio sapientiae. Atqui talis est Filius Dei. Ergo convenientissimum, fuit prae aliis divinis personis, Filium incarnari. — *Minor* ex alibi traditis constat. Ratio *maioris* ex hoc eruitur, quod I. quae sunt similia, convenienter uniuntur; II. Incarnationis finis fuit implere praedestinationem hominum, per eorum adoptionem in filios Dei; III. fuit etiam adhibere remedium peccato primi hominis, quod fuit peccatum appetitionis indebitae scientiae, cui per veram sapientiam remedium fertur.

6.— Evolvitur argumentum. — I. Convenit Filium incarnari, utpote qui est similitudo exemplaris hominis. — Revera, Filii, qui est Verbum Dei, duplex attenditur ad creaturam convenientia: una communis, ad totam creaturam, altera specialis ad humanam naturam.— Ratio *communis* convenientiae ad totam creaturam ex eo deducitur quod, cum sit Verbum Dei, id est aeternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturae: verbum enim artificis, id est conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum quae ab artifice fiunt. Porro hoc in rebus creatis invenimus, quod artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat: ergo convenientissimum fuit ut, quemadmodum per participationem similitudinis ad Verbum, creaturae sunt in propriis speciebus constitutae, sed mobiliter, ita per unionem, non participatam sed personalem Verbi ad creaturam, ipsa creatura repararetur in ordine ad aeternam et immobilem perfectionem.

Specialis ratio convenientiae Verbi ad humanam naturam attenditur quantum ad hoc quod, cum propria hominis perfectio, prout est rationalis, sit sapientia, Verbum autem sit conceptus aeternae sapientiae, a qua omnis hominum sapientia derivatur, per hoc homo perficitur in sapientia, quod participat de Verbo Dei, unde dicitur[1]: *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis*; ideoque quemadmodum discipulus instruitur per hoc quod recipit

1. Eccli., I, 5.

verbum magistri, ita homo per hoc perficitur, quod suscipit Verbum Dei ; ideoque ad consummatam hominis perfectionem adducendam, conveniens fuit ut ipsum Verbum Dei humanae naturae personaliter uniretur.

7. — II. Secundum quod est Filius Dei naturalis. — Ii qui sunt praedestinati, sunt praeordinati ad haereditatem coelestem, et consequenter ad filiationem adoptivam, cum haereditas non detur nisi filiis, aut iis qui in filios adsciscuntur, iuxta illud[1] : *Si filii, et haeredes.* Sed Incarnationis finis fuit praecise adimpletio praedestinationis ; ideoque conveniens fuit ut ille incarnaretur, qui est Filius Dei naturalis, per quem homines participarent similitudinem huius filiationis adoptivae. Unde dicitur[2] : *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Sicut enim Deus suam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, sui similitudinem eis participando, ut non solum sit bonus, sed etiam auctor bonorum, ita Filius Dei voluit conformitatem suae filiationis aliis communicare, ut non solum sit ipse Filius, sed etiam primogenitus filiorum ; et sic qui per generationem aeternam est Unigenitus, secundum illud[3] : *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris*, fit, secundum collationem gratiae, *primogenitus in multis fratribus*, et *primogenitus mortuorum et princeps regum terrae*[4]. Habet igitur Christus nos fratres, tum quia nobis similitudinem suae filiationis communicavit ; tum etiam quia similitudinem nostrae naturae assumpsit ; unde dicitur[5] : *Debuit enim per omnia fratribus similari*[6].

8. — III. Secundum quod ipsi appropriatur ratio sapientiae. — Primi hominis peccatum fuit peccatum inordinati appetitus scientiae, ut constat ex verbis serpentis, promittentis homini scientiam boni et mali. Porro inordinata scientia corrigitur per veram sapientiam : ideoque, cum Incarnatio facta fuerit maxime in remedium peccati primi hominis, hinc conveniens fuit ut, per

1. Rom. VIII, 17. — 2. Ibid., 29. — 3. Io., I, 18. — 4. Apoc. I, 5. — 5. Hebr. II, 17. — 6. Cf. S. Thom. Comm. in Ep. ad Rom. cap. VIII, lect. VI.

Verbum verae Sapientiae, homo reduceretur in Deum, a quo per inordinatum scientiae appetitum recesserat.

9. — ***Scholion.** — Pulchre hanc convenientiam Patres passim exhibent. Sic Gennadius ait[1] : *Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset aeterna nativitate filius.* Egregie quoque S. Leo Papa[2] : *In hac autem ineffabili unitate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia, reparationem humani generis proprie Filii persona suscepit, ut quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil, quique plasmatum de limo terrae hominem, flatu vitae rationalis animavit, idem naturam nostram ab aeternitatis arce deiectam amissae restitueret dignitati, et cuius erat conditor, esset etiam reformator.* Nec praetermittendus Athanasius, qui ait : *Idcirco Dei Verbum per seipsum venit, ut cum Patris imago sit, hominem iterato creare posset, qui ad imaginem est factus*[3].

10. — **Difficultates I.** — Per hoc quod Verbum fuit incarnatum, plures a Dei cognitione fuerunt impediti, referentes ad ipsam Filii personam ea quae de ipso secundum humanam naturam dicuntur, ut fecit Arius, qui propter hoc quod dicitur[4] : *Pater maior me est*, intulit personarum inaequalitatem : qui tamen error non provenisset, si, verbi gratia, persona Patris incarnata fuisset, non enim aliquis tunc existimasset Patrem esse Filio minorem. Atqui finis Incarnationis fuit ut homines adducerentur in cognitionem veritatis, dicente Christo[5] : *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ergo non fuit conveniens Filium Dei incarnari.

Resp. *Dist. mai.* Propter hominum malitiam, *conc.;* propter rem ipsam Incarnationis Verbi, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Nihil est, quo humana malitia abuti non possit, cum etiam ipsa Dei bonitate abutitur, dicente Paulo[6] : *An divitias bonitatis eius... contemnis?* Quapropter, etiamsi persona Patris fuisset

1. L. de Dogm. eccles. — 2. Serm. XII, de Pass. c. 2. — 3. Cf. Petav. De Incarn., l. II, c. 15. — 4. Io., XIV, 28. — 5. Io., XVIII, 37. — 6. Rom., II, 4.

incarnata, adhuc alicuius erroris occasionem homo potuisset ex hoc sumere, reputando quod Filius ipse ad opus humanae reparationis sufficere non potuisset[1].

II. Potentia creandi appropriatur Patri. Atqui Incarnationis effectus pertinet ad potentiam creandi, est enim quaedam recreatio humanae naturae, secundum illud[2] : *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.* Ergo incarnari magis decuisset Patrem quam Filium.

Resp. *Dist. mai.* Creandi potentia appropriatur Patri per Filium, *conc.;* secus, *nego. Conc. min. Neg. conseq. et conseq.* — Ex hac difficultate, nedum infirmetur, potius valide roboratur praeiacta doctrina. Nam, quemadmodum prima rerum creatio facta est a potentia Dei Patris per Verbum, ita quoque recreatio, ut creationi adaequate responderet, fieri debuit a Patris potentia per Verbum : unde dicitur[3] : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*[4].

III. Incarnatio ordinatur ad peccatorum remissionem, iuxta illud[5] : *Vocabis nomen eius Iesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Atqui peccatorum remissio attribuitur Spiritui Sancto, iuxta illud[6] : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo magis debuit incarnari Spiritus Sanctus quam Filius.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Remissio peccatorum fit per Spiritum Sanctum, tanquam per donum Dei, *conc.;* tanquam per unicum datorem, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Cum amor habeat rationem primi doni, Spiritus Sanctus autem procedat ut amor, hinc Spiritus Sanctus procedit ut donum, et esse donum est nomen eius proprium : sed est donum Patris et Filii. Unde conveniens fuit ut, ad remissionem peccatorum, quae fit per Spiritum Sanctum, tanquam per donum Dei, ille incarnaretur, cuius Spiritus Sanctus est donum. Atqui Spiritus Sanctus est donum Patris et Filii. Ergo sub hoc respectu, alteruter potuisset

1. Ad 1^m. — 2. Gal. VI, 15. — 3. 2. Cor. V, 19. — 4. Ad 2^m. — 5. Matth., I, 21. — 6. Io., XX, 22, 23.

incarnari; sed cum superius fuerit exclusus Pater, restat ut convenientius fuerit Filium incarnari; licet etiam sub hoc respectu Spiritus Sanctus potuisset incarnari, in quantum et ipse dat semetipsum, secundum quod est sui ipsius, potens se uti vel potius frui[1].

1. Ad 3^m. Cf. 1, Quaest. XXXVIII, a. 1 et 2. — Relationes quibus B. Virgo, ob editum castis visceribus Verbum Dei, Sanctissimae Trinitati, quodammodo obstricta manet, ita egregie exponit J. B. Terrien, S. I. La Mère de Dieu et la Mère des Hommes (Vol. I. pp. 167, 191, 205.) : *Rappelons-nous maintenant que cette liaison si étroite, cette parenté de toutes la plus parfaite, cette affinité naturelle avec Dieu, qui n'est surpassée que par l'union de la nature humaine et de la divinité dans la personne du Christ, et par l'unité des trois personnes divines dans leur identique et même nature, ont pour terme le Fils éternel de Dieu, le Roi de gloire, le Créateur et le maître de toutes choses. Est-ce trop dire de la maternité qui les supporte, que d'affirmer qu'elle est, dans son genre, une dignité infinie?... Oui, le Père engendrait son Fils au moment même où le Fils se revêtait de notre nature, et il l'engendrait dans le sein de la Vierge; et dans un sens très-vrai, à partir de ce moment, le terme de sa génération paternelle n'est plus seulement un Dieu, mais un homme, le fils de Marie. Que faut-il, en effet, pour réaliser la vérité de ces expressions? Deux choses: Que le Père engendre toujours son Verbe, et que ce Verbe, qui jusque-là n'était que Dieu, devienne alors et dans le sein de Marie un Dieu-homme. Or, de ces deux conditions l'une et l'autre sont un dogme de foi... Le Verbe de Dieu est le Saint par essence, principe de toute vertu, source de toute sainteté, puisqu'il est avec le Père principe et source du Saint-Esprit, la sainteté substantielle et la Vertu sanctifiante. Donc il fallait à Marie pour l'enfanter une préparation sans égale de vertu et de sainteté. Le Saint devait être conçu saintement.*

QUAESTIO QUARTA

DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURAE HUMANAE ASSUMPTAE

PROLOGUS

1. — Ordo quaestionum huius partis. — Hanc novam tractatus de Incarnatione partem, quae agit de modo unionis quantum ad naturam assumptam, et quam pertractandam fore promissum est postquam actum fuisset de modo unionis quantum ad ipsam unionem (II), necnon quantum ad personam assumentem (III), duodecim quaestionibus (IV-XV) S. Thomas ita absolvit, ut primo agendum proponat de assumptis (IV-VI), et secundo de coassumptis (VII-XV). Et primum quidem bipartitum invenitur, secundum quod assumpta considerantur aut absolute (IV-V), scilicet, tum quantum ad ipsam naturam humanam (IV), tum quantum ad illius partes (V), aut relative, nempe per respectum ad ordinem assumptionis (VI). Alterum vero, nempe coassumpta, respicit tum perfectiones (VII-XIII), tum defectus (XIV-XV), sive corporis (XIV), sive animae (XV). Perfectiones autem possunt considerari, aut secundum quod speciali actione producuntur in anima, aut secundum quod naturaliter sequuntur formam rei. Perfectio, quae naturaliter sequitur formam rei, est potentia (XIII); speciali autem actione in anima Christi producitur et gratia, consideranda in ipso tum ut est singularis homo (VII), tum ut est caput Ecclesiae (VIII), necnon scientia, quae inspicienda veniet primo communiter (IX), et secundo iuxta speciales differentias scientiarum beatae (X), inditae (XI) et acquisitae (XII).


MODUS UNIONIS EX PARTE NATURAE ASSUMPTAE
CONSIDERARI DEBET
QUANTUM AD
assumpta,
coassumpta,
quae sunt
absolute,
quantum ad
respective
(VI)
perfectio
defectus
ipsam naturam humanam (IV)
partes eius (V)
specialiter addita in esse
sequens formam rei, seu potentia (XIII)
corporis (XIV)
animae (XV)
physico, seu gratia, in Christo consideranda, ut est
intentionali, seu scientia, consideranda
singularis homo (VII)
caput Ecclesiae (VIII)
generaliter (IX)
specialim, quantum ad animam
in termino, secundum visionem
in via, seu scientia acquisita (XII)
Dei, seu scientia beata (X)
angeli, seu scientia indita (XI)

2. — Ratio praesentis quaestionis. — Quemadmodum ex dictis in praecedenti quaestione resultat illum qui incarnatus est esse Filium Dei, Patri consubstantialem, eadem latriae adoratione ac ipsum Patrem colendum, ita huius quaestionis intentio est ut ostendatur illummet esse vere hominem, nobis consubstantialem, quantum scilicet ad ipsam humanitatis essentiam spectat. Quod quidem, non secus ac priùs, necessario est ad fidem tenendum; unde, sicut Ioannes illum solum vincere mundum asseruerat, *qui credit quoniam Iesus est Filius Dei*[1], ita Paulus solemniter obtestabatur se non iudicasse aliquid se scire inter eos, *nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum*[2]. Unde S. Leo Papa concludit[3] : *Qui enim verus est Deus, idem verus est homo.*

3. — Ordo huius quaestionis. — Porro, in hac quaestione, ita procedendum erit, ut prius determinetur quaenam, inter tot naturas creatas, magis fuerit assumptibilis (1) et postea modus assumptibilitatis huius naturae specialius determinetur (2-6). Quod quidem praestandum erit, tum generaliter (2-5), tum specialiter (6), ostensa videlicet assumptionis congruentia in illa singulari natura, quam Verbum ex stirpe Adae sibi coniunxit. At, generaliter, assumptibilitas humanae naturae consideranda est tum in se (2-3), tum secundum modum essendi (4-5). In se quidem, per respectum ad illius naturalem terminum, qui est personalitas (2), necnon ad actum essendi (3) ; secundum modum essendi, vel ut in nuda consideratione illa natura concipitur (4), vel ut est in omnibus individuis (5).



1. 1. Ep. V, 5. — 2. 1. Cor. II, 2. — 3. Ep. ad Flav.

Unde sex quaeruntur:

Primo. Utrum humana natura fuerit magis assumptibilis a Filio Dei, quam aliqua alia natura.

Secundo. Utrum assumpserit personam.

Tertio. Utrum assumpserit hominem.

Quarto. Utrum fuisset conveniens quod assumpsisset naturam humanam a singularibus separatam.

Quinto. Utrum fuisset conveniens quod assumpsisset naturam humanam in omnibus eius singularibus.

Sexto. Utrum fuerit conveniens quod assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adae progenito.

ARTICULUS I. — *Utrum humana natura fuerit magis assumptibilis a Filio Dei, quam aliqua alia natura.*

1. — Praenotanda. — I. *Assumptibile* hic dicitur, quasi aptum natum assumi, aut habens capacitatem sive potentiam ut assumatur; considerata scilicet potentia passiva rei assumptae, non autem potentia activa assumentis. Potuit enim quaelibet persona divina, vel totae tres personae simul assumere quamlibet naturam creatam, vel omnes, ut dictum est quaestione praecedenti; unde non agitur de hac potentia, cui in creatura correspondet potentia obedientialis, quae scilicet non reducitur in actum, nisi per actionem primi agentis cui omnia ad nutum obediunt. Est igitur sermo de comparatione instituenda inter naturam humanam et caeteras naturas, attenta quadam *congruentia* ad unionem praedictam; ideoque magis assumptibile dicetur id quod maiorem prae caeteris exhibeat congruentiam ut assumatur.

II. Porro ista congruentia hic debet attendi quantum ad duo: quantum ad *dignitatem*, et quantum ad *necessitatem*. Nam, cum Incarnatio significat communicationem divinae subsistentiae alicui creaturae factam, et sic maximam unionem, congruum est ut illa prae caeteris naturis assumatur, quae cum Verbo divino maiorem similitudinem habet. Aliunde, cum scopus Incarnationis fuerit

reparatio lapsus et abolitio peccati, hinc congruum est ut illa natura assumatur, quae maiorem necessitatem praeseferat talis reparationis, necessitatem dico, aut indigentiam utique reducibilem in actum.

2.— PROP. — **Natura humana fuit magis assumptibilis a Filio Dei, quam alia natura quaecumque.**

Probatur. Revera, soli naturae humanae, prae ceteris naturis creatis, competit, tum secundum dignitatem, tum secundum necessitatem, congruentia ut assumatur.

Et revera α) quantum ad *dignitatem*, homo, medius consistens inter naturam visibilem et invisibilem, potest attingere aliqualiter Verbum, ipsum cognoscendo et amando; et in hoc cum natura angelica convenit, irrationalem creaturam longe superans. Exclusa igitur ab hac congruentia secundum dignitatem, natura qualibet homine inferiore, ex hoc capite aeque assumptibilis fuisset natura humana ac natura angelica, aut forsan haec assumptiblior quam illa fuisset: sed β) attenta congruitate *necessitatis*, huic illa praestat, quandoquidem angelus, cum de sui ratione habeat, ut immobiliter apprehendat per intellectum, ideo fixe et immobiliter adhaeret per voluntatem obiecto suo. *Liberum enim arbitrium angeli*, docet S. Thomas [1], *est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post; ideoque boni angeli, semel adhaerentes iustitiae, sunt in illa confirmati; mali vero peccantes sunt in peccato obstinati*. Et ideo angeli peccatum, de lege Dei ordinaria, irremediabile est et irreparabile; sed hominis peccatum non ita irreparabile est; eo quia, cum homo per rationem discurrat mobiliter de uno in aliud, sua quoque voluntate adhaeret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere et contrario adhaerere, sicque liberum hominis arbitrium flexibile est ad oppositum et ante electionem et post [2]; ideoque eius peccatum irremediabile non est; et proinde, necessitatem habet reducibilem in actum; angeli autem necessitas, ut notat Caietanus, est necessitas termini, non viae.

3. — **Roboratur** argumentum de maiori congruentia as-

1. 1. Quaest. LXIV, art. 2. — 2. Ibid.

sumptibilitatis in natura humana : I. prae natura angelica, ex parte *necessitatis*, quia α) angeli singuli proprio arbitrio peccaverunt, homines autem ex Adam progeniti peccant naturae necessitate; β) consequenter tota natura humana corrupta est, sed non tota natura angelica; γ) angelus non peccavit tentatus ut homo, et peccavit appetitu potentiae, quam natura creata non ita potest recipere ac scientiam, cuius appetitu homo peccavit : ex quibus omnibus apparet maiorem fuisse congruitatem ex parte hominis ut redimendus assumeretur, quam ex parte angeli : quia licet hic etiam necessitatem habuerit, tamen haec non fuit in actum reducibilis.

II. Generaliter autem ex parte *dignitatis*, natura humana potest dici assumptibilior quam quaecumque alia natura, quia α) cum fuerit ultimo creata, convenientius debuit suo principio uniri, ut sic veluti per modum circuli, totius universi ordinatio compleretur ; β) specialem etiam prae angelis cum Deo similitudinem praeseferi, in eo quod in pluribus suppositis actuata reperitur per relationes originis, et anima est in toto corpore et in qualibet eius parte, sicut etiam Deus est ubique per essentiam, praesentiam et potentiam : γ) dici potest totius creatae naturae compendium, ut loquitur S. Gregorius[1].

4. — Corollarium. — Exinde sequitur quod natura humana debet dici simpliciter assumptibilis, caeterae vero naturae simpliciter inassumptibiles, assumptibiles tamen secundum Dei potentiam. Simpliciter enim dicitur aliqua natura aliqualis, quae talis est relate ad causas suas proximas et proprias; quae autem talis est tantum relate ad causas primas et remotas, dicitur aliqualis secundum quid. Sic morbus aliquis dicitur simpliciter curabilis vel incurabilis, secundum quod artis medicinae mediis curari potest, necne; qui tamen curabilis absolute manet secundum Dei potentiam. Hoc ideo advertitur ne, cum dicimus alias creaturas inassumptibiles, per hoc subtrahere aliquid putemur de potentia divina, *cum in rebus mirabiliter factis, tota ratio facti sit potentia facientis*[2]; quin potius per hoc ostendere volumus conditionem

1. Hom. XXIX in Evang. Cf. 3. Dist. II, q. 1, art. 1. — 2. S. Aug. Ep. 3, ad Volus.

illius naturae, quae ad huiusmodi assumptionem aptitudinem non habet [1].

5. — **Scholion.** — Opportunum erit consideratione immorari in comparatione facienda inter naturam humanam, et naturam hinc quidem irrationalem, illinc vero angelicam.

Ratio inassumptibilitatis naturae irrationalis. — Differentia *dignitatis* inter hominem et lapidem, quam diximus in eo consistere quod ille capax est attingendi Deum per suam operationem secundum fruitionem gratiae et gloriae, iste vero minime, pulchre exprimitur, dicendo quod in homine est similitudo imaginis, in lapide vero similitudo vestigii. Et differt prior similitudinis species ab altera, quod illa secumfert delineatam imaginem ipsiusmet Dei, quae consistit in cognoscendo et amando ipsum, ideoque homo, secundum mentem, imago quaedam Trinitatis existit; altera vero nonnisi repraesentationem quamdam importat ex impressione divina in creatura relictam, quasi vestigium transeuntis Dei, aut signum digitorum eius qui *fabricatus* (est) *auroram et solem* [2]. Porro, quod deficit a minori non habet congruentiam ad id quod est maius: sicut corpus, quod non est aptum perfici anima sensitiva, multo minus est aptum perfici anima intellectiva. Cum igitur lapis capax non sit unionis cum Deo secundum fruitionem aut operationem, multo minus potest esse capax unionis secundum esse personale.

Et revera *multo maior et perfectior est*, ait S. Thomas [3], *unio ad Deum secundum esse personale, quam quae est secundum operationem.* — Quae *propositio*, ait Caietanus, *non caret scrupulo, et multi glossant aut negant eam.* Verissima tamen est. Nam prior unio est *maior*, quia non est per similitudinem aut participata, sed per ipsum esse personale Dei, ita ut persona Dei fiat persona naturae assumptae. Est etiam *perfectior*, quia illa ad praedicamentum substantiae reductive pertinet, haec autem ad praedicamentum accidentis.

Nec obstat quod unio secundum operationem propria sit solius

1. Ad 1^m. — 2. Ps. LXXIII, 16. — 3. Ad 2^m.

naturae rationalis, unio vero secundum esse personale possit esse communis etiam naturae irrationali; hoc enim tantummodo evincit perfectiorem requiri naturam ad unionem per operationem, quam ad unionem hypostaticam, non autem unionem ipsam, quam diximus factam non fuisse per gratiam, sed esse ipsammet gratiam seu donum Dei, maiorem esse in priori quam in altero casu.— Nec valet obiici quod B. Virgo beatior praedicetur eo quod conceperit Deum per fidem quam per carnem, non enim idem est concipere Deum et esse Deum ; unde paritas non valet [1].

6. — **Ratio inassumptibilitatis naturae angelicae.** — Ambigendum non est dignitatem angelorum hominum dignitati praecellere, eo quod in ipsis expressior reperitur Dei similitudo, ut notat etiam S. Gregorius[2] introducens illud Ezechielis[3]: *Tu signaculum similitudinis.* Peccaverunt quoque, ut testatur Iob[4]: *In angelis suis reperit pravitatem ;* sed peccatum eorum irremediabile fuit, ut dictum est ; *quod enim hominibus est mors, hoc angelis est lapsus*, ait S. Ioannes Damascenus[5]. Et haec est ratio cur simpliciter inassumptibilis dicta est natura angelica, quia scilicet angelus, modo naturae suae congruo, irreparabiliter cecidit, in termino viae peccans, cum status viae ipsi post propriam electionem clausus manserit.

Igitur insufficiens est ratio quam de huiusmodi inassumptibilitate assignant aliqui, scilicet quod, cum angelus statim a principio suae creationis sit in sua personalitate perfectus (non enim subiacet generationi et corruptioni), ad hoc ut in unitatem divinae personae assumeretur, oporteret ut illius personalitas perimeretur, quod nec incorruptibilitati eius naturae, nec assumentis bonitati convenit, ad quam non pertinet quicquam de assumpta natura corrumpere ; non, inquam, est haec ratio sufficiens ; quandoquidem Deus, producendo de novo angelicam naturam, eam sibi copulare poterat in unitate personae, quin aliquid praeexistens corrumperetur [6]; unde dicit S. Paulus[7] : *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.*

7. — **Difficultas.** — Quod est magis perfectum, est magis

1. Cf. Caiet.— 2. Hom. de Centum ovibus 34, in Evang.— 3. C. XXVIII, 12.— 4. C. IV, 18.— 5. L. II, Orthod. fid. c. 4.— 6. Ad 3^m.— 7. Hebr., II, 16.

assumptibile. Sed totum universum est aliquid quod est magis perfectum quam partes eius, inter quas est humana natura. Ergo totum universum est magis assumptibile quam humana natura.

Resp. *Dist. mai.* Quod est magis perfectum, perfectione eius quod est unum et simplex, *conc.;* perfectione eius quod est unum positione vel ordine, *subd. :* si omnes partes sint aeque assumptibiles, *conc. ;* secus, *nego. Dist. min.* Totum universum est aliquid quod est magis perfectum, perfectione eius quod est unum et simplex, *nego* ; perfectione eius quod est unum positione vel ordine, *subdist.;* cuius omnes partes sunt aeque assumptibiles, *nego ;* cuius aliqua tantum pars habet congruitatem assumptibilitatis, *conc*[1]. — Huc faciunt S. Thomae[2] verba : *Quamvis Deus sit causa universalis, est tamen maxime simplex : et ideo cum eo magis convenit universalis, effectus unitus, scilicet humana natura, in qua omnes naturae congregantur quodammodo, quam effectus universalis non simpliciter unitus, sicut est universum, ex cuius partibus non efficitur unum simpliciter, cum remaneant distinctae in actu.*

8. — ***Verba Card. Caietani.** — Desinam in istis Caietani verbis[3], quibus cohibendam ille monet nimiam animi curiositatem in tanto mysterio investigando. *Hinc apparet auctorem non contradicere suis dictis*[4], *nec retractare illa, sed altius ac theologo dignius locutus est de assumptibili, sententiam eamdem servans, et sermonem quasi cohibens. Unde et pertranseundo, in hac responsione praetermittit discussionem consequentium, ad effectum divinae omnipotentiae, si assumeret angelum aut lapidem. Unde et nos, auctoris vestigia sectantes, quaestionem illam : an Deus possit assumere lapidis naturam, tanquam communiter acceptam et sufficienter discussam, et quasi offensivam piarum aurium, in illius discussione relinquendam duximus.*

ARTICULUS II. — *Utrum Filius Dei assumpserit personam.*

1. — Status quaestionis. — Quod Filius Dei personam non

1. Ad 4[m]. — 2. 3, Dist. II, Quaest. I. art. 1. sol. 3. ad 1[m]. — 3. Hoc loc. — 4. In 3, Dist. II. Quaest. I. art. 1.

assumpserit, dici potest iam implicite traditum, cum ex hucusque explicatis resultet unionem hypostaticam factam fuisse in una persona Verbi, quod sua propria personalitate humanam naturam terminavit. Hic autem, tanquam in propria sede, expresse ponitur haec quaestio, ut ex propriis et intrinsecis rei ostendatur impossibilitas quod Filius Dei assumpserit personam. Quod quidem, ut monet Card. Satolli[1], dupliei sensu posset intelligi : vel quod Filius Dei non assumpserit id quod in aliis hominibus constituit rationem personae, vel quod idipsum, quod in caeteris personae rationem habet, in Christo persona non sit, ut ita possit dici persona non fuisse assumpta. *Hoc secundo sensu*, pergit ille[2], *concludendum foret ex mente quorumdam recentiorum scriptorum, Güntherii et Rosminii ; cum reposuerint personam humanam constitui propria conscientia aut voluntate, quatenus haec sit primum principium activum. Verum huiusmodi placita falso laborant supposito, et erronea contra fidem habentur, non secus ac quidquid Nestorium sapiat*[3].

2. — Dubitandi ratio. — Porro, dubitandi motivum, ut advertit Caietanus[4], tum ex intrinseca rei obscuritate, tum ex opinionum magna diversitate oritur. Ex intrinseca quidem obscuritate rei, cum, ut ait idem Caietanus[5], *personae constat individuum maxime appropinquare, unde et creduntur idem omnino quoad rem apud multos;* ideoque non bene apparet quid, sive in substantiis compositis, sive in substantiis simplicibus, quales sunt angeli, suppositum addere possit supra naturam singularem : utrum nempe aliquid tantummodo rationis, an aliquid rei ; et si hoc alterum, utrum aliquid positivum, an aliquid negativum tantum ; et si aliquid positivum, utrum intrinsecum, an connotatum extrinsecum : quapropter magna orta est anteactis temporibus opinionum diversitas, sumpta praecise occasione ex hoc mysterio. Revera, ait iterum Caietanus[6], *usque hodie non fuissent excitata ingenia humana ad perscrutandas subtilitates inter personam et*

1. Hoc. loco. — 2. Ibid. — 3. Cf. quae diximus Quaest. II, art. 6, n. 12. Idipsum de persona docent Cartesius, Locke, Kant, Iakobi, Kuhn, Dieringer, etc. — 4. Hoc loco 5. — 5. In art. 1, q. VI, huius partis. —6. Hoc loco.

individuam naturam, nisi mysterium Trinitatis et Incarnationis revelatum ad hoc invitasset.

3. — *Opiniones. — Porro, ex tot diversis opinamentis, ad sequentes sententias possunt reduci omnia quae de hac re a theologis fuerunt excogitata.

α) Alii, cum *Henrico Gandavensi*[1], posuerunt suppositum et naturam singularem in omnibus substantiis esse idem re, et differre tantum intelligendi modo; ita quod suppositum significet ut *quod*, natura autem singularis ut *quo*. β) *Hervaeo*[2] autem visum est illa duo esse idem re quoad intrinseca, et realiter non differre, nisi quantum ad connotata quae simul cum natura habentur, et sine quibus natura esse non potest; ita quod Socrates sit ipsa sua humanitas in concreto, ut significatur habens ea omnia, sine quibus humanitas non habetur in rerum natura. Ab hac sententia non multum differt sententia γ) *Capreoli*[3], qui docuit suppositum a natura differre per unum tantummodo connotatum extrinsecum, scilicet actum essendi[4]. Demum δ) *Scoti* sententia habetur[5], ponentis personam addere supra naturam hanc aliquid intrinsecum personae constitutivum, attamen negativum.

4. — Caietani sententia. — Contra istas opiniones suam *Caietanus* sententiam ponit, qua tenet suppositum, in creaturis, addere supra naturam singularem aliquam rem positivam intrinsecam; ita quod suppositum et natura distinguantur, non quidem sicut duae res ex aequo, sed sicut res includens aliquid, et res abstrahens ab eo. Quae quidem S. Thomae sententia, quoad substantiam, dici debet; nam *sanctus Doctor*, notat Card. Satolli[6], *suam mentem prodit hic et fere innumeris suorum operum locis, quasi hoc quod senserit, solemne et potissimum in suo systemate metaphysico et theologico haberi voluerit.*

1. In Quolib. IV, q. 3. — 2. In Quolib. III, q. 6.— 3. In 3. Sent. Dist. V, q. 3. — 4. Huic sententiae affine est quod tradit Clarmus P. Ludovicus Billot, S. I., in opere *De Verbo Incarnato*, in quo hanc ponit conclusionem : *Quapropter Verbum extendit ad humanitatem suum subsistendi actum per hoc solum quod humanitas a Deo producta est et conservatur, non sub proprio esse ipsius, sed ut communicata hypostasi Verbi, cuius increata existentia eidem humanitati est loco esse proprii.* Romae, 1900, pp. 128, 129. — 5. In 3. Sent. Dist. I, q. 1. — 6. In hunc loc.

5. — Difficultates. — Contra quod tamen non leves sunt quae congeruntur difficultates. — α) Imprimis, non bene apparet quidnam ista realitas esse possit, utrum scilicet accidens, an vero substantia: utrinque enim difficultates non desunt. β) Rursus, videtur ipsemet Aristoteles asseruisse realem identitatem naturam singularem inter et suppositum: dicit enim[1] quod *in his quae sunt per se, idem est quod quid est, et id cuius est.* γ) Accedit et S. Thomae[2] auctoritas, dicentis quod *naturae assumptae non deest propria personalitas, propter defectum alicuius quod ad perfectionem humanae naturae pertineat,* etc. δ) Aliunde, si suppositum aliquid reale addat supra naturam singularem, cum hanc realitatem Verbum non assumpserit, sequetur illum non fuisse hominem nobiscum univoce, et inassumptum reliquisse aliquid quod in natura nostra plantaverit. ε) Demum, si dicatur hanc realitatem requiri, ut natura evadat *singularis*, hoc profecto nihil evincit: nam, in formis quidem irreceptibilibus in materia, individuatio est de ipsa formae ratione, in compositis vero ex materia et forma, individuationis principium est ex materia; et rursus si ponatur illam realitatem requiri ut natura singularis *subsistat*, iam ex esse quod substantiae advenit, habetur subsistentia, subsistere enim aliud non est, nisi esse per se. Quapropter deesse prorsus videtur huic realitati locus.

6. — Vindicatur proposita sententia. — At, hisce non obstantibus, sedulo tenendum est naturam singularem a supposito ita distingui, ut hoc realitatem quamdam positivam addat intrinsece supra illam in creaturis, cuius quidem rei agnoscendae necessitas non appareret, citra mysterii Incarnationis revelationem, quae tamen hic praeteriri nequit, quin ipsius mysterii ratio pessumdetur.

Quod quidem imprimis ex *propriis* huius tractatus sic demonstratur. Quod est per se primo capax alicuius positivae realitatis, debet et ipsum esse aliquod reale positivum. Atqui, persona ut persona est, vel suppositum ut suppositum est, est per se primo capax alicuius positivae realitatis. Ergo ratio personae vel supposiii in aliqua positiva realitate consistit.

1. L. VII, Metaphys. — 2. Hic ad 2[m].

Prob. min. Nam *esse*, ait Angelicus[1], *consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed qua aliquid est; personam autem, sive hypostasim, sicut habentem esse;* unde alibi[2] idem S. Doctor scribit : *Nulla natura habet esse, nisi in supposito suo; non enim humanitas potest esse, nisi in homine. Unde, quidquid est in genere substantiae per se subsistens, rationem hypostasis habet vel suppositi.* Insuper persona est subiectum *filiationis*, non autem natura, ut ostendit S. Thomas[3], ubi demonstrat quod in Christo, licet sit duplex nativitas et quidem diversae speciei, et sic duplex diversa causa, seu fundamentum relationis realis, tamen est una tantum filiatio, quia *subiectum filiationis non est natura sed solum persona, in Christo autem non est hypostasis nisi aeterna.* Ex quibus patet personam esse susceptivam alicuius positivae realitatis, ideoque quid positivum reale esse debere.

His adde quod persona in divinis est res aliqua : ab ea enim omnis paternitas in terra nominatur. Cur ergo negandum hoc esset in humanis ?

7. — **Confirmatur** autem eadem positio ex eis quae tradit *philosophia.* — I. Ex unione animae et corporis constituitur in nobis duplex unitas, ait S. Thomas[4], scilicet, naturae et personae; quod est, constituitur ens, nedum natura, sed etiam supposito unum. Atqui unum et res convertuntur. Ergo aliud est esse realitatem positivam quae est humanitas singularis *qua* homo est homo, aliud vero esse realitatem positivam quae est persona, *quae* est homo.— II. Substantia dupliciter sumitur : scilicet pro essentia et pro substantia prima. Sed, sumpta pro essentia, significat rem, secundum quod ipsi competit ita in se esse, ut non sit in alio ut in subiecto ; ergo etiam sumpta pro substantia prima, significat rem, cui ita competit esse, ut sit in se completa.— III. Pronomina significantia personam verbi gratia *ego, tu, ille, hic homo*, etc., non significant aliquid mere negativum, sed bene reale positivum.

8.—**Ab indirecto** etiam hoc apparet.—Quia si, per hypothesim, Verbum desereret naturam humanam assumptam, haec propriam personalitatem supervenientem ita acquireret, ut poneret in nu-

1. Quaest. XVII. a. 2, huius partis.— 2. 3. Sent. Dist. II, q. II, a. 3.— 3. In q. XXXV, art. V, hui. part.— 4. Q. II, a. I, ad 2[m].

mero cum persona Verbi. Et sic possumus dicere quod humanitas Christi, secundum se considerata, nempe ut abstracta a personalitate divina cui actu iuncta est, habet naturalem inclinationem ad propriam personalitatem, tanquam ad aliquid positivum, non autem considerata ut de facto unita personae divinae: quiescit enim in ista, tanquam in eo quod perfectius et eminentius praestat id quod propria praestaret personalitas. Et propterea caute dicit S. Thomas[1] quod persona divina sua unione *impedivit* ne humana natura suam personalitatem haberet, non dicit autem *impedit*, ut intelligatur quod, quia quod assumitur praeintelligitur assumptioni, in assumptione quidem, humana natura considerari potest ut habens naturalem inclinationem ad propriam personalitatem, facta autem assumptione, hanc inclinationem amplius non habet, divina persona satiante et consummante totum personalitatis appetitum in illa singulari humana natura, ita quod nullâ prorsus violentiâ Verbum terminet illam singularem humanam naturam[2].

Ulterius etiam hoc constat, speciatim contra positionem *Capreoli*. Quia si personalitatis ratio tota consisteret in hoc quod connotat actum essendi, tunc Verbum assumens humanam naturam, illam personaret per connotationem ad actum essendi. Atqui actus essendi communis est tribus divinis personis. Ergo Incarnatio tunc facta fuisset per connotationem ad tres divinas personas.

Demum, commune est ut dicatur Verbum propria personalitate supplevisse in illa singulari natura humana illius propriam personalitatem: atqui, quod suppletur, aliquid mere negativum non est, ut volebat Scotus.

Igitur persona addit supra naturam aliquid reale positivum rei personatae intrinsecum, in quo praecise consistit incommunicabilitatis ratio, qua persona distinguitur a natura singulari. — At vero, quaenam sit ista realitas, et qua ratione sit definienda, modo est explorandum.

9. Quid sit ista realitas. — Porro, realitas illa, quam persona addit supra naturam definitur: *terminus ultimus, et ut sic purus, naturae substantiae*. — Dicitur *terminus;* naturam enim perso-

1. Ad 3^m. — 2. Cf. Cajet, h. l.

nari est illam terminari, naturam vero personare est illam terminare. — *Ultimus*, natura enim non est ultimo terminata, nisi per personam; ubi tamen notato quod hic *ultimus* debet sumi intensive, non autem extensive, ad salvandum quod dictum est, nempe unam numero naturam humanam potuisse assumi a tribus personis. — *Ut sic purus*, sive reduplicative purus, quod dicitur explanando, ut innuatur quod non pertinet per se ad ullum causae genus, sed sequitur in re, per modum naturalis consequentiae. Non enim aliquid terminatur aut personatur per novam actionem agentis, sed per hoc quod causa causans perducitur usque ad ultimum terminum inclusive. Non ergo personalitas sequitur naturam, sicut propria passio sequitur formam (quo sensu dicitur: data forma dantur consequentia ad formam), sed sicut effectum consequitur naturaliter suum complementum, aut rem facta suus terminus, quemadmodum punctus lineam, nisi adsit impedimentum. Et hoc bene retinendum est, ne terminatio naturae humanae a Verbo intelligatur facta secundum aliquod causae genus, quo sensu communis foret tribus divinis personis: quidquid enim causalitatis in Deo est, hoc totum ad ipsum spectat ut unus est virtute et essentia; unde, Verbum terminare humanam naturam non est illud quicquam causare in ipsa, sed tantum apponere se illi, communicando ipsi propriam personalitatem. Ubi discrimen habetur inter creaturas et Deum; nam in creaturis personare et personari, terminare et terminari nonnihil causalitatis habent adnexum, cum causentur ex principiis naturae constitutae ex anima et corpore; sed cum transferuntur in Deum, debet eliminari omnis causalitatis imperfectio.— Demum dicitur: *naturae substantiae*, quo innuitur duplex distinctio metaphysica in rebus creatis: alia ex essentia et esse, alia vero ex natura et supposito; et ut excludantur a personalitatis ratione accidentia quae non a se, sed a substantia terminantur.

10. — Scholion. — Quocirca, personalitas debet concipi ut ultimum complementum rei, seu ut eius totalitas; totalitas enim et completio idem sonant ac terminatio, eo quod ea quae in sua totalitate complentur, intelliguntur a nobis ut perfecte terminata. Quod autem non sic terminatur, incompletum manet, complen-

dum per terminum, vel suum vel alienum. Suum, in naturali rerum ordine, quo terminus complet effectum ; alienum, in mysterio Incarnationis, in quo *quod assumitur trahitur ad aliquid completius, ipsum incompletum existens ; et hoc est contra rationem personae, quae maximam completionem importat*[1]. Porro, quod ratio personalitatis consistat praecise in eo quod res suam totalitatem et consequenter suum complementum habeat, ostenditur ex ipso S. Thoma[2], dicente quod natura humana Christi, quia per se *separatim* non existit, sed in quodam perfectiori, ideo non est persona, qui etiam addit[3], quod natura singularis in Christo non habet rationem hypostasis, propter hoc quod incompleta est.

Quod etiam exemplo patescit[4]. Siquidem, quando separatur aliquid, ita quod separatio det utrique partium totalitatem, sicut accidit in totis homogeneis et in animalibus inferioribus, uti sunt mollusca et vermes quae decisa vivunt, utraque pars rationem suppositi ex ipsamet separatione acquirit, eo quod utraque pars perfecte terminatur. Quapropter, in S. Thomae doctrina, personae ratio in terminando consistit, nam S. Thomas personam vocat terminum, cum dicit[5] : *Absque termino qui est persona ;* et naturam assumi, ut sexcenties repetit, est illam *terminari* ad personam Verbi.

Haec doctrina ad Trinitatis mysterium applicari etiam debet, dummodo tamen non ponatur distinctio realis inter personam et naturam divinam. Siquidem, in divinis distinctio non habetur, nisi secundum relationes originis ; unde persona in divinis significat relationem ut subsistentem, *persona* (enim) *in quacumque natura significat id quod est distinctum in natura illa*[6].

11. — ***Corollaria.** — Exinde sequentia deduci possunt. — I. Personalitas est secundum quid idem, et secundum quid non idem cum natura singulari, sicut terminus est terminato secundum quid idem, secundum quid non idem — II. Non potest fieri actu terminus, sine terminato, sicut punctus sine linea,

1. 3. Dist. IV, q. III, art. 3.— 2. Quaest. II, a. 2, ad 3^m^, h. p.— 3. Ibid., a. 3, ad 2^m^. — 4. Cf. 3. Dist. IV, Quaest. III, a. 3, ad 3^m^. — 5. Art. 4, h. q., ad 1^m^. — 6. 1, Quaest., XXIX, a. 4.

potest tamen fieri actu terminatum sine termino connaturali.— III. Propria compositio non habetur inter personalitatem et naturam personatam, sicut nec inter terminum et terminatum, verbi gratia, inter punctum et lineam.

12. — Solutio difficultatum. — Ad difficultates autem respondetur: α) Haec realitas non est accidens, nec formaliter substantia, sed reductive pertinet ad genus substantiae, sicut terminus pertinet ad genus eius quod terminat.— β) Ad auctoritatem philosophi, dicitur quod dubitando tantum id proponit, quod patet perlegenti contextum, ubi explicat in quibusnam possit dici idem esse substantiam et singulum, seu subiectum. Aliunde, intentio Aristotelis non erat ut ex professo traderet distinctionem quidditatis et eius cuius est, sicut etiam S. Thomas in prima parte[1] hoc non praestitit[2]. — γ) Personalitas non pertinet ad perfectionem naturae humanae, in quantum est propria huius naturae, sed in quantum terminat rem talis naturae, quod et potest aeque praestare aliena personalitas.— δ) Univocatio attenditur secundum naturam, non autem secundum personalitatem; aliunde personalitas ista est realitas, quidditas et entitas, non *quae* est, sed *qua* est natura subsistens: ideoque non est unum de plantatis in natura, ut natura est, sed potius unum de consequentibus ea quae sunt plantata. — ε) Materia finitur per formam et vicissim forma finitur per materiam in linea essentiae; sed in linea existentiae oportet ut esse quod recipitur in essentia sit terminatum propria rei personalitate.

13. — PROP. — **Nullo modo Filius Dei assumpsit humanam personam.**

Prob. Quod est assumptibile, oportet praeintelligi assumptioni, sicut quod est mobile localiter oportet praeintelligi motui. Si igitur personalitas fuit a Verbo assumptibilis, oportuit ut praeintelligeretur assumptioni. Sed personalitas fuit terminus assumptionis. Ergo non potuit praeintelligi assumptioni: ideoque non fuit assumptibilis. Sed dato quod praeintelligeretur, oporteret ut corrumperetur, ad hoc ut salvaretur veritas catholica de unitate personae in Christo: quod quidem repugnat sapientiae

1. Quaest. III. a. 3. — 2. Cf. quae ibi diximus.

assumentis, quia sic frustra illam assumpsisset; sed et repugnat bonitati eiusdem, qui sic aliquid assumpsit ut aedificaret, non ut destrueret. Ponere autem quod remansisset personalitas post assumptionem, esset duas in Christo ponere personas: unam assumentem et aliam assumptam, quod est renovativum erroris Nestorii. Primum quidem impossibilitatem congruentiae, alterum vero impossibilitatem absolutam argúit.

14. — ***Tacita obiectio.** — Nec obstat quod natura, iam terminata a persona Verbi, potuerit adhuc terminari ab alia persona divina, ut dictum est. Nam, personalitas propria, eo quod est finita, ita est proportionata et coaequata naturae, ut non relinquat locum alteri ut terminet; personalitas vero personae divinae, quia est infinita, ideo non est coaequata naturae assumptae, sed eam infinite excedit, et proinde non impedit quominus per aliam personam divinam ista natura terminetur. Et sic verificatur in hoc mysterio quod *tota ratio facti est facientis potentia;* et quod non est possibilis assumptio talis ex parte ullius personae creatae, nec ex parte supremae angelicae creaturae, ut quidam fingunt. Stat ergo quod ait S. Augustinus [1]: *Deus naturam hominis assumpsit, non personam;* cui cohaerenter in Concilio Totetano I habetur[2]: *Deus perfectus et homo perfectus in duabus naturis una persona, ne quaternitas Trinitati accederet, si in Christo geminata esset persona.*

15. — **Expenduntur Patrum effata.** — Secundum hanc doctrinam, facile intelliguntur sanctorum Patrum dicta, puta α) S. Damasceni, aientis [3] quod *Filius Dei assumpsit naturam humanam in atomo* (id est in individuo). Quibus verbis non aliud intelligitur, nisi quod assumpsit naturam humanam singularem, aut in individuo, quod non est aliud a supposito increato, sed est ipsamet persona Filii Dei [4].

Pariter, β) quod idem dicit[5] nempe *Filium Dei assumpsisse ea quae in natura nostra plantavit*, intelligendum est de iis quae non supplentur a divina persona; personalitas autem propria abundan-

1. L. de fide ad Petrum, c. 2. — 2. VI, Can. 1.— 3. L. III, Fid. Orthod. cap. 22. — 4. Cf. supra, p. 109. — 5. Ibid. c. 6.

tissime fuit suppleta in Christo per additionem eius quod est supra naturam humanam, quod est unio ad divinam personam[1].

Sic etiam cum Innocentius III dicit quod *persona Dei consumpsit personam hominis,* ly *consumpsit* non importat destructionem alicuius quod prius fuerat, sed impeditionem eius quod aliter esse potuisset. Nam si natura humana non fuisset assumpta a persona Verbi, naturaliter obtinuisset suum proprium complementum; sed quia Verbum, propriam ipsi communicando personalitatem, *impedivit* quominus natura ista suammet personalitatem obtineret, ideo dicitur illam consumpsisse [2].

Porro, cum personalitas rei personatae intime praesens est, nec cuiquam eorum quae in persona sunt deest, singula veluti praesentia sua intime compenetrans, hinc communis est Patrum explicatio, ut quod in S. Scriptura de pluvia in vellus descendente passim legitur, personae divinae per respectum ad humanam naturam applicetur. Sic S. Petrus Chrysologus [3], alludens ad signum victoriae a Deo Gedeoni concessum de rore solum vellus madidante, ait[4]: *Coelestis imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota divinitatis unda bibulo se nostrae carnis celavit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluviam salutis se effunderet.*

16.— Recapitulatio.— Quod de persona dictum est per respectum ad naturam humanam, valet etiam pro natura angelica, quae idem re non est ac suppositum formale; nam, ut ait S. Thomas [5], *necesse est quod ipsum esse* (angeli) *sit receptum et contractum ad terminatam naturam:* unde et natura angelica assumi potuit, non autem suppositum. Quod si natura singularis vocetur *suppositum radicale,* persona vero *suppositum formale,* dicendum erit quod hoc quidem est inassumptibile omnino, illud vero assumptibile, ut patet [6].

Hinc, si comparentur inter se ista tria: natura speciei, natura singularis et suppositum formale, opportunae distinctiones fient, habita ratione diversitatis rerum. Nam aliae sunt formae irrecepti-

1. Ad 1[m] et 2[m].— 2. Ad 3[m]. — 3. Serm. III de Annunt.— 4. Iudic. VI, 37, sqq. — 5. 1. Quaest. VII, 2.— 6. Cf. quae diximus in 1. Quaest. III, a. 3.

biles in materia, aliae vero formae receptibiles. Et priores quidem, cum in ipsis idem sit principium specificativum et individuativum, eo ipso quod in materia non recipiuntur, non patiuntur ab intrinseco distinctionem realem naturae speciei a natura singulari ; ideoque angelus est sua propria angelica natura, licet ratione distinguantur. In formis vero in materia receptibilibus, eo praecise quia in materia recipiuntur, distinctio realis est ponenda inter naturam speciei et naturam singularem, non quod natura speciei realiter existat, sed quod natura singularis non est realiter tota natura speciei. Et hoc quidem in linea essentiae ; in linea vero existentiae, tum in formis non receptibilibus in materia, tum in formis receptibilibus, aliud re est intrinsece et positive natura singularis, a suo termino, seu persona aut supposito formali, in quo res habet esse. In Deo autem ista omnia re unum idemque sunt ; sed distinctio rationis ibi est ponenda, ubi in formis non receptibilibus ponitur distinctio rei ; caeterum, quomodo se habeat personalitas trium divinarum personarum ad naturam singularem Dei, alibi dictum est [1].

Distinguuntur	In Deo	In Angelo	In Homine
Natura speciei et singulare concretum, seu suppositum radicale	non re, sed ratione : dici enim potest : Deus generat, non autem Deitas generat[2].	non re, sed ratione formali maiori ; mens enim potest abstrahere angelicam naturam ab angelo[3].	et ratione formali et reipsa ; possumus enim abstrahere, abstractione rei, humanitatem ab homine.
Singulare concretum aut natura singularis seu suppositum radicale, et natura terminata, seu suppositum formale	non re sed ratione : possumus enim per intellectum abstrahere personalitates a natura divina.	et ratione formali et reipsa, tanquam res includens intrinsece aliquam realitatem et res abstrahens ab ipsa.	et ratione formali et reipsa, sicut in angelis et universaliter in omni re creata.

ARTICULUS III. — *Utrum persona divina assumpserit hominem.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam fuerit determinatum quod

1. Tract. DE DEO, Quaest. III, a. 3, Vide schema ibi positum. — 2. Cf. Loc. cit., n. 3. — 3. 1, Quaest. L. art. 2, ad 1^m.

persona non potuerit, etiam de potentia Dei, assumi a Filio Dei, adiicitur sequens dubium, maxime propter auctoritatem aliquorum sanctorum, quorum locutiones contrarium suadere viderentur, cum dixerint quod *Deus hominem assumpsit*. Ita, verba ista Psalmi[1] : *Beatus quem elegisti et assumpsisti*, Glossa exponit de Christo ; et Augustinus[2] dicit quod : *Filius Dei hominem assumpsit, et in illo humana perpessus est*. Pariter Ecclesia, in hymno *Te Deum*, canit : *Tu ad liberandum suscepturus hominem*. Ad quod solvendum, sit

2.— PROP. — **Non potest dici proprie loquendo quod Filius Dei assumpsit hominem.**

Prob. — **I. Auctoritate** α) Concilii Ephesini, ubi introducitur hoc dictum S. Felicis Papae et Martyris : *Credimus in Dominum Nostrum Iesum Christum, de Virgine Maria natum, quia ipse est Dei sempiternus Filius et Verbum, et non homo a Deo assumptus, ut alter sit praeter illum ; neque enim hominem assumpsit Dei Filius, ut alter sit praeter ipsum*[3]. Pariter β) in Concilio Constantinopolitano II. haec habentur[4] : *Si quis... non confitetur Dei Verbum carni substantialiter uniri, et propterea unam eius subsistentiam vel unam personam, et ita sanctam chalcedonensem synodum unam Domini nostri J. C. subsistentiam confiteri, talis anathema sit. Neque enim adiectionem personae vel subsistentiae sancta Trinitas suscepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Deo Verbo*. Atqui si Dei Filius hominem assumpsisset, Sanctae Trinitati adiecta fuisset persona, ut non Trinitas, sed Quaternitas haberetur.

3.— **II. Ratione theologica.**— Illud quod assumitur, non est terminus assumptionis, sed assumptioni praeintelligitur. Atqui hoc nomen *homo* significat terminum assumptionis. Ergo homo non fuit assumptus a Filio Dei.— *Prob. min.* Hoc nomen *homo* significat naturam humanam prout nata est in supposito esse, seu in concreto, aut in individuo terminato : nam, ut ait Damascenus[5], *sicut hoc nomen* Deus *significat eum qui habet divinam naturam, ita hoc nomen* Homo, *significat eum qui habet humanam*

1. LXIV, 5. — 2. In l. de Agone Christiano, c. 11. — 3. In Conc. Chalc. P. II. act. 1. — 4. Can. 5. — 5. L. III, Orthod. Fid. cc. 4 et 11.

naturam. Atqui individuum, sive concretum, aut suppositum terminatum in quo assumitur humana natura, non est aliud quam divina persona quae est terminus assumptionis. Ergo hoc nomen *homo*, secundum rem significatam, in Verbo designat terminum assumptionis, scilicet Verbum subsistens.

4. — ***Confirmatur.** — In hac propositione : *Deus assumpsit hominem*, ly *homo* significat quidem naturam humanam, sed in concreto, scilicet habentem humanitatem, prout humana natura est in aliquo supposito : unde dicere quod Deus assumpsit hominem, aut quod homo fuit assumptus a Deo, est idem ac dicere quod Deus assumpsit suppositum, aut quod suppositum fuit assumptum a Deo, quod est falsum [1].

5. — **Scholion.** — Posset convenienter et proprie dici quod Filius Dei assumpsisset hominem, in hypothesi eorum qui in Christo duas hypostases vel duo supposita ponunt, sicut fuit illa prior opinio superius recitata [2] ; sed illam opinionem erroneam esse, imo haeresim nestorianam redolere, fusius supra explicuimus [3].

6. — **Corollarium.** — Ergo quandocumque a sanctis Doctoribus invenitur scriptum quod Filius Dei assumpsit hominem, haec et similes locutiones non sunt extendendae tanquam propriae, sed sunt pie exponendae ; ita ut aut homo hic teneat pro natura, unde Verbum dicitur hominem assumpsisse, quia eius naturam assumpsit, aut significetur assumptio in facto esse, ut intelligatur quod assumptio terminata sit ad hoc quod Filius Dei sit homo [4]. Hinc S. Damasus Papa, cum dixisset : *Christus suscepit integrum hominem sine peccato*, mox addidit : *Anathematizamus eos qui duos filios asserunt : unum ante saecula, alterum post assumptionem carnis ex Virgine* [5].

7. — ***Difficultas.** — Filius Dei, cum sit homo, aut est homo, quem assumpsit, aut homo quem non assumpsit. Atqui non homo quem non assumpsit, quia secus Petrus vel quilibet alius homo esset Filius Dei. Ergo est homo quem assumpsit.

1. Ad 2^m. — 2. Quaest. II, a. 6, n. 3. — 3. Ibid. — 4. Ad 1^m. — 5. In Epist. ad Paulin.

Res. Inadaequata est distributio in *maiori* et consequenter exclusio in *minori :* nam Filius Dei nec est homo *quem* assumpsit, nec homo *quem non* assumpsit, sed homo *cuius* naturam assumpsit [1]; ubi tamen, cave, novitie, ne audiens Filium Dei esse hominem cuius naturam assumpsit, sumas hominem pro alio quam Filio Dei, et ly *cuius* intelligas referre alium quam ipsummet Filium Dei : nam homo, cuius naturam Filius Dei assumpsit, est idemmet suppositum divinum [2].

ARTICULUS IV. — *Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis.*

1.— Sententiae circa universalia.— Praesens dubium mentem sponte revocat ad percelebrem illam quaestionem in media aetate inter doctores scholasticos diu agitatam, circa modum quo universalia existere dicenda sint. Siquidem natura humana universale quoddam audit; unde vult modo inquiri utrum, ut tale est, assumptibilitatis rationem secumferat.

Imprimis seponimus Nominalium figmentum, quod a Roscellino Compendiensi susceptum, Okamus in media aetate, Locke, aliique sensistae recentioribus temporibus propugnarunt, secundum quos universalia,et in casu natura humana, ut universale quoddam est, aliud non essent, nisi *flatus vocis* [3]; quandoquidem, cum de ipsis viri docti agere consueverint, ideo saltem aliquid in mente repraesentare debent.

Igitur, tota controversia ad hoc reducitur, ut determinetur utrum universalia existant realiter, an solum idealiter; et quidem, si *realiter,* utrum α) in rebus, an β) extra res; si autem *idealiter,* utrum γ) in mente divina, an δ) in mente humana; et secundum hos respectus erit modo consideranda quaestio de assumptibilitate naturae humanae.

1. Ad 3m. — 2. Caiet.— 3. Cum doctrinam suam mysterio Sanctissimae Trinitatis Roscellinus applicare contendisset, damnatus est in concilio Suessionensi (1092), quem etiam S. Anselmus confutavit, libro edito *de fide Trinitatis contra blasphemias Roscellini.*

α) Universalia existere realiter in ipsis rebus, formaliter ut universalia sunt, et quidem independenter a mentis consideratione, docuerunt Gilbertus Porretanus, necnon Gulielmus Campellensis; β) eadem vero existere per se separata extra res et mentem posuit Plato, et hoc ad salvandam tum scientiae certitudinem, quae non potest esse de rebus continuo fluxui subiectis, tum indefectibilitatem specierum, quae non possunt transire cum rebus[1]. Haec universalia, quae ideas separatas ille nominavit, essent veluti totidem formae per se existentes, quas et res participant, ut sint, et intellectus ut intelligat. Non desunt tamen quibus videtur Platonem non intellexisse ideas, puta, hominis, separatas esse, nisi in intellectu divino[2]. γ) Universalia, formaliter ut universalia sunt, non esse nisi in mente divina, reponunt ontologistae cum Malebranche, quae universalia mens nostra in Deo immediate intuetur, tanquam obiecta nostrarum cognitionum. Tandem, δ) universalia tantummodo in mente humana habere existentiam docuere conceptualistae, ab Abaelardo usque ad Kant, quasi illa aliud non sint, nisi rationes aut categoriae quaedam, quibus aut nihil respondet, aut valde incertum est utrum aliquid respondeat necne, unde essent purae notiones sine re; licet pantheistarum aliqui, ut Hegel, universalibus sic in mente existentibus, *subiectivam* simul et *obiectivam* tribuant existentiam, quasi ipsum ea cogitari sit ea esse, aut existentia idealis sit ipsa existentia realis[3].

2. — Quomodo existunt universalia. — Quid autem sit in hac re retinendum, docet Angelicus Magister[4]: *Cum dicitur universale abstractum,* ait, *duo intelliguntur: scilicet ipsa natura rei, et abstractio, seu universalitas. Ipsa igitur natura cui accidit intelligi vel abstrahi vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus. Sed hoc ipsum quod est intelligi vel abstrahi vel intentio universalitatis est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in sensu. Visus enim videt colorem pomi sine eius odore. Si ergo quaeratur ubi sit color qui videtur sine odore, manifestum est quod color qui videtur, non est nisi in pomo. Sed quod sit sine odore perceptus, hoc*

1. Cf. S. Thom. 1. Quaest. LXXXV, art. 1. — 2. Ad 2^m. — 3. Vide Wil. Turner, *A History of Philosophy*, pp. 583, seqq. — 4. Loco cit., art. 2, ad 2^m.

accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter, humanitas quae intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo speciei et non individualium principiorum.

3. — Critica supradictarum opinionum. — Igitur, universale, ut est abstractum, seu ut est formaliter universale, non existit nisi in mente; materialiter vero sumptum, seu sine tali abstractione, prout significat realiter naturam expressam per definitionem, in rebus ipsis existit. Hoc modo sumptum, est ontologicum, primae intentionis, ideoque directum, et dicitur etiam universale in essendo; alio vero modo est logicum, secundae intentionis et consequenter reflexum, et vocari potest universale in praedicando.

Igitur, *prima* opinio non sustinetur, quia intentio universalitatis quam dicit universale formaliter sumptum, est quid formaliter non rerum, sed mentis. Nec valet *secunda* opinio, quia, ut ait S. Thomas[1], nihil potest esse praeter id quod comprehenditur in eius definitione. Atqui materia sensibilis in communi comprehenditur in definitione naturae speciei rerum sensibilium, sicut carnes et ossa in definitione hominis. Ergo natura speciei rerum sensibilium, proindeque natura humana, non potest esse praeter materiam sensibilem. *Tertia* vero opinio quantum ad hoc valet, quod species rerum universales, praecisae a singularitate earum, sunt quidem in mente divina, in qua sunt propriae rationes omnium rerum[2]; sed non valet quantum ad hoc quod universalia ponit habere realem existentiam in mente divina, aut quod intelligere nostrum ex istis debeat derivari. *Quarta* denique opinio verum dicit, in quantum ponit intentionem universalitatis esse *in* et *a* mente humana; sed fallitur in hoc quod rei naturae adsignat realem existentiam in mente nostra, et multo magis, quod ponat nostrum *cogitare* ipsum *esse* rerum constituere.

1. Hoc art. — 2. 1. Quaest. XV, a. 2.

4. — Status quaestionis. — Quapropter, ex hisce quatuor opinionibus, duae tantum ultimae essent nobis considerandae, eo quod solae veritatis fractionem continent. Attamen S. Thomas secundam etiam, tanquam hypothesim, considerare non dedignatur: quod quidem non mediocris momenti est, quia sunt nonnulli, hodierno maxime tempore, qui, progressistarum et positivistarum nomine gloriantes, humanam naturam contemplantur, quasi foret quaedam forma separata quae, materiae elementis se coniungens, diversimode in pluribus explicatur et evolvitur, optime quidem et secundum idealem typum in Christo perfecta, gradatim vero in caeteris hominibus perficienda.

5. — PROP. — **Humana natura a Filio Dei non debuit assumi abstracta ab omnibus individuis,** α) **sive secundum quod fingi posset cum Platone subsistens praeter materiam sensibilem,** β) **sive secundum quod revera est actu in mente, tum divina tum humana.**

Evolvitur propositio quoad utramque partem. α) Imprimis, dato quod talis modus subsistendi praeter materiam esset possibilis naturae humanae, nihilominus **talis natura assumptibilis non esset propter tria.**

Primo, quia assumptio terminatur in personam. Atqui est contra rationem formae communis, ut sit in persona. Ergo natura humana, sic intellecta, non potest assumi. Revera, natura illa communis non individuaretur, praecise quia communis ponitur; unde repugnaret personis et individuis suae speciei, et sic multo magis personae alterius speciei. — Nec obstat quod non est contra rationem naturae alicuius, puta angelicae, personari. Hic enim proprie est sermo de natura speciei rei sensibilis qualis est homo, in quo natura communis ponitur tantum ipsa; natura vero angelica non ponitur tantum ipsa, sed habens naturam hanc: ideoque humanitas per se incongrua est assumptioni[1].

Secundo, assumptio ad hoc est facta, ut assumens mereretur nobis in natura illa. Atqui operationes quae tribuuntur naturae communi, communes sunt et universales, quibus homo nec meretur, nec demeretur. Ergo talis natura non fuit assumptibilis.

1. Cf. Caiet.

Talis quippe operatio est, puta, cognitio primorum principiorum, caeteraeque operationes quae ex naturae indole in nobis proveniunt, ideoque liberae cum non sint, ex *genere suo* non sunt meritoriae, licet possint fieri tales operantis intentione, qui illas in Deum referat[1].

Tertio, ad hoc Filius Dei naturam humanam assumpsit, ut in ea hominibus visibilis appareret, secundum illud Baruch[2] : *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Atqui natura sic existens non est sensibilis, sed intelligibilis. Ergo assumptibilis non fuit.

6. — β) **I. Nec assumptibilis fuit natura humana, ut est actu in mente divina.** — Sic enim non est aliud nisi ipsa divina natura. Revera, res sunt in cognoscente per modum cognoscentis : hic autem cognoscens ponitur esse Deus : ergo res cognitae a Deo, ut cognitae sunt, sunt in Deo, imo sunt Deus et vita Dei : *Quod factum est, in ipso vita erat*[3]. Humanitas igitur, ut cognita est in intellectu divino, aliud non est, nisi ipsa Deitas, quia Deus, omnia quae cognoscit, cognoscit intuendo seipsum. Si igitur Verbum assumpsisset humanam naturam ut est in mente divina, assumpsisset eam ut est idem cum semetipso in tota aeternitate, unde assumpsisset semetipsum, et sic in Filio Dei fuisset ab aeterno humana natura. Quid magis absonum dici potest ?

7. — **II. Humana natura non fuit assumptibilis prout est in intellectu humano.** — Sic enim humana natura non est quid reale, sed tantum intelligibile, ad quod actio quidem immanens potest pertingere, sed non actio transiens. Assumptio autem est actio transiens ; igitur nequit pertingere ad naturam humanam prout est in mente hominis, sed solum *assumptio intelligibilis*, quae est actio immanens. Quapropter, assumptio sic facta nihil aliud esset, nisi quod intelligeretur assumi humanam naturam ; sicut creatio Socratis in regem per imaginationem, nihil aliud est, nisi imaginari Socratem creari regem. Sed insuper, talis assumptio non esset aliud, nisi fictio quaedam Incarnationis

1. Cf. Caiet. — 2. C. III, 38. — 3. Io., I, 3, 4.

et falsitas intellectualis : ab eo enim quod res est vel non est, dicitur intellectus verus vel falsus. — Ad rem S. Ioannes Damascenus[1] : *Deus Verbum incarnatum non eam, quae nuda contemplatione consideratur, naturam assumpsit; non enim Incarnationis hoc, sed deceptio et fictio Incarnationis esset.*

8. — **Difficultates** — **I.** Talis natura debuit assumi, in qua Filius Dei sit communis omnium Salvator. Sed in natura communi Filius Dei est communis omnium Salvator. Ergo natura communis debuit assumi.

Resp. *Dist. mai.* Communitate generis et speciei, *nego;* communitate causae, *conc. Dist. min.* In natura communi communitate generis et speciei, Filius Dei est communis omnium Salvator, *nego;* in natura communi communitate causae, *conc. Nego conseq. et conseq.* — *Filius Dei incarnatus,* advertit S. Thomas[2], *est communis omnium Salvator, non communitate generis vel speciei, quae attribuitur naturae ab individuis separatae, sed communitate causae, prout Filius Dei incarnatus est universalis causa salutis humanae.*

II. Subsumes. Atqui Filius Dei debuit assumere naturam communem communitate generis et speciei. Ergo. — *Prob.* Filius Dei debuit assumere id quod est nobilissimum in genere rei assumptae. Atqui in genere humanae naturae, id quod est esse *hominem per se,* est nobilissimum : nam in unoquoque genere, id quod est per se est potissimum. Ergo Filius Dei debuit assumere naturam communem communitate generis et speciei.

Resp. *Dist. mai.* Si inveniatur in rerum natura, *conc.;* secus, *nego. Dist. min.* In ordine intentionali, *conc.;* in ordine rerum, *subdist.* in singularibus, *conc.;* praeter singularia, *nego. Nego conseq. et conseq.* — *Per se homo* non invenitur in rerum natura, praeter singularia, ut platonici posuerunt; et si consideretur ut est in intellectu divino, sic profecto non debuit assumi, cum ab aeterno Deo adfuerit[3].

III. Subsumes. Atqui Filius Dei debuit assumere humanam naturam praeter singularia. Ergo.—*Prob.* Hoc nomen *homo* significat

1. L. III, Orthod. fid. cap. 2. — Ad 1^m. — 3. Ad 2^m.

naturam humanam in singulari concreto. Atqui Filius Dei non assumpsit hominem. Ergo Filius Dei non assumpsit humanam naturam in singulari, sed eam assumpsit extra singularia.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Secundum quod suppositum praeintelligitur assumptioni, *conc.* Secundum quod natura ita assumpta est in individuo, ut sit in individuo, *nego. Nego conseq. et conseq*[1].

ARTICULUS V. — *Utrum Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus individuis.*

1. — Sensus quaestionis. — Titulus iste, ait Caietanus, intelligendus est in sensu quo fit, magis quam in sensu quem facit. Nam, cum humana natura in omnibus individuis inveniatur actu personata, posset quis imaginari sensum tituli esse utrum Verbum assumere debuerit omnia et singula supposita humana, qui sensus iam est expunctus, cum suppositum formale, quod est persona, inassumptibile omnino declaratum fuerit[2]. Igitur quaestionis sensus est, utrum decuerit Verbum assumere singulas humanitates quae aliquando inveniuntur in natura, profecto non assumpta personalitate earum.

Porro, quaestio sic proposita est naturalis sequela quaestionis propositae articulo praecedenti. Ibi enim dictum est naturam humanam, secundum intentionem universalitatis, esse in intellectu tum divino tum humano, non tamen sic esse assumptibilem; sed eamdem naturam dictum est esse materialiter et secundum rem in singulis rebus : unde sponte modo quaeritur utrum sic fuerit assumptibilis.

2. — PROP. — **Non fuit conveniens quod humana natura in omnibus suis suppositis a Verbo assumeretur.**

Hanc veritatem S. Ioannes Damascenus ita tradit[3]: *Filius Dei non assumpsit humanam naturam quae in specie consideratur; neque enim omnes hypostases eius assumpsit.* Ubi hypostasis pro supposito radicali sumi debet, seu pro natura singulari.

1. Ad 3[m] Cf. quae diximus art. 3. — 2. Art. 2. — 3. L. 3, Orthod. fid. c. XI.

Prob. rat. theol. Illud quo α) multitudo suppositorum humanae naturae tollitur, β) dignitati Filii Dei incarnati derogatur, γ) contra harmoniam Incarnationis offenditur, non fuit conveveniens. Atqui ex eo quod Filius Dei assumpsisset humanam naturam in omnibus individuis, α) tolleretur multitudo suppositorum humanae naturae; β) derogaretur dignitati Verbi incarnati, γ) offenderetur contra harmoniam Incarnationis. Ergo.

3. — Evolvitur argumentum. — *Ad mai.* α) Multitudo suppositorum est humanae naturae connaturalis : ergo illud est inconveniens, quo ista multitudo tollitur. β) Incarnationis opus inservit manifestandae, et sic promovendae, dignitati Filii Dei : ergo inconvenit quidquid huic dignitati detrahit. γ) Incarnatio est decentissimum divinae Sapientiae opus : inconvenit ergo quidquid harmoniam illius perrumpit.

Ad min. Porro, α) si Filius Dei assumpsisset humanam naturam in omnibus individuis, multitudo suppositorum tolleretur : cum enim in natura assumpta non sit considerare aliud suppositum, praeter personam assumentem, sequeretur quod non esset nisi unum suppositum humanae naturae, si non esset humana natura nisi assumpta : hoc enim suppositum unicum esset persona Verbi assumentis. β) Rursus, in hypothesi recitata, derogaretur dignitati Filii Dei incarnati. Revera, secundum humanam naturam, Christus est *primogenitus in multis fratribus*[1], sicut secundum divinam naturam vocatur *primogenitus omnis creaturae*[2], non quod ipse sit creatura, sed *quoniam in ipso condita sunt universa*[3]. Sed, in praefata hypothesi, omnes homines essent aequalis dignitatis : ergo ipse primogenitus non esset secundum humanam naturam, inter multos fratres. γ) Harmonia Incarnationis, inter alia, in hoc quoque consistit, quod cum unum suppositum divinum sit incarnatum, et una sola natura sit assumpta, ideo unitas ex utraque parte servata est, quae in hypothesi recitata profecto fuisset perrumpta.

4. — Difficultas. — Quod convenit primo et per se alicui naturae, convenit omnibus in eadem natura existentibus. Atqui as-

1. Rom. VIII, 29. — 2. Col. I, 15. — 3. Ibid. 16.

sumi primo et per se convenit naturae humanae. Ergo convenit omnibus individuis in illa natura existentibus.

Resp. *dist. mai.* Quod convenit per se alicui, secundum quod ly *per se* distinguitur contra *per accidens*, *conc.;* secundum quod distinguitur contra *per aliud*, *nego. Dist. min.* Secundum quod ly *per se* distinguitur contra *per aliud*, conc. ; secundum quod distinguitur contra *per accidens, nego. Nego conseq. et conseq.* — Quando dicitur quod humanae naturae per se convenit assumi, sensus est quod ipsi convenit non ratione personae seu per aliud, quemadmodum personae divinae convenit assumere non per se sed per aliud, scilicet ratione divinae naturae ; non autem sensus est quod ipsi conveniat assumi quasi ratione principiorum essentialium eius, aut quod assumi sit quasi naturalis proprietas naturae humanae, quo sensu certe conveniret omnibus suppositis eius[1].

5. — ***Scholion.** — Cum ostensa fuerit convenientia quod Filius Dei non assumpserit naturam humanam in omnibus individuis, tum ex parte ipsius naturae assumptae, tum ex parte Verbi incarnati, tum demum ex parte unionis, praestat hanc veritatem confirmare ex parte principii impellentis, nempe divinae Bonitatis, necnon ex parte principii dirigentis, id est divinae Sapientiae. — Et quantum ad primum, Incarnatio ex divina quidem charitate processit, iuxta illud[2] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ;* attamen exhinc perperam concluderetur quod igitur debuerit ille assumere naturam humanam in omnibus individuis, quasi charitas faciat ut aliquis se communicet amicis quantum est possibile, possibile autem fuerit Filio Dei ut plures naturas humanas assumeret: nam dilectio Dei in opere Incarnationis non modo manifestata est, per hoc quod assumpserit humanam naturam, sed etiam per ea quae in natura humana assumpta pro aliis hominibus passus est, iuxta illud[3] : *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est,* quod quidem fieri non potuisset, si Verbum assumpsisset naturam humanam in omnibus individuis.

Quantum vero ad Sapientiam Dei, quae in Incarnatione stetit

1. Ad 1^m. — 2. Io. III, 16. — 3. Rom. V, 8, 9.

loco principii directivi, perperam argueretur quod cum sapiens operator perficit opus suum breviori qua potest via, brevior autem via fuisset, si omnes homines fuissent assumpti ad naturalem filiationem, quam quod per unum Filium naturalem multi in adoptionem filiorum adducantur, exhinc sequi videretur humanam naturam debuisse assumi a Filio Dei in omnibus suis suppositis; perperam, inquam, sic argueretur : nam *responderi* potest, ad brevitatem viae, quam sapiens operator observat, spectare quod non faciat per multa id quod sufficienter fieri potest per unum; unde etiam ex hoc capite apparet quam conveniens fuerit ut unâ singulari humanâ naturâ assumptâ, per hanc assumptionem omnes homines salvarentur[1].

ARTICULUS VI. — *Utrum conveniens fuerit quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adae.*

1. — Fidei catholicae doctrina. — Veritas catholica profiteri nos iubet Filium Dei naturam humanam assumpsisse ex stirpe Adae : *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli... qui fuit Adam, qui fuit Dei*[2]. Hoc fundamento per fidem accepto, inquiremus modo, ut theologi partes expleamus, huius facti convenientiae rationes.

2. — PROP. — Conveniens fuit quod Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adae.

Hanc veritatem ita tradit S. Augustinus[3] : *Poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adae qui suo peccato obligavit genus humanum; sed melius iudicavit ut de ipso quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.*

Porro, haec convenientia apparet ex triplici capite: α) ex ordine iustitiae servando; β) ex maiori hominis dignitate procuranda; γ) ex magna Dei potentia ostendenda.

3. — α) Ex ordine iustitiae. — Ordo iustitiae requirit ut

1. Ad 2[m] et 3[m]. — 2. Luc. III, 23-38. — 3. L. XIII, de Trin. c. 18.

illemet satisfaciat qui peccavit. Porro, cum identitas numerica inter peccatorem et satisfactorem servari non posset — peccator enim pro suo peccato satisfacere non poterat, satisfactor vero sine peccato esse debebat — tamen unitas specifica servata est, ut ille satisfaceret qui in eadem specie erat ac ille qui peccaverat. Ideoque de natura per peccatum corrupta debuit id assumi, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura.

4. — β) **Ex hominis dignitate procuranda.** — Ad hominis magnam dignitatem pertinet, quod ex suo genere quod victum a diabolo fuerat, nasceretur aliquando diaboli victor, quod ex stirpe eius qui amiserat haereditatem regni coelorum, Filius Dei nasceretur, et quod unus ex posteris Adae verus Deus nasceretur non participative, sed substantialiter, ut ita omnes homines consanguinitate quadam Deo obligarentur.

5. — γ) **Ex magna Dei potentia.** — Potentia in agente maxime demonstratur ex vilitate termini a quo aliquod opus insigne peragit. Ergo ex quo Incarnatio, quae est opus quo humana natura promota est in summam virtutem et dignitatem, locum habuerit de natura per peccatum corrupta, apparet quomodo opus maximae Dei potentiae dici debeat.

6. — *Hypotheses. — Post expensas facti congruentiae rationes, praestat modo exponere hypotheses omnes conceptu possibiles. Porro istae, seposito facto, remanent tres : scilicet quod Verbum naturam humanam, aut extra genus adamiticum, aut in ipso Adam, aut denique ex gentilitate assumpserit.

Et *primo*, quod Deus potuerit creare unam numero naturam humanam in supposito Verbi, non per propagationem, sed aut immediate, sicut creavit Adam, aut mediante alio homine cum uxore sua creatis innocentibus, aut mediante sola virgine de novo creata, nemo est qui ambigere possit: nihil enim Deo impossibile est. Et hoc quidem alicui convenientius videri forsan posset, habito respectu summae sanctitatis quae Christum decebat : *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*[1]. — Sed considerandum est

1. Hebr. VII, 26.

quod Christus venerit tum ad destruendum peccatum, tum ad salvandam naturam : et propter primum quidem segregatus esse debuit a peccatoribus quantum ad culpam ; propter secundum vero, assimilari debuit fratribus salvandis per omnia, quae culpam non important. Nec inde sumi debet scandali occasio, sed potius magnae admirationis argumentum pro innocentia illius naturae assumptae, quae ex massa peccato subiecta nullum passa est detrimentum[1].

Secundo, nec conveniens fuit ut Verbum assumeret humanam naturam in ipso generis humani capite, Adam. Nam, cum Christus venerit ad tollenda peccata, debuit esse segregatus a peccatoribus quantum ad culpam ; et cum venerit ad mundandum omnes, non debuit ipse mundari. Quinimmo, sicut in quolibet motus genere, primum movens est immobile secundum illum motum, et primum alterans est inalterabile, ita Christus primum movens in genere mundandi peccata, nulla peccati labe debuit inquinari. Et licet Adam fuerit primus in genere humano, tamen et ipse mundandus fuit a peccato suo per Christum : divina enim Sapientia incarnata, id est Christus, *eduxit illum a delicto suo*[2], ideoque non fuit conveniens ut Verbum humanam naturam in ipso Adam assumeret[3].

Tertio demum, non decuit ut Verbum nasceretur ex gentilitate, sed potius ex populo hebraico nasci debuit. Christus enim maxime segregatus a peccatoribus esset debebat quantum ad culpam, nam illum innocentiae plenitudo decoratura erat ; ideoque decuit ut a primo peccatore usque ad Christum Dominum, plures iusti mediarent, in quibus specialia futurae sanctitatis signa praefulgerent ; et sic ad Christum perveniretur mediante populo electo, in quo, incipiendo ab Abraham, promissiones de Christo venturo creditae sunt, et qui, in signum foederis conservandi, circumcisionem accepit[4].

7. — Solvitur obiectio. — Unde *difficultati* sic propositae : Verbum voluit ex peccatoribus naturam humanam assumere ; atqui gentiles fuerunt magis peccatores quam iudaei, ut dicit

1. Ad 1m. — 2. Sap. X, 2. — 3. Ad 2m. — 4. Ad 3m, Cf. Gen. XVII, 11.

Glossa[1] super illud : *Nos natura iudaei, et non ex gentibus peccatores ;* ergo potius debuit assumere naturam humanam ex gentilitate, quam ex stirpe Abrahae, qui iustus fuit, — *respondetur dist. mai.:* Verbum voluit assumere naturam humanam ex natura specifica hominum peccatorum, *conc.;* in natura actu infecta, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.*

8. — Scholion. — Secundum huius articuli doctrinam facile patebit quid de eorum sententia sit iudicandum, qui humanum genus, praeter illud ex Adam derivatum, extitisse fingunt. Quorum α) alii, duce Isaaco La Perreyre, qui in secunda medietate saeculi XVII floruit, freti potissimum historiis Aegyptiorum et Chaldaeorum, posuerunt solos iudaeos, de quibus dicebant in secundo tantum capite Geneseos, sub nomine *filiorum Dei*, fieri sermonem, ab Adam descendisse, quos proinde *adamitas* vocabant, ante quos iam multae aliae generationes hominum extitissent, de quibus in primo Geneseos capite, sub nomine *filiorum hominum* est sermo, quos propterea *praeadamitas*, ex quibus ipse Adam ortus est, vocabant, qui in Gentilitate relicti fuerant. — Hoc, inquam, omnino reiiciendum est : nam, in tantum Christus dicitur debuisse humanam naturam assumere ex stirpe Adae, in quantum totum genus humanum peccato originali infectum, Incarnatione reparare volebat: at, si omnes homines ab Adam non descenderunt, nec ad omnes derivatum est originale peccatum, ut ipse La Perreyre ultro admittebat, imo nec omnino exstitit ipsum originale peccatum[2] ; ex quo sequeretur Christum non esse *Salvatorem omnium hominum*[3].

Sed nec ab hac reprehensione omnino liberi evadunt, qui β) fingunt genus humanum ante Adam iteratis vicibus iamdiu exstitisse, posteaque exstinctum fuisse, de quo tamen Scriptura silet, cuius tantum intererat adamiticae progenici vicissitudines recensere[4] — In hac hypothesi Christus, quod ad nos modo attinet, ex sola Adae progenie humanam naturam assumens, non esset omnium hominum rex et caput, nec totius speciei humanae Salvator

1. Interl. ad Gal. II, 15. — 2. Cf. 1, 2ae Quaest. LXXXI, a. 1. — 3. 1, Tim. IV, 10. — 4. Vide J. A. Zahm, Bible, Science and Faith. Baltimore, 1894, pp. 308, 309.

existeret. Nisi praeadamiticae istae generationes fingantur fuisse inferioris cuiusdam speciei, quasi sub genere *homo* multae species contineantur[1]. At tale opinamentum, praeterquamquod omnis scientificae investigationis experimentis adversatur, homo enim, ut aiunt, *tertiarius*, mera chimaera est, ut ipse Zahm agnoscit[2], illi soli probabile videri poterit, cui inexploratum maneat principium quod omne agens agit sibi simile, et quod inter rationale et irrationale, quae differentiae dividunt genus *animal*, sicut inter habitum et privationem, medium aliquod dari nequit. Caeterum, utcumque ponere humanam speciem, praeter illam ex Adam derivatam, periculosae, ut minus dicam, aleae opus est[3].

1. J. A. Zahm loc. cit. — 2. Loc. cit. — 3. Videsis quae scripsimus L' OPERA DEI SEI GIORNI, p. II, c. VII. Vix dici potest quam intimo foedere colligatur peripatetica doctrina de homine cum theologica veritate de humana natura a Verbo assumpta. Caeterum non est qui nesciat quam misere corruerunt quae evolutionistae tanta fiducia paucis abhinc annis proclamabant. *Selon toute apparence*, scribebat L. Büchner (Force et matière. *L'Homme*, p. 263, Trad. Regnard, Leipzig, 1884), *il ne s'écoulera pas longtemps avant que l'existence de l'homme tertiaire, c'est-à-dire d'un être humain ou tout au moins semblable à l'homme, ayant vécu dans une période plus ou moins récente de la dernière grande époque géologique ou époque tertiaire, soit établie sur des bases aussi inébranlables que l'existence irrévocablement démontrée depuis si longtemps de l'homme préhistorique ou quaternaire.* Mirandum est a nonnullis, etiam catholicis viris, hoc genus doctrinae ultro suscipi, quam tamen scientia iamdiu explosit. Sane, evolutionismus recta ducit ad atheismum, ut patet ex his verbis citati materialistae Büchner : *Il faut aussi, en raison des conquêtes de la science moderne, reléguer dans le domaine des fables depuis longtemps passées de mode, comme on l'a déjà fait remarquer, cette vieille opinion basée sur les mythes religieux, et en vertu de laquelle l'homme serait sorti parfait des mains du Créateur et paré de tous les avantages qui le distinguent* (Ibid.).

QUAESTIO V

DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANAE NATURAE

PROLOGUS

1. — Fidei catholicae professio. — Ex hucusque dictis inferri iam poterit Christum ea omnia assumpsisse, quae ad essentialem, potentialem, aut etiam integralem hominis perfectionem pertinent. Deficiente enim aliqua essentiali parte, non fuisset *univoce* homo nobiscum ; deficiente autem aliqua potentiali, vel integrali parte, non fuisset *perfectus* homo, quae duo tamen contra fidem catholicam pugnant, iuxta illud[1]: *Est autem fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus Noster Iesus Christus... homo est ex substantia matris in saeculo natus... perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.* Quod pariter, in Concilio Viennensi[2] fuit definitum : *Fidei catholicae fundamento firmiter inhaerentes, aperte cum sancta Matre Ecclesia confitemur Unigenitum Dei Filium, in iis omnibus, in quibus Deus Pater existit, una cum Patre aeternaliter subsistentem, partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus in se verus Deus existens fieret verus homo, humanum scilicet corpus passibile, et animam intellectualem seu rationalem, ipsum corpus vere, per se et essentialiter informantem, assumpsisse in tempore, ex virginali thalamo, ad unitatem suae hypostasis et personae.*

2. — Haereticorum errores. — Quae cum ita sint, opus non esset ut de partibus humanae naturae in Christo specialis institueretur quaestio, nisi ad hoc nos impulisset haereticorum pervicacia, Christi inconsutilem vestem, humanitatem dico, dilacerare conantium. — Inter quos, α) *Manichaei* et *Marcionitae*, rati corpoream substantiam ex malo ortam principio, docuerunt Chri-

1. Symb. Athan. — 2. Clem. de Summa Trin. et Fide cath.

stum non verum sed phantasticum corpus assumpsisse, quos et *docetae*, sive *phantasiastae* secuti sunt. Mox β) *Valentiniani*, admittentes Verbum assumpsisse verum corpus, tamen negaverunt illud esse univocum cum corpore caeterorum hominum, scilicet esse compositum ex carne et sanguine. γ) *Ariani* autem Christo Domino animam dempserunt, putantes Verbum in ipso animae vices gessisse; demum δ) *Apollinaristae*, concedentes Verbum assumpsisse animam, negaverunt illam fuisse intellectu donatam.

3. — Quaestionis divisio. — Quocirca operae pretium est partes humanae naturae in Christo singillatim vindicare. Et primo quidem partes essentiae (1-3), secundo vero partes potentiales (4). Partes essentiae sunt nedum anima (3), sed etiam corpus, cuius veritas primo vindicanda est (1), et quod secundo asserendum est fuisse eiusdem materiae ac nostrum (2). Potentiae autem multae sunt, sunt enim potentiae vegetativae, sensitivae et rationales; quae quidem omnes sunt animae ut principii; sed ut subiecti, duo priora genera sunt compositi, ideoque in Christo adesse ex unione animae ad corpus intelligenda sunt; potentiae autem rationales, ut subiecti, sunt animae solius, et hae sunt intellectus et voluntas: dubitatur autem hic de intellectu solo (4), cum infra sit ex professo quaestio de voluntate[1].



Hinc quatuor hic quaeruntur:

Primo. Utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.

Secundo. Utrum assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem.

1. Quaest., XVIII.

Tertio. Utrum assumpserit animam.
Quarto. Utrum assumere debuerit intellectum.

ARTICULUS I. — *Utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.*

1. — Explicatio terminorum. — *Verum* hic dicimus corpus, ad exclusionem corporis apparentis tantum, quale angeli in Veteri Testamento assumpserunt, cum videndos se praeberent sub specie humana, seu ad exclusionem corporis phantastici aut phaenomenici solummodo, quale recentiores illi philosophi excogitare possent, quibus visum est extensioni corporum nonnisi subiectivam respondere realitatem, *quasi nihil aliud in natura rerum existat, quam simplices vires*[1]. Porro, verum et ens convertuntur : unde quaerere utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus, est idem ac quaerere utrum debuerit assumere corpus quod sit ens reale, non apparens tantum.

Quod quidem contra Manichaeos vindicandum est, quibus et Priscillianistae consentiebant, existimantes corpora haec terrena a malo principio fuisse condita ; a qua quidem doctrina haud longe distat moderni temporis Massonicorum blasphemia, Lucifero, utique tanquam principio bono, harum rerum formationem attribuentium, non autem Deo, quem, sub nomine Adonai, ceu malum principium haberi volunt.

2. — PROP. — Filius Dei debuit assumere verum corpus.

Hanc veritatem, quae de fide est, sic exprimit S. Ioannes[2] : *Qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est.* Et S. Paulus[3]: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Pariter, auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus[4] : *Natus est Dei Filius non putative, quasi imaginatum corpus habens, sed corpus verum.* Sic etiam

1. Satolli, in h. l. — 2. 1. Ep. IV, 2, 3. — 3. Rom. I, 3. — 4. Inter opera S. Aug. cap. 2.

Eugenius IV ait[1] : *Sacrosancta Romana Ecclesia... firmiter credit, profitetur et praedicat Dei Filium in assumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere passum, vere mortuum et sepultum... Anathematizat... Manichaeum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt*[2].

3. — Probatur triplici ratione, quarum prior desumitur ex *facto* Incarnationis, altera ex *teste*, tertia ex *auctore*.

I. Supposito *facto* Incarnationis, Christus debuit esse verus homo. Atqui aliquis nequit esse vere homo sine vero corpore. Ergo Christus assumpsit verum corpus. Unde Tertullianus ait[3] : *Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua parte mentiri.*

II. *Sacrae Scripturae* nobis exhibent scopum Incarnationis fuisse ut Christus, per assumptam humanam naturam, vere *operaretur* salutem humanam. Sed causa salutis humanae Christus extitit per actiones et passiones suas, necnon per mortem, quae omnia nequeunt esse, si corpus Christi fuit phantasticum : nam sic Christus non vere esset operatus, passus aut mortuus. Ergo Christus assumpsit verum corpus. Ad rem Tertullianus[4] : *Iam nunc, cum mendacium deprehenditur caro Christi, sequitur ut et omnia quae per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint, congressus, contactus, convictus, ipsae quoque virtutes. Si enim tangendo aliquem liberavit a vitio, vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum est, non potest vere actum credi sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum a vacuo perfici licuit. Putativus habitus, putativus actus : imaginarius operator, imaginariae operae. Sic nec passiones Christi eius fidem merebuntur, nihil enim passus est, qui non vere est passus. Vere autem pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus*[5].

III. *Causa* assumptionis est profecto ipsum Dei Verbum. Hoc autem ad Verbi Dei dignitatem pertinet, quod verum proferat : est enim essentialis veritas. Ergo non decuit ut assumptio humanae

1. In Conc. Flor. Const. super unione Iacobit. DENZINGER, n. 601. — 2. Cf. Conc. Tolet. I, c. 21. — 3. De carne Christi, c. 15. — 4. Adv. Marc. l. III, cap. 8. — 5. Edit. Migne 1844.

naturae in aliquo derogaret eius veritati. Sed, si non assumpsit verum corpus, assumptio non fuit nisi deceptio et fictio : *Si phantasma fuit corpus Christi*, ait S. Augustinus[1], *fefellit Christus ; et si fefellit, veritas non est; est autem veritas Christus ; ergo non fuit phantasma corpus eius.*

4. — **Confirmatur.** — Si phantasticum fuit corpus Christi, arguit alibi[2] S. Doctor, ergo invenitur non esse idoneum testimonium apostolorum de Christo ; et sic *inanis est* eorum *praedicatio, inanis est et fides nostra*[3]. Quem errorem per semetipsum excludere dignatus est Dominus, cum post resurrectionem suam se redivivum discipulis praebens, eos conturbatos et conterritos, eo quod putarent se spiritum videre, ad se palpandum invitavit[4] : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et apostolus Ioannes[5] doctrinae suae veritatis testimonium praemittit : *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae,... testamur.*

5. — **Quaestio.** *Quo sensu sint intelligenda* α) *ista S. Pauli verba*[6]: IN SIMILITUDINEM HOMINUM FACTUS; *necnon* β) *haec alia*[7] : ET SI COGNOVIMUS SECUNDUM CARNEM CHRISTUM, SED NUNC IAM NON NOVIMUS?

Resp. α) Per *similitudinem* hic intelligenda est non similitudo *phantastica*, sed similitudo *in specie*, quemadmodum omnes qui vere in humana natura existunt, similes esse dicuntur, scilicet in specie. Quod confirmatur ex verbis quae Apostolus subiungit[8] : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ;* quod profecto fieri non potuisset, si Christus cum caeteris hominibus solam phantasticam similitudinem gessisset. Ubi notanda est graeca phrasis : ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, id est *in similitudine ;* quo loquendi modo, ut contendunt nonnulli interpretum, innuitur quod Christus est quidem verus homo, non tamen homo purus aut peccator[9].

β) Posteriorem locum perperam adducebant haeretici, quasi Christus dicendus foret non habuisse verum corpus. Illorum autem

1. Lib. 83. Qq. Quaest. XIII. — 2. L. IV. C. Gent. c. 29. — 3. 1, Cor. XV, 14. — 4. Luc. XXIV, 39. — 5. 1, Eph. I, 1, 2. — 6. Phil. II, 7. — 7. 2 Cor. V. 16. — 8. IBID., 8. — 9. Ad 1m.

verborum sensus est Christum antea passibilem, post resurrectionem factum fuisse impassibilem; quem et electi imitabuntur, de statu corruptionis ad incorruptionem transeuntes. — *Noveramus*, ait S. Augustinus[1], *Christum secundum carnis mortalitatem, passibilitatem, infirmitatem, antequam resurgeret: sed nunc iam non novimus; quia Christus resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*[2].

6. — **Difficultas.** — Per assumptionem, nulla derogatio facta fuit dignitati Verbi Dei : nam *nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio*, ait S. Leo[3]. Atqui assumptio veri corporis derogat dignitati Dei. Ergo Verbum non assumpsit verum corpus.

Resp. *Conc. mai., dist. min.* Assumptio veri corporis, ad hoc ut Deus fieret forma illius, derogat, etc., *conc.;* assumptio veri corporis in unitatem personae, salva distinctione naturarum, derogat, etc., *nego. Nego conseq. et conseq.* — Repugnat quidem simplicitati et puritati divinae Filium Dei assumpsisse verum corpus ut esset forma illius; non autem ut illud terminaret personalitate divina : per hoc enim eius dignitas non est diminuta, sed aucta summe fuit dignitas humana. — *Exinanivit semetipsum*, ait iterum Doctor Hipponensis[4], *formam servi accipiens, ut fieret servus; sed formae Dei plenitudinem non amisit*[5].

7. — **Scholion.** — Exhinc apparet summa distinctio facienda inter apparitiones Veteris Testamenti et Incarnationem Christi. Et illae quidem fuere signa apparitionis Dei in carne; at cum signum sive figura correspondet rei non quantum ad veritatem — secus si corresponderet quoad omnia, non esset signum sed ipsa res — sed tantummodo quantum ad similitudinem, ideo conveniens fuit ut apparitiones Veteris Testamenti essent secundum apparentiam tantum, quasi figurae futurae apparitionis Christi. Unde visiones illae non fuerunt secundum corporis veritatem, sed tantummodo secundum imaginariam visionem, ut constat ex Isaia[6]: *Vidi Dominum sedentem*, etc. Sed apparitio Christi debuit esse secundum corporis veritatem, quasi res figurata per illas figuras; unde

1. L. II, Faust, c. 7. — 2. Rom. VI, 9. — 3. Serm. de Nativ. — 4. L. de Fid. ad Pet., c. 2. — 5. Ad 2^m. — 6. C. VI, 1.

dicit Apostolus[1] : *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*[2].

Quod si quis inde occasionem arripiat impugnandi tertiam superius allatam rationem, cum apparitiones Veteris Testamenti, licet realitate carentes, tamen fallaciae non fuerint, ideoque nec ipsa Incarnatio esset fallacia, si Christus non sumpsisset verum corpus,— *respondetur*, in illis apparitionibus, apparentem non sic apparuisse, ut assereret se esse vere illud in quo apparebat, puta hominem ; Verbum autem ita in corpore apparuisse, ut assereret se esse vere hominem, ut ulterius manifestabitur articulo sequenti.

ARTICULUS II. — *Utrum Dei Filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem.*

1. — Error. — Valentiniani, cum concederent Verbum assumpsisse verum corpus, tamen corpus illud terrenum fuisse non admittebant, aientes corpus Christi de coelo descendisse, ex coelesti materia formatum, et per Beatam Virginem tantummodo transiisse veluti per quemdam canalem. Ubi duo asserebantur, scilicet corpus Christi, et natura, et origine, a corpore aliorum hominum fuisse diversum.

2. — PROP. — Filius Dei assumpsit corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem.

Hoc fides edocet. Sic[3]: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere ;* caro autem et ossa non sunt ex materia coelestis corporis, sed corporis carnei et terreni. Rursus[4] : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere ;* et[5] : *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem : hic est seductor et antichristus.* Pariter in libro de *Ecclesiasticis Dogmatibus*[6] : *Natus est Dei Filius, carnem ex Virginis corpore habens, et non de coelo secum afferens.* Et in Concilio Florentino[7]: *Sacrosancta Ecclesia... anathematizat Valentinum, asse-*

1. Col. II, 17. — 2. Ad 3m. — 3. Luc. XXIV, 39. — 4. Gal. IV, 4. — 5. 2, Io., 7. — 6. C. 2, inter opp. S. Aug. — 7. Constitut. sup. Union. Iacobit. DENZINGER, n. 601.

rentem Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse, sed corpus coeleste sumpsisse, atque ita transiisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit.

3. — **Prob. ratione theologica triplici**, sicut antea ostensum est corpus Christi non debuisse esse phantasticum.

I. Fides catholica agnoscit in Christo *veritatem* humanae naturae. Atqui veritas humanae naturae non salvaretur, si poneretur corpus Christi esse coeleste; sed debet poni corpus terrenum, imo compositum ex carne et sanguine. *Cum enim forma hominis sit quaedam res naturalis, requirit determinatam materiam, scilicet carnes et ossa, quae in hominis definitione poni oportet, ut patet per Philosophum.* Quibus verbis innuitur ad veritatem humanae naturae, non modo congruenter, sed necessario requiri corpus ex carne et sanguine constans. Anima enim intellectiva, quae est forma hominis, cum veritatem colligit ex rebus visibilibus per viam sensus, praeter virtutem intelligendi, debet habere etiam virtutem sentiendi, ad quam requiritur conveniens organum sensus et maxime sensus tactus, cum omnes alii sensus super tactum fundantur. Porro, conveniens organum tactus nequit esse, nisi corpus sit aequaliter complexionatum, id est a contrariis remotum, quod est corpus mixtum, caro scilicet et sanguis. Unde anima humana aliud corpus informare non potest, et delirant qui aut circuitum animarum fingunt, id est metempsychosim, aut corporis humani formam iugi modificatione evolvi ponunt[1].

II. *Sacrae Paginae* nos docent Christum in corpore suo plura gessisse et passum esse. Porro, corpus coeleste, saltem secundum Valentini positionem, esset impassibile et incorruptibile. Ergo si Filius Dei corpus coeleste assumpsisset, non vere esuriisset aut sitiisset, nec etiam passionem et mortem sustinuisset. Quem in locum faciunt verba Concilii Hispalensis II[2]: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum. Quid hic pallium, quid stola, nisi caro Christi, passionis Sanguine decorata ?*

III. Filius Dei se hominibus ostendit, quasi corpus carneum

1. Cf. 1, Quaest. LXXVI, c. 5. Cf. L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. II, cc. VII et VIII. — 2. Can. 13.

et terrenum habentem. Unde, si corpus coeleste habuisset, falsa fuisset demonstratio, ipseque falsitatis argui iure potuisset, quod est impossibile.

4. — ***Quaestio.** — *Quisnam sit sensus* α) *horum verborum S. Pauli*[1] : PRIMUS HOMO DE TERRA TERRENUS, SECUNDUS HOMO DE COELO COELESTIS ? *Necnon* β) *horum*[2] : CARO ET SANGUIS REGNUM DEI POSSIDERE NON POSSUNT ? *Necnon* γ) *horum*[3] : QUOD NATUM EST EX SPIRITU, SPIRITUS EST ?

Resp. α) Antithesis ab Apostolo intenta non est exclusive inter *corpora*, sed potius inter *personas*, hinc Adae, illinc vero Christi. Et Adam quidem adscritur esse de terra terrenus, Christus vero de coelo coelestis, ratione tum divinae, tum etiam humanae naturae. — *Divinae* quidem naturae, quia natura divina, quin in coelo esse desierit, incoepit novo modo esse in infimis, nempe secundum naturam assumptam, iuxta illud[4] : *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo Filius hominis, qui est in coelis.* — *Humanae* autem *naturae*, non quia corpus Christi secundum suam substantiam de coelo descenderit, sed quia virtute coelesti fuit formatum, scilicet de Spiritu Sancto : unde S. Augustinus exponens auctoritatem inductam, ait[5] : *Coelestem dico Christum, quia non ex humano conceptus est semine*[6], quo modo etiam illam exponit S. Hilarius[7]. Porro, corpus Adae, licet immediate a Deo formatum fuerit, tamen non potest dici *de coelo* formatum, quia non praeter naturae legem formatum est aut miraculose, cum primum humanae speciei individuum alio modo fieri non poterat.

β) Cum dicitur : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, non debet hoc intelligi de *substantia* carnis et sanguinis, sed de *corruptione* carnis et sanguinis. Porro, caro et sanguis, secundum substantiam, regnum Dei possident in Christo; quantum vero ad corruptionem, ex qua parte respiciunt culpam, nullo modo fuerunt in Christo; ex qua vero parte respiciunt poenam, ad tempus fuerunt in ipso, ut opus nostrae redemptionis expleret[8].

γ) Christus, licet sit natus *ex* vel *de* Spiritu Sancto, non tamen

1. 1, Cor. XV, 47. — 2. IBID. 50. — 3. Io., III, 6. — 4. Ibid., 13. — 5. Ad Orosium in dial. 65. — 6. Ad 1^m. — 7. L. X de Trin. — 8. Ad 2^m.

propterea formaliter spiritus est: sed cum in ipso pars animae superior, id est spiritus, perfectissime inferioribus partibus hominis dominaretur, ideo per synecdochen spiritus vocatur, quemadmodum homo iustus spiritualis vocatur per antithesim ad hominem peccatorem qui animalis dicitur[1].

5. — Difficultas. — Omne quod est optimum, est Christo tribuendum. Atqui corpus coeleste est inter omnia corpora nobilissimum. Ergo Christus debuit habere corpus coeleste.

Resp. *Dist. mai.* Omne quod est optimum absolute, est Christo tribuendum, *nego;* habito respectu ad finem Incarnationis, *conc. Dist. min.* et magis assumptibile, *nego;* et non tam congruum Incarnationi, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Cum de Incarnationis proprietatibus loquimur, non a priori et absolute licet statuere quid Christo conveniens fuerit, sed habito respectu ad finem Incarnationis, qui fuit ut Christus pro nobis satisfaceret, quod sane nonnisi in humano corpore praestari poterat. Aliunde, assumptio infirmi et terreni corporis gloriam Dei magis exaltat, eo quod ad tantam sublimitatem illud Deus provehere potuerit. — *Qualiter artificum optimi,* ait S. Theophilus[2], *non in pretiosis tantum materiebus artem ostendentes, in admiratione sunt, sed vilissimum lutum et terram dissolutam plerumque assumentes, suae disciplinae demonstrantes virtutem, multo magis laudantur, ita omnium optimus artifex, Dei Verbum, non aliquam pretiosam materiam corporis coelestis apprehendens, ad nos descendit, sed in luto magnitudinem suae artis ostendit*[3].

6. — Scholia — I. Ex hisce patet veritati catholicae contrarias esse illas imagines, in quibus annunciationis mysterium ita peractum perhibetur, ut Pater aeternus repraesentetur in actu mittendi de coelo in uterum Beatae Virginis corpus infantuli iam ab alto formatum, ita ut Christus per Virginem transiisset quasi aqua per aquaeductum: hoc enim veritati Incarnationis contrarium est: siquidem tale corpus, contra generationis humanae leges ita formatum, humanum non foret; nec veritas locorum Sacrae Scripturae superius adductorum in hac sententia sustineri posset.

1. I, Cor. II, 14. — 2. In Ephes. Syn. p. II, act. 1. — 3. Ad 3[m].

II. Si corpus humanum Deus divinitus efformasset, simile scilicet in elementis corpori aliorum hominum, quod certe ipsi possibile fuit, tamen adhuc veritati revelatae contrariaretur, cum non esset natus Filius Dei de muliere, nec omnino formam hominis habuisset, cum corpus humanum non solum requirat determinatam materiam, sed etiam determinatum modum in ortu suo, nempe per generationem.

ARTICULUS III. — *Utrum Filius Dei assumpserit animam*

1. — Errores. — Teste S. Augustino[1], opinio fuit primo Arii, quam postea et Apollinaris amplexus est, quod Filius Dei assumpserit solam carnem sine anima, cum iuxta illos, Verbum locum animae, relate ad carnem, tenuerit. Ex quo sequebatur non duas naturas in Christo fuisse, sed unam tantum : natura enim humana singularis non constituitur, nisi ex unione animae et carnis ; et si Verbum locum animae in carne tenuisset, illam immediate informasset ad unam tantum naturam constituendam. Quod est contra fidem catholicam, hisce Damasceni verbis expressam[2] : *In Domino autem Iesu Christo non est communem speciem accipere*, speciem scilicet tertiam, resultantem ex unione divinitatis et humanitatis, licet natura in Christo fuerit humana, quae per animam corpori advenientem constituitur[3].

2. — PROP. — Filius Dei assumpsit animam.

Hanc veritatem, quae de fide est, ita exprimit Conc. Ephesinum[4] : *Non dicimus quod Dei natura conversa vel immutata sit, sed quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter, et ineffabiliter factum sit homo.* Pariter, in Concilio romano, sub Damaso Papa, legitur : *Anathematizamus eos qui, pro hominis anima rationali et intelligibili, dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et pro anima rationali et intelligibili in suo corpore non fuerit, sed nostram, id est ratio-*

1. Lib. de Haeres. Haer. XLIX et LV. — 2. L. III, Orthod. Fid. c. 3. — 3. Ad 3^m. — 4. C. 13.

nalem et intelligibilem sine peccato, animam susceperit. Et Eugenius IV in Concilio Florentino[1]: *Sacrosancta Ecclesia anathematizat Arium, qui asserens corpus ex Virgine assumptum anima caruisse, voluit loco animae fuisse deitatem.* Sic etiam Ecclesia canit[2]: *Creator generis humani animatum corpus sumens,* etc. Unde concludendum est cum Augustino[3]: *Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum a Verbo Dei; et sic audiunt quod dictum est: Verbum caro factum est, ut negent illum hominem vel animam vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam.*

Ubi advertisse iuvabit nonnisi per calumniam nonnullos ex protestantium castris, ut de Wette et Neander, aliquos ex antiquis Patribus, ut Tertullianum, Clementem Romanum, Irenaeum, Origenem, incusare quasi in arianorum errorem lapsi fuerint, in Verbo solummodo carnem, non animam, aut certe non animam rationalem ponentium, siquidem illi de anima quoque mentionem facere non omittunt. Sic, ut alios praetermittam, Clemens Romanus ait[4]: *Sanguinem suum pro nobis tradidit, et carnem pro carne nostra, et animam pro animabus nostris*[5].

3. — Prob. Ratione theol. triplici. — α) Ex veritate evangelicae narrationis. — Christus de se loquens, de propria anima mentionem facit[6]: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* et rursus[7]: *Ego pono animam meam.* — Porro, obiiciebat Apollinaris in his verbis animam metaphorice sumi debere, quemadmodum cum in Veteri Testamento anima Dei commemoratur[8]: *Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea.* Sed obstat quod in evangelica narratione passiones quaedam commemorantur, quae sine anima esse nequeunt, sicut cum dicitur Iesus miratus esse, iratus et contristatus; atqui, sicut ex passionibus corporalibus, scilicet ex eo quod Christus esuriit, et comedit, et dormivit, et fatigatus est, infertur illum verum corpus habuisse, ita ex passionibus animae inferri debet illum veram animam habuisse. — Quod si quis obiiciat similia in Veteri Testamento de Deo,

1. Loc sup. cit. — 2. In Officio Circumcisionis Domini. — 3. Lib. de Agone Christiano, cap. 21. — 4. Ep. I, n. 49. — 5. Vide Franzelin, Thes. 3, Cf. l. IV, C. Gent. c. 37. — 6. Matth. XXVI, 38. — 7. Io., X, 17. — 8. Is. I, 14.

ideoque metaphorice, relata reperiri, unde etiam quae in Novo Testamento de Christo habentur sic metaphorice accipi deberent, *respondetur* negando paritatem: quod enim in Veteri Testamento est figura, in Novo est ipsa rei veritas; unde fides evangelicae narrationis exigit ut illis quae ibi prophetice nuntiabantur in figuris, hic correspondeat ipsa rei proprietas.

4. — β) **Ex utilitate Incarnationis**, quae profecto defraudaretur, si Verbum non assumpsisset animam. — Pulchre Vigilius causas enumerans cur alicui videri posset quod Christus non assumpserit animam, hoc, ait, esse posset, aut α) quia animam a se alienam reputaverit; aut β) quia ipsam curare nequiverit; aut γ) quia eam nesciverit noxiam; aut δ) demum quia nimis vilem illam reputaverit. Atqui primum supremo Verbi dominio derogat; alterum contra eius omnipotentiam offendit; tertium eius sapientiae iniuriam irrogat; quartum demum eius bonitati et pietati repugnat.

**Cur accepta carne animam dispensatio Mediatoris omiserit? Nisi forte aut innoxiam sciens medicinae indigentem esse non crediderit, aut a se alienam putans, redemptionis beneficio non donarit, aut ex toto insanabilem iudicans, curare nequiverit, aut ut vilem et quae nullis usibus apta videretur, abiecerit. Horum duo in ipsum totius hominis Creatorem blasphemi spiritus incredulitate desipiunt. Nam primo impotentem, secundo non omnium Deum crediderunt. Quomodo enim docetur omnipotens, si curare non potuit desperatam? aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus vero aliis, uno animae causa nescitur, altero meritum non metitur. Aut intelligere causam putandus est animae, qui eam ad accipiendam legem, habitu insitae rationis instructam, a peccato voluntariae transgressionis nititur separare? Aut quomodo eius generositatem novit, qui ignorabilitatis vitio dicit esse despectam, praelata carne, quam non flatu Dei, sicut animam, sed de limo terrae constat esse plasmatam? Si autem nihil horum de anima recte sentitur, credamus quia suscepit Redemptor noster hominem totum, ne intercidere quodam modo animae nostrae videamur beneficium sempiternum. Proh dolor, carnem, inquit, solam Christus assumpsit, animam non quaesivit. Hic si originem utriusque gnarus rerum contemplator adtendas, pretio-*

sior est animae substantia ; si transgressionis culpam, propter intelligentiam, peior est causa. Ego autem Christum et perfectum sapientia scio, et piissimum esse non dubito, quorum primo meliorem et prudentiae capacem non despexit, secundo eam quae magis fuerat vulnerata suscepit [1].

5. — γ) **Ex Incarnationis veritate.** — Nam, si ad Incarnationis veritatem requiritur corpus ex carne et sanguine conflatum, multo magis requiritur anima, per quam caro et caeterae hominis partes speciem sortiuntur: recedente enim anima, non sunt os et caro nisi aequivoce, ut habet Philosophus [2].

6. — **Quaestio.** — *Cur S. Ioannes in initio Evangelii sui dixerit*[3]*:* VERBUM CARO FACTUM EST, *nulla facta de anima mentione?*

Resp. Hoc non dicit ad excludendam animam, sed per synecdochem, qua figura pars ponitur pro toto, unde idem est ac dicere: *Verbum homo factum est.* Quae quidem loquendi ratio non est in Scripturis infrequens ; ita [4]: *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est;* rursus [5]: *Videbit omnis caro salutare Dei;* et iterum[6]: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* — Porro, totus homo per carnem significatur, triplici de causa. α) Quia per carnem Filius Dei visibilis apparuit; unde subditur[7]: *Vidimus gloriam eius.* β) Ut commendetur Dei pro nobis humilitatis dilectio, dum rerum extreme distantium, Verbi scilicet et carnis, unio signatur. *In tota illa unitate susceptionis,* ait S. Augustinus[8], *principale Verbum est; extrema autem atque ultima caro. Volens itaque Evangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum et carnem nominavit, praetermittens animam, quae est Verbo inferior, carne praestantior.* γ) Ut confirmetur Incarnationis veritas, dum caro, quae propter hoc quod magis distaret a Verbo, minus assumptibilis videbatur, dicitur actualiter Verbo unita: ex quo argumentum a fortiori potest deduci, quia si Verbum carnem assumpsit, ergo multo magis animam [9].

7. — **Difficultas.** — Ubi est Verbum Dei substantialiter unitum

1. L. Contra Felicianum arian. c. XIII, Inter Opp. S. Aug. — 2. In II de Anima, t. 9, et VII Metaph., t. 34. — 3. C. I, 14. — 4. Is. XL, 5. — 5. Luc. III, 6. — 6. Matth., XXIV, 22. — 7. Loc. cit. — 8. L. 83. Qq. q. LXXX. — 9. Ad 1[m].

corpori, superfluum est animam adesse. Atqui in Christo erat Verbum Dei substantialiter unitum corpori. Ergo in ipso superfluum erat animam adesse.— *Prob. maior:* ex eo quod Verbum est primum principium vivificativum, iuxta illud[1]: *Apud te est fons vitae.*

Resp. *Dist. mai.* Si adesset tanquam forma corporis, *conc.;* tanquam prima causa vitae effectiva, *nego. Dist. min.* Sicut prima causa vitae effectiva, *conc.;* sicut formale principium vitae, *nego. Nego conseq. et conseq.*— Forma est effectus agentis; unde ex praesentia Verbi magis debet concludi quod corpus Christi fuerit animatum, sicut ex praesentia ignis, magis concludi debet quod corpus, cui ignis adhaeret, habeat formam caloris, seu sit calidum[2].

ARTICULUS IV. — *Utrum Filius Dei assumere debuerit intellectum.*

1. — Errores. — Refert Angelicus Doctor ex S. Augustino[3], quod Apollinaristae, de anima Christi a catholica Ecclesia dissentientes, primo cum arianis negarunt quod Deus susceperit animam; postea vero, testimoniis evangelicis devicti, animae Christi mentem defuisse asseruerunt, pro qua Verbum ipsum in Christo fuisset.

Notandum autem est primam huius articuli intentionem esse ut probetur animam Christi rationalem esse, sumpto rationali pro differentia illam constituente et distinguente animam hominis ab anima brutorum: ex qua anima, formaliter et essentialiter rationali, mens ipsa, tanquam distincta potentia, intelligitur fluere. Nam, ut habet S. Doctor[4], *rationale et sensibile, prout sunt differentiae, non sumuntur a potentiis sensus et rationis, sed ab ipsa anima sensitiva et rationali. Quia tamen formae substantiales quae, secundum se, sunt nobis ignotae, innotescunt per accidentia, nihil prohibet interdum accidentia loco differentiarum substantialium poni.*

2. — PROP. — **Filius Dei assumpsit intellectum.**

Haec veritas tradita est in Concilio Viennensi[5] superius[6] relato.

1. Ps. XXXV, 10. — 2. Ad 2^m. — 3. — 3. Lib. de Haeresibus, haer. XLIX et LV. — 4. 1, Quaest., LXXVII, a. 1, ad 7^m. — 5. In Clem. de Summa Trin. et fid. cath. — 6. Prolog. huius quest., n. 1.

Eugenius quoque IV, in Conc. Florentino ait[1] : *Sacrosancta Ecclesia anathematizat Apollinarem, qui in Christo solam posuit animam sensitivam, et deitatem Verbi vicem rationalis animae tenuisse.*

Quod iam S. Fulgentius ita tradiderat[2] : *Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem et animam rationalem, qui de carne sua dicit*[3] : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere ; animam quoque se habere ostendit, dicens*[4] : *Ego pono animam meam et iterum sumo eam : intellectum quoque animae ostendit se habere, dicens*[5] : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde ; et de ipso per Prophetam Deus dicit*[6] : *Ecce intelliget puer meus.*

3. — **Prob. Ratione theologica triplici**, affini rationibus in praecedenti articulo positis.

α) **Ex veritate evangelicae narrationis.** — Secundum Evangelium, Christus commemoratur aliquando fuisse miratus, sicut cum centurionis fidem commendavit[7]. Atqui admiratio absque ratione esse non potest, cum importat collationem effectus ad causam : admiratio enim habetur dum quis videt effectum, cuius causam ignorat et quaerit. Narrationi autem evangelicae fides omnino debetur. Ergo vere Filius Dei assumpsit intellectum.

4. — β) **Ex utilitate Incarnationis.** — Nisi ponatur Verbum assumpsisse intellectum, Incarnatio homini non profuisset. Revera, scopus Incarnationis fuit ut homo iustificaretur a peccato. Atqui anima humana non est peccati aut gratiae iustificantis capax, nisi per mentem, non quod ipsa mens dici debeat subiectum gratiae, sed quod anima, secundum suam substantiam, non est gratiae aut peccati capax, nisi in quantum formaliter rationalis est, ex qua mens ipsa, seu intellectus fluere intelligitur. Unde praecipue oportuit mentem humanam assumi, sicut dicit S. Damascenus[8] : *Dei Verbum assumpsit corpus et animam intellectualem et rationalem;* et postea subdit : *Totus toti unitus est, ut toti mihi salutem largiretur, quod enim inassumptum est, incurabile est.*

5. — γ) **Ex Incarnationis veritate.** — Ostensum est supra

1. In Const. supra cit. — 2. Lib de Fide ad Petr. cap. 14. — 3. Luc. XXIV, 39. — 4. Io., X, 17. — 5. Matth., XI, 29. — 6. Is., LII, 13. — 7. Matth., VIII, 10. — 8. L. III, Orthod. fid. c. 6.

quod Christus habuerit veram carnem humanam. Porro corpus animae proportionatur, sicut materia propriae formae; unde non est vere caro humana, quae non perficitur per animam humanam, quae est anima rationalis. Hinc, si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed carnem bestialem, cum per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali. Unde S. Augustinus ait quod, secundum hunc errorem, sequeretur quod Filius Dei *belluam quamdam cum figura humani corporis suscepisset*[1]. Quod repugnat tum veritati Incarnationis, tum etiam veritati divinae, quae nullam patitur falsitatem.

6. — ***Tacita obiectio.** — Contra hanc rationem militare videtur quod intellectus non est actus alicuius corporis : ergo, ad hoc ut haberetur caro humana, non fuit necesse quod Filius Dei assumpserit intellectum. — Cui *respondetur* quod, licet intellectiva potentia non sit actus alicuius corporis, tamen ipsa animae humanae essentia, quae forma corporis est, nisi sit essentialiter nobilior quam anima brutorum, nequit habere intelligendi potentiam, nec informare corpus formaliter humanum. Anima enim quae est mentis expers, est secundum essentiam suam minus nobilis quam anima quae intelligendi capax est[2]. Unde quod hic dicit S. Thomas, *per solam mentem animam nostram differre ab anima bestiali,* non est intelligendum de mente ut est formaliter potentia distincta ab ipsa animae essentia, sed de mente prout significat *rationale,* quod est differentia specifica qua homo distinguitur a bruto.

7. — ***Scholion.** — Hanc veritatem sartam tectamque servare nequeunt, qui ponunt animam formaliter constitui intellectivam per praesentiam obiectivam seu per intuitionem τοῦ esse idealis, seu, ut Rosminius docuit[3], qui ponunt *primum lumen reddens animam intelligentem, esse esse ideale.* Nam, cum istud esse ideale aliud non sit, iuxta eumdem Rosminium, nisi ipsum Dei Verbum, secundum illud[4] : *Esse indeterminatum intuitionis, esse initiale est aliquid Verbi,* profecto Verbum in anima Christi locum intellectus tenuisset, sua obiectiva praesentia animam collustrans, eamque intellectivam reddens[5].

1. L. 83, Quaest. q. LXXX. — 2. Ad 3^m. — 3. Prop. XXXVII. — 4. Prop. VII. — 5. Cf. Satolli, in h. l.

8. — **Difficultates** — I. Ubi est rei praesentia, non requiritur illius imago. Atqui homo, secundum mentem, est ad Dei imaginem conditus. Ergo praesente Verbo in Christo, non oportuit ibi esse mentem humanam.

Resp. *dist. mai.* Ut suppleatur res ipsa, *conc.;* ut ipsa imago, tanquam rei effectus, ab ipsa re perficiatur, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique, ubi adest res aliqua per sui praesentiam, imago non requiritur ut suppleat locum rei, sicut ubi adest imperator, milites illius imaginem non venerantur; requiritur tamen imaginis praesentia cum re ipsa, ad hoc ut illa, tanquam huius effectus, perficiatur, sicut ex praesentia hominis ante speculum resultat eius imago, et ex impressione sigilli in cera perficitur eius figura : et sic praesentia Verbi in Christo intellectum humanum non impedivit nec evacuavit, sed maiori perfectione donavit[1].

II. Lux maior obfuscat lucem minorem. Atqui Verbum, per respectum ad intellectum humanum, habet rationem lucis maioris relate ad minorem : nam et mens ipsa est quaedam lux, quasi lucerna a prima luce illuminata, iuxta illud[2] : *Lucerna Domini, spiraculum hominis;* Verbum autem *erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ergo in Christo, qui est Verbum Dei, non fuit necessarium esse mentem humanam.

Resp. *Dist. mai.* Evacuando lucem minorem alterius corporis illuminantis, *conc.:* corporis illuminati, *nego. Dist. min.* Ita quod lux intellectus humani illuminet independenter a Verbo, *nego;* ita quod mens illuminetur a luce ipsius Verbi, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Licet lux maior evacuet lucem minorem alterius corporis illuminantis, tamen non evacuat, sed perficit lucem corporis a se illuminati; sicut sol evacuat quidem suo fulgore lucem aliarum stellarum, non vero evacuat, sed perficit lucem aëris a se illuminati; et ita Verbum non evacuat, sed potius perficit lucem intellectus humani, qui est veluti lux illuminata a luce divini Verbi[3]. Ubi tamen notandum venit lucem maiorem obfuscare minorem, non quoad substantiam lucis, cum nihil a luce minore

1. Ad 1^m. — 2. Prov. XX, 27. — 3. Ad 2^m.

tollat, sed quoad huius effectum, quem facit non apparere. Revera, quoad substantiam, lux maior perficit minorem, augendo illius effectum, sicut aer iam a candela illuminatus, superveniente luce solis, suum lumen non perdit, imo maius lumen acquirit, licet illius effectus iam non appareat[1].

1. Caiet. Cf. Vinc. Lud. Gotti, Tr. de Verbo Incarn. Quaest. V. — Circa Manichaeorum deliramenta, rerum formationem Lucifero, tanquam principio bono attribuentium, vide L. Billot, de Verbo Incarnato, p. 174, seqq. Romae, 1900. — Notum est impietates illas in spiritistarum conventibus palam renovari, ita quod Lucifer vero Deo se substituere non vereatur in mundi formatione et gubernatione. — Circa modernorum errores Incarnationem respicientes, vide Monsabré (Conferenze della Quaresima, 1878. I. V. *Indice degli errori*), qui prius exponit eorum sententiam qui, cum Dupuis docent omne id quod Evangeliis et traditione de Christo continentur, aliud haud esse nisi quamdam applicationem Christo factam de certis eventibus meteorologicis. Tum aliorum opinamenta ad trutinam revocat, qui cum Strauss, Horst, Vacherot, Christo negantes realem personalitatem, illum tamen esse dicunt ideam realem, seu repraesentationem collectivam totius generis humani. — Nonnulli auctores, ut Gotti (loc. cit), hic ponunt quaestionem : *Utrum Verbum assumpserit humanam voluntatem*, perperam tamen; nam cum ubicumque est intellectus, ibi necesse est esse voluntatem, ex eo quod dictum est Verbum assumpsisse intellectum, satis sequitur voluntatem etiam ab illo fuisse assumptam. Nec quaestio de voluntate resumenda foret, nisi propter specialem difficultatem de unitate Christi, quam dualitas voluntatum tollere videretur, cum voluntas sit primum movens et imperans in unoquoque volente : ad quod solvendum, quaestio decima octava instituetur.

DISSERTATIO SPECIALIS

DE PRETIOSISSIMO SANGUINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

1. — Ratio dissertationis. — Quaestiunculas plures quibus aliqui inter theologos plus aequo in media aetate indulserunt, nos sanctum Praeceptorem nostrum secuti, consulto omittimus, cum et a scientiae theologicae dignitate recedunt, nec reverentiam, quae Christo debetur, integram relinquunt.

Attamen, non est praetereunda de pretiosissimo Christi Sanguine disputatio, eo vel magis quod ipse Doctor Angelicus, articulo secundo, quaesierit utrum Filius Dei debuerit assumere carnem et sanguinem; siquidem corpus humanum sanguine, tanquam notabili parte, coalescit. De caeteris etiam humoribus, ne quid huic tractationi desit, aliquid adiecisse non pigebit, necnon de quibusdam corporis partibus, ut sunt ungues, dentes, capilli et ossa.

Illisce autem quaestionibus solvendis opportunum subministrabitur criterium hoc principio, quod scilicet Christus ea omnia assumpserit et assumpta retinuerit, quae ad essentialem, potentialem et integralem hominis perfectionem pertinent.

2. — PROP. — Verbum assumpsit sanguinem.

Vix unus inter maioris notae theologos reperitur Durandus qui hoc negaverit, *cuius opinio*, ait Struggl [1], *ab auctoribus erronea, temeraria, et haereticâ etiam nuncupatur*. Propositio igitur enunciata dicenda est theologice certissima et omnino catholica, ideoque sedulo retinenda.

Cuius rei generalis probatio erui potest ex modo loquendi tum Sacrarum Scripturarum, Christo ad *Sanguinem suum* appellante, tum sanctorum Patrum, penes quos Sanguis ille dici solet *Sanguis Christi*, quo possessivo casu satis aperte significatur San-

1. Theologia Universa, t. II, Tract. IX, Quaest. II, art. I, VI.

guinem ad Verbum, non minus quam carnem, aut etiam animam pertinuisse.

3. — Specialiter probatur. — α) **Ex S. Scriptura.** — 1° Cum Christus univoce nobiscum homo fuerit secundum humanam naturam, debuit assumere corpus compositum ex carne et sanguine. *Quia ergo pueri* (id est homines), ait Paulus[1], *communicaverunt carni et sanguini* (id est componuntur ex carne et sanguine), *et ipse* (Christus) *similiter participavit eisdem.* 2° Sanguini Christi attribuitur perfectio operis nostrae redemptionis[2] : *Iustificati in Sanguine ipsius* (Christi), *salvi erimus ab ira per ipsum ;* et rursus[3]: *Sanguis Iesu Christi Filii* (Dei) *emundat nos ab omni peccato.* 3° Maximum ii commisisse peccatum exhibentur, qui Christi Sanguinem despexerunt[4] : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione... moritur ; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui... Sanguinem Testamenti pollutum duxerit.*

4. — β) Ex auctoritate Ecclesiae. — 1° Ex declaratione *Clementis VI* qui dicit unam guttam Sanguinis Christi, *propter unionem ad Verbum,* habuisse valorem infinitum[5]. Accedit 2° *Concilii Tridentini* auctoritas, dicentis quod in Eucharistia adest et Sanguis sub specie panis, vi concomitantiae, *qua partes Christi Domini... inter se copulantur*[6]. Ergo Sanguis habetur a Tridentino tanquam pars humanitatis Christi Domini. Ex alia parte, in consecratione calicis, Sanguis Christi est terminus primarius, et per concomitantiam habetur etiam corpus certe unitum divinitati : ergo Sanguis, non minus quam corpus, unitus est divinitati, nam propter quod unumquodque tale, et illud magis. Cui suffragatur etiam 3° *liturgia,* iuxta quam speciale quoddam festum pro universa Ecclesia honori Sanguinis Christi institutum est, in cuius officio momenta tum ex divinis Scripturis, tum ex sanctis Patribus congeruntur, ex quibus argumentum in promptu cruitur pro hypostatica Christi Sanguinis cum Verbo unione adserenda. Sic enim in oratione dici, Ecclesia rogat Deum, ut fideles *salutis suae pretium solemni cultu... venerentur.* Salutem autem Sanguis

1. Hebr. II, 14. — 2. Rom. V, 9. — 3. 1, Io., I, 7. — 4. Hebr., X, 28, 29. — 5. In Extrav. *Unigenitus,* — 6. Sessione XIII, can. 3.

Christi operari nequibat, nisi in quantum divinitas ipsi hypostatice unita manebat.

5. — γ) **Ex ratione theologica.** — Sanguis in homine, non modo anima rationali informatur, sed etiam est elementum necessarium ad vitam animalis conservandam, seu, ut ait Scriptura[1], *Sanguis eorum* (animalium) *pro anima est*, et rursus[2]: *Anima carnis in sanguine est;* insuper, requiritur ad vitales functiones peragendas. Ergo dicendus est assumptus fuisse a Verbo. Praeterea passiones, quas in Christo admittere debemus, ut infra patebit, sine sanguine explicari nequaquam possint, ut puta ira, quae fit cum sanguinis accensione circa cor, timor cum contractione, gaudium, cum dilatatione sanguinis, etc.: unde S. Thomas ait[3]: *Manifestum est quod ad naturam corporis humani pertinent carnes et ossa et sanguis, et alia huiusmodi*[4]. Ergo a Verbo sanguis assumptus est.

6. — **Confirmatur** praefata conclusio ex diuturnis disputationibus, quae in media aetate semel atque iterum agitatae sunt inter fratres Minores et fratres Praedicatores, disceptantes utrum Christi Sanguis in triduo mortis illius fuerit necne a divinitate separatus; quibus satis aperte constat unanimem Ecclesiae sensum tunc fuisse quod Christi Sanguis in vita eius mortali fuerit divinitati hypostatice unitus[5].

7. — **De Sanguine Christi in terris asservato.** — Sed huic quaestioni alia subnectitur magis implexa dubitatio, utrum scilicet particulae illae Sanguinis, quae dicuntur in terris asservari, sint unitae divinitati, seu utrum subsistant ipsamet Verbi Dei hypostasi, et quanam specie cultus adorari debeant. Placet huic loco praemittere Card. Caietani verba[6]: *Haec magis divinare quam affirmare possumus: ideo nullus pertinax in propria opinione inveniatur, nullus dubia pro certis affirmet; sed, pie dubitando, devotionem suam prosequatur.*

1. Deut., XII, 23. — 2. Lev., XVII, 11. — 3. Quaest. LIV, huius part. art. 2. — 4. Cf. Quaest. XXXI, a. 5, h. p. Vide quae scripsimus, L'OPERA DEI SEI GIORNI, p. II, c. 4. — 5. Videsis FLEURY, H. E., l. XCV, n. 60, sub anno 1351; et l. CXII, nn. 66, 67, sub anno 1462. Cf. H. DENZINGER, Enchiridion Symb. etc., n. 609. — 6. Loc. supra cit.

8. — Distinctio. — Pro cuius rei solutione, inopportunum non erit Sanguinem Christi, qui in terra dicitur asservari, secundum triplicem distinctionem considerare.

Alius est qui ad ipsum Christum, dum in terris degeret, pertinuit, ut est ille Sanguis quem fertur S. Maria Magdalena, tempore Passionis, in ampulla collegisse et qui apud S. Maximinum in Gallia asservatur, quique Parasceves die, circa horam transitus Domini, terra mixtus, ebullire saepius visus est[1]. Talis etiam est Sanguis qui instrumentis Passionis Christi, ut puta lanceae et clavis, adhaeret, aut qui ad columnam flagellationis, aut in scalis Praetorii asservari dicitur. De quibus quidem omnibus, res aeque probabilis historice non est; tamen, quod aliquid de pretiosissimo isto Sanguine in terris habeatur, fidei contrarium non est, ut docuit (Pius II) et ut, ante ipsum, Facultas theologica parisiensis declaraverat[2], imo res ista fidelium sensui consentanea dici potest, Christo ita disponente, ad solatium suis praestandum, necnon ad tepescentem fidei fervorem denuo excitandum.)

Alius est Sanguis, qui dicitur ex sanctissima Eucharistia promanasse, uti evenisse ferunt in civitate Lutetia, cum hostia crudeliter a Iudaeo transfossa copiosum cruorem promanavit; necnon in pago Vulsinio, cum sacerdote quodam teutonico missam celebrante et de veritate praesentiae Christi dubitante, Sanguinis guttulae ex hostia fracta prosilierunt, corporale ipsosque altaris lapides madidantes; quo miraculo commotus Urbanus IV corporale in vicinam urbevetanam civitatem adsportari iussit, sanctoque Thomae tunc temporis ibi commoranti, ut officium de Sanctissimo Sacramento componeret mandavit, quo usque in praesentem diem Ecclesia utitur.

Tertio loco habetur ille Sanguis qui aliquando fertur ex imagine Crucifixi profluxisse, ut Beryti evenisse fama est, Iudaeis Crucifixi imaginem confodientibus, e qua copiosus cruor effusus, varia in loca transmissus est, ut refertur in Martyrologio romano, sub die nona Novembris. De simili Sanguine ait S. Thomas[3]: *Sanguis ille, qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conser-*

1. Cf. Billuart, de Incarn. Diss. VII, a. 2. — 2. Vide Fleury H. E., l. CXII, n. 66. — 3. Quaest. LIV, a. 2, ad 3^m^ h. p.

vatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa.

Igitur, quaestio nunc est utrum Sanguis ille sit divinitati coniunctus hypostatice, et qualis honor sit ipsi exhibendus.

9. — Adnotanda. — Ad quod solvendum tria sedulo notanda veniunt.

Primo. Assumptio humanae naturae a Verbo intelligenda est facta modo humanae ipsi naturae congruo; unde non est credendum huiusmodi assumptionem completam et absolutam fuisse, cum in utero Virginis, angelo nuntiante, factus est Deus homo; sed quia naturale erat ut conceptus ille temporis decursu evolveretur et cresceret, usquedum ad perfectam plenitudinem suae mensurae pertingeret, ideo oportuit ut, secundum quod humana Christi natura paulatim crescebat, recentes illius quantum ad corpus accessiones, non quidem novae assumptionis vi, sed virtute assumptionis in Incarnatione factae perdurante, Verbo hypostatice unirentur. Christus enim, quemadmodum sapientia, ita etiam aetate et corporis mole crescebat, *speciosus forma prae filiis hominum*[1]. Quapropter ea omnia dicenda sunt a Verbo assumpta fuisse, quae ad perfectam illius humanae naturae rationem pertinebant.

Secundo. Sanguinem illum quem in passione fuderat, Verbum, ut communiter docent theologi contra Cabreram, in triduo mortis suae non dimisit, *quia iste constituebat humanitatem Christi regnaturam in coelis; neque erat reparandus per nutritionem aut aliam viam, et consequenter erat in seipso recuperandus, venisque ingerendus, adeoque merito mansit unitus*[2].

Tertio. Resurgens autem Christus a morte, illummet numerice Sanguinem, in passione fusum, ad unitatem humanae naturae iterum univit, quantum scilicet necessarium foret ad integritatem corporis sui gloriosi. Sic tamen non fuit necesse totum omnino Sanguinem ab illo resumi; nam fieri utcumque potuit ut nonnullas illius guttulas, utpote quae forsan superfluae essent, tanquam specialis amoris pignus, Christus Ecclesiae suae relinqueret.

1. Ps. XLIV, 3. — 2. Struggl, loc. cit. Cf. Wadding, ad a. d. 1351, n. 13; et S. Thom. huius partis Q. LIV.

10. — **Solutio.** — Igitur α) Sanguinis illius particulae, quae immediate e corpore Christi effluxerunt, probabiliter dicendae non sunt unitae divinitati. *Ita*, ait Struggl[1], *eximius Suarez, Vasquez, Arriaga et alii communiter. Ratio huius est, quia Verbum illas non intendit retinere, aut in posterum reassumere* (*quandoquidem perfectum erat resurgentis Christi corpus*) *; ergo eas dimisit. Unde illud axioma : quod Verbum semel assumpsit nunquam dimisit, est intelligendum de natura humana per se primo assumpta*[2], *et de iis quae pertinent ad eius veritatem et integritatem, non vero de singulis materialibus partibus. Christus igitur primo ad tempus dimisit unionem naturalem inter corpus et animam. Secundo dimisit in perpetuum aliquas partes minimas...* (quae) *non pertinent ad integritatem moralem corporis*[3].

Quantum vero β) ad Sanguinem qui fertur ex hostia consecrata promanasse, dicendum est non esse ibi nisi signum quoddam, sanguine ex alterius materiae substantia miraculose a Deo formato, ad sacramenti veritatem confirmandam, ideoque nullimode divinitati hypostatice unito. Corpus enim Christi in Eucharistia latens nullum modo suae substantiae detrimentum pati utcumque potest. Nec in tali Sanguine dicendus est Christus praesens sacramentaliter; non enim in praesenti oeconomia invenitur Christus sacramentaliter praesens, nisi sub speciebus panis et vini ; ideoque nova derogatione ex parte Dei opus esset, ut Christus inveniretur praesens sub huiusmodi Sanguinis specie, quod inconvenit. Idipsum dicatur de hostia consecrata, sub forma carnis divinitus transmutata, et in praefata civitate urbevetana asservata.

Denique γ) Sanguis qui aliquando ex imagine Crucifixi profluxisse fertur, certe divinitati hypostatice non est unitus : quandoquidem impossibile modo est corpus Christi gloriosum ita laesionem pati, ut aliquid ex vitali sui corporis Sanguine amittat ; aliunde nil novi post resurrectionem Christus hypostatice assumpsit, cum consummatum iam fuerit et perfectum illius humiliationis et passionis, nostrae vero redemptionis et exaltationis, mysterium.

1. Loc. cit. — 2. Aliunde axioma istud non est S. Damasceni, licet sub eius nomine citari solcat, sed habetur tantum apud S. Damasceni scholiasten. Cf. L. Janssens, Tract. de Deo-Homine, pp. 298, 299. — 3. Ibid.

11. — Quaestio. — *Qualis cultus debeatur Christi Sanguini in terris asservato?*

Veneramur autem huiusmodi Sanguinem, sicut etiam Sanguinem qui ex hostia promanavit, adoratione latriae, non quidem ea ratione qua adoramus crucem Christi quae repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea, et quae contactu eius membrorum sanctificata est; nam Sanguis ille nec Christum repraesentat, nec eius personam tetigit; sed ea ratione illum veneramur qua, ex Dei ipsius voluntate, signum est ipsiusmet veri Christi Sanguinis, utique adoratione latriae adorandi. Sanguinis autem reliquiae, quae immediate ex Corpore Christi effluxisse feruntur, adorandae sunt, sicut eius vestis adoratur, quae contactu membrorum eius nobilitata est, non autem sicut illius propria Caro aut proprius Sanguis in Eucharistia; nam, ut dictum est, Sanguis ille non est amplius unitus divinitati[1].

12. — De caeteris corporis humani humoribus. — Quoad caeteros humani corporis humores, opportunissima est Augustini monitio, quaestioni respondentis utrum eos in sua resurrectione Christus resumpserit. — *Fortassis*, inquit[2], *accepta occasione Sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, et dicet: Si Sanguis in corpore Christi resurgentis fuit, cur non et pituita* (id est phlegna), *cur non et fel flavum* (id est cholera), *et fel nigrum* (id est melancholia), *quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinae disciplina testatur? Sed quodlibet quisquis addat, corruptionem addere caveat, ne suae fidei sanitatem*

1. Cf. Quaest. XXV, art. 4, h. p.— Opportunissimam autem reverentiae testificationem erga Domini Nostri Iesu Christi pretiosissimum Sanguinem, simulque validissimum medium aliis per ipsum benefaciendi, exhibet sequentis piae oratiunculae pro animam agentibus saepius iterata devota recitatio: *O clementissime Iesu, amator animarum, obsecro Te, per agoniam Cordis Tui Sanctissimi et per dolores Matris Tuae Immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.* ℣. *Cor Iesu in agonia factum.* ℟. *Miserere morientium.* (Ind. 100 dier. Vide Raccolta, p. 193. Romae 1898). Commendanda etiam est sequens iaculatoria: *Eterno Padre, io Vi offro il Sangue preziosissimo di Gesù Cristo in isconto de miei peccati, e per i bisogni di Santa Chiesa.* Ind. 100 dier. Raccolta, p. 180. — 2. L. ad Consentium de Resurr. carnis. Ep. 146.

castitatemque corrumpat; valet enim divina potentia de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates, ut absit labes (scilicet corruptionis), *adsit effigies; adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas*[1].

Quae cum ita sint, tuto iam decerni poterit illos humores a Verbo fuisse assumptos, qui anima in homine informantur. Huiusmodi autem sunt, praeter sanguinem, humor ille viscosus qui, glutinis instar, ex membranis mucosis gemit, ad motum membrorum expeditum ordinatus, necnon illi humores qui alimentis digerendis subserviunt, cuiusmodi sunt succus gastricus qui ex membranis stomachi, bilis quae ex hepate, necnon succus pancreaticus qui ex glandula pancreatica secretione producuntur; denique semen, ad conservationem speciei ordinatum: haec omnia dicenda sunt a Verbo assumpta, utpote quae anima rationali informata, ad integritatem individui plus minusve pertinent. Alios autem humores, quos natura expellit, et anima non informat, Verbum minime assumpsit. De cibo autem id dicendum est a Verbo assumptum fuisse, quod vasis chyliferis in sanguine introductum, individuo demum assimilatur.

13. — Dentes, capilli, ungues et ossa in Christo Domino. — Has etiam partes Verbum assumpsisse dicendum est, quantum ad integritatem naturae humanae pertinent, siquidem et illae ab anima rationali aliquo modo informantur. — *Capelli et ungues,* ait S. Thomas[2], *nutriuntur et augentur, et sic patet quod aliquam operationem participent, quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectae; et quia in homine non est nisi una anima, scilicet anima rationalis, constat quod ab anima rationali perfectae sunt, quamvis non usque ad hoc quod operationem sensus participent, sicut nec ossa, de quibus constat quod resurgent, et sunt de integritate individui*: cui simile de dentibus tuto decerni potest[3].

1. Vide quae scripsimus : L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. II, c. IV, n. 13. — 2. Supplem. Quaest. LXXX, art. 2, ad 3^m. — 3. Cf. Opus. cit., loco cit., n. 19.

QUAESTIO VI

DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Sapientis cuiusque artificis proprium est, cum in aliquo uno, quod ex pluribus constat, opus quoddam perficere intenderit, illa secundum aliquam rationem, fini intento congruentem, ita disponere, ut unum mediante alio in operis sui complementum adducat : est enim ordo *dispositio et coordinatio plurium, secundum prius et posterius determinata ratione, iuxta intentum ab ordinante finem*[1]. Cum igitur iam in praecedenti quaestione statutum fuerit Verbum omnes et singulas humanae naturae partes assumpsisse, siquidem verus et integer homo extitit, modo relinquitur disputandum de ordine quo ista plurium assumptio fieri debuerit.

2. — Ordo quaestionis. — In qua quaestione ita procedendum erit, ut distinctis partibus tradatur quisnam in assumptione ordo fuerit servandus, primo quantum ad ipsa naturae intrinseca (1-5), et secundo quantum ad aliquid extrinsecum, nempe gratiam (6). Et primum quidem rursus bipartitur, secundum quod praefatus ordo consideratur, comparatis humanae naturae partibus, primo inter se (1-4), et secundo per respectum ad totum (5). Rursus, ordo partium humanae naturae inter se attendendus erit, vel secundum rationem mediationis (1-2), vel secundum rationem prioritatis et posterioritatis (3-4). Secundum ordinem mediationis, ut, comparatione instituta, primo inter animam et carnem, et secundo inter animam et mentem, statuatur tum quod Filius Dei assumpserit carnem mediante anima (1), tum quod assumpserit animam mediante mente (2). Secundum ordi-

1. Cf. Tract. de Deo Uno, Q. 1, art. 1, n. 5.

nem autem prioritatis et posterioritatis, ut excludatur tum quod anima fuerit assumpta prius quam caro (3), tum quod caro ipsa fuerit assumpta prius quam animâ informata (4).



Unde, sex quaeruntur :

Primo. Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

Secundo. Utrum assumpserit animam mediante spiritu sive mente.

Tertio. Utrum anima fuerit prius assumpta a Verbo, quam caro.

Quarto. Utrum caro Christi fuerit prius a Verbo assumpta, quam animae unita.

Quinto. Utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

Sexto. Utrum sit assumpta mediante gratia.

3. — Error. — Inter maioris notae theologos vix unus *Durandus* invenitur, qui negaverit verum ordinem naturae adesse in mysterio Incarnationis relate ad assumptionem, tum partium inter se, tum partium relate ad totum. — Dicendorum autem veluti tessera sit illud S. Augustini[1] : *Invisibilis et incommutabilis veritas, per spiritum animam, et per animam corpus accepit.*

1. L. de Agone christ., c. 18.

ARTICULUS I. — *Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.*

1. — Praenotanda. — De medio congruentiae hic quaeritur, non vero de medio colligantiae, ut esset, verbi gratia, gluten. Cum autem medium dicatur respectu principii et finis, ideo, quemadmodum principium et finis important ordinem, ita et medium ordinem importat. Porro, ordo duplex est : alius est ordo *temporis,* secundum quem ea quae in priori tempore sunt, priora dicuntur, quae autem sunt in posteriori tempore, posteriora vocantur ; alius vero est ordo *naturae,* iuxta quem perfectiora dicuntur priora, et minus perfecta posteriora.

Rursus, ordo naturae inter aliqua potest dupliciter attendi : uno modo, secundum gradum *dignitatis,* sicut dicimus angelos esse medios inter Deum et homines ; alio modo, secundum rationem *causalitatis,* sicut secunda causa dicitur esse media inter primam causam et ultimum effectum. Porro, iste secundus naturae ordo, aliquo modo consequitur primum, sicut dicit auctor libri *de Divinis Nominibus*[1] : *Deus per substantias magis sibi propinquas agit in ea quae sunt magis remota.*

2. — PROP. — **Filius Dei α) non univit sibi carnem mediante anima, secundum quod medium significat ordinem temporis, β) bene tamen secundum quod medium significat ordinem naturae, tum attento dignitatis gradu, tum considerata ratione causalitatis.**

Prob. 1ª pars. — Nam, cum Verbum totam naturam humanam simul sibi univerit, secundum ordinem temporis non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium ; si enim secus esset, caro humana habuisset hypostasim praeexistentem animae et sic B. Virgo non generasset Deum ; sed caro in eodem instanti concepta est, animata et assumpta.

3. — Prob. 2ª pars. — I. **Auctoritate** S. Augustini[2] : *Ipsa magnitudo divinae virtutis animam sibi rationalem, et per eamdem*

1. C. 4. — 2. Ep. 3 ad Volusian.

corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum cooptavit. Pariter, S. Ioannes Damascenus[1] : *Unitum est carni,* ait, *per medium intellectum, Dei Verbum. Tantae enim subtilitatis atque simplicitatis est divina Essentia, ut corpori de limo terrae formato uniri non congrueret, nisi mediante rationali essentia. Illa autem unio inexplicabilis est, adeo ut etiam Ioannes ab utero sanctificatus, id est ab originali mundatus, se non esse dignum fateatur sólvere corrigiam calceamenti Iesu; quia unionis illius modum investigare aliisque explicare non erat sufficiens... Incommutabilis et invisibilis veritas per spiritum, id est per intellectum, animam, et per animam corpus suscipiens, totum hóminem sine sui contaminatione assumpsit, et ab omnibus infirmitatibus liberavit.*

4. — **II. Rat. theol.** — Secundum gradum *dignitatis*, debet dici Filius Dei sibi univisse carnem mediante anima, quia anima media quodammodo invenitur inter Deum et carnem; secundum vero rationem *causalitatis* idipsum praedicari debet, quia, cum caro non sit assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana, ideo anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei.

5. — ***Scholion.** — Ad cuius evidentiam, iuvat tum animam, tum carnem comparare ad assumptionem, praesupposita actione creativa. Et primo quidem, praesupposita actione creativa carnis, non per hoc caro assumptibilis ponitur, sed mediare necesse est actionem animativam carnis, non enim caro habet congruitatem ut assumatur, nisi sit animata et humana, quod non est nisi per actionem animativam. Praesupposita autem actione creativa animae, iam alia actio non expectatur, qua aliquid superaddatur animae per quod fiat assumptibilis, sed statim est assumptibilis : ideoque satis patet inter animam et carnem in assumptione esse ordinem naturae[2].

6. — **Corollarium.** — Ad hanc autem doctrinam spectat differentia quae est inter modum quo creaturae procedunt a Deo, et modum quo ad Deum reducuntur. Nam, quod res causatur a

1. L. III, Orthod. Fid., c. 6. — 2. Cf. Caiet.

Deo, hoc est propter infinitatem divinae virtutis, propter quam etiam in essendo et in conservando ab ipso dependet, sicut a principio sui esse, et secundum hoc Deus attingit quamlibet rem, immediate causando esse eius et conservando : unde Deus est in omnibus rebus immediate et intime, per praesentiam, potentiam et essentiam. In Deum vero, sicut in finem, res aliquae reducuntur mediantibus aliis : unde in reditu creaturarum ad Deum, invenitur medium inter Deum et creaturam, quia inferiores creaturae reducuntur in Deum per superiores[1]. Porro ad hunc ordinem pertinet assumptio humanae naturae a Verbo Dei, cuius hypostasi illa natura terminatur ; et ideo Verbum per animam unitur carni[2]. Accedit quod Deus est necessario in omnibus rebus per essentiam, praesentiam et potentiam, in homine Christo autem Deus est libere secundum unionem hypostaticam : ideoque nequit ibi quidem esse ratio cur Deus uni rei mediante altera uniatur ; hic autem bene adsignatur potior pars tanquam ratio cur Deus inferiori parti uniatur.

7. — *Difficultas. — Illud quod ad hypostasim hominis pertinet, non est ipsi unitum mediante aliquo. Atqui corpus pertinet ad hypostasim hominis Christi. Ergo non est unitum homini Christo mediante aliquo. — *Minor* probatur : quia, comparatione instituta inter animam et corpus, hoc magis de propinquo videtur se habere ad hypostasim quam illa, quia principium individuationis, quae in ratione hypostasis importatur, est a materia.

Resp. *Dist. mai.* Quod pertinet ad hypostasim hominis, constituti simpliciter per naturam humanam, *conc.;* ad hypostasim, quae est prior et altior quam natura humana, *nego. Dist. min.* Ad hypostasim constitutam simpliciter per naturam humanam, *nego;* ad hypostasim quae est prior et altior, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Pensanda sunt verba, quibus S. Doctor huic respondet difficultati. *Si hypostasis Verbi Dei,* ait, *constitueretur simpliciter per naturam humanam, sequeretur quod corpus esset ei vicinius, cum sit materia, quae est individuationis principium, sicut et anima, quae est forma specifica, propinquius se habet ad naturam humanam : sed quia hypostasis Verbi est prior et altior quam humana natura,*

1. Sic homo reducitur in Deum per angelum. — 2. Ad 1^m.

tanto id, quod est in humana natura, propinquius ad eam se habet, quanto est altius, et ideo propinquior est Verbo Dei anima quam corpus[1].

Ubi advertendum est, huic, quod dicit S. Thomas, nempe generaliter corpus esse vicinius personae, animam autem naturae, non obstare quod anima intellectiva, cum sit res subsistens, secum defert subsistentiam quam supposito communicat, unde propinquior videretur esse personae quam corpus. Nam, ut advertit Caietanus[2], anima intellectiva in suo fieri quodammodo mendicat singularitatem a corpore, nec subsistentiam sibi propriam secum actu defert ut *quod* subsistit, sed tantum ut *quo*. Igitur anima rationalis, quia rationalis est, vicinius quidem se habet ad hypostasim quam aliae animae, cum illa secum deferat ex proprio ordine subsistentiam; sed quia hanc non secum defert nisi ut *quo*, ideo non est propinquior personae quam corpus, quod et animam et eius actum essendi individuat.

8. — ***Corollarium**. — Ex hisce sequitur animam mediare in carnis assumptione, α) secundum *aptitudinem:* anima enim reddit carnem aptam ad hoc ut assumatur, illam faciendo animatam et humanam; β) secundum *congruitatem:* nam haec aptitudo non est ita necessaria, ut sine illa Deus nequiverit carnem assumere; γ) *in fieri*, non vero in facto esse: nam in triduo mortis Christi caro non cessavit esse caro Verbi, licet non amplius esset animata aut humana, aut etiam caro, nisi aequivoce. Quapropter, aliquid potest quidem esse medium unionis duorum inter se, quo remoto, separantur ea quae per medium coniunguntur, sicut si tollatur superficies, quae est medium quo color inest corpori, cessat etiam color a corpore; aliquid vero potest esse causa unionis duorum quantum ad aptitudinem et congruitatem in fieri, quo tamen remoto, unio adhuc perseverat: etsi enim fieri illius unionis ab illo medio dependet, tamen unio in facto esse ab eo amplius non dependet. Sic interdum duorum amicitia in fieri causatur mediante tertio, quo tamen recedente, quia iste tertius non est medium in amicitia nisi in fieri tantum, illorum amicitia adhuc perdurat; et similiter si quis in matrimonium

1. Ad 2[m]. — 2. Hoc loco.

accipit aliquam mulierem propter eius pulchritudinem aut divitias, hisce tamen recedentibus, non dissolvitur copula coniugalis : accipit enim mulierem pulchram aut divitem secundum seipsam mulierem, licet eam non acciperet, nisi in initio dum eam accipit pulchra esset aut dives : et sic in triduo mortis Christi, Verbum, recedente a corpore anima, quae medium in assumptione est tantum in fieri et secundum intentionem, corpus ipsum unione sua nobilitare non desiit[1].

ARTICULUS II. — *Utrum Dei Filius assumpserit animam mediante spiritu sive mente.*

1. — Sensus quaestionis. — Spiritus sive mens, hic sumitur pro superiori animae potentia, sive pro intellectu; anima autem non accipitur pro essentia animae, sed pro potentiis inferioribus[2]. Nam, si anima hic sumeretur pro essentia animae, cum ista sit omnibus potentiis communis, dicere quod Filius Dei assumpsit animam mediante intellectu, esset idem ac dicere quod assumpsit prius mediante posteriori, essentia enim animae est prior naturaliter quam eius potentia quaecumque, etiam mens. Igitur, sensus quaestionis est utrum intellectus, ordine naturae, non temporis, fuerit Filio Dei medium ad assumendas inferiores animae partes, quae sane ab intellectu distinguuntur, quemadmodum potentiae inter se distingui solent. — Quod sedulo advertatur, ne aequivocatio fiat circa S. Doctoris verba [3] : *Etsi intellectus non sit aliud ab anima secundum essentiam:* quorum verborum sensus non est quod anima, secundum essentiam, identificetur cum suis potentiis, cum contrarium omnino explicite docetur in prima parte [4] : sed sensus est quod anima, secundum totam essentiam, adest intellectui, eo modo quo totum potestativum adest, secundum essentiam, non secundum virtutem, singulis suis partibus [5].

2. — PROP. — Filius Dei assumpsit animam mediante spiritu sive mente.

Prob. I. Auctoritate sancti Augustini[6] : *Invisibilis et incom-*

1. Ad 3^m. — 2. Ad 3^m. — 3. Ad 1^m. — 4. Quaest. LXXVII, a. 1. — 5. Cf. Ibid., ad 1^m. — 6. L. de Agone christ., c. 8.

mutabilis veritas, per spiritum, animam, et per animam, corpus accipit.

3. — **II. Rat. theol.** — Quod facit congruitatem assumptibilitatis in anima, et dignius existit inter omnes animae partes, est id quo mediante assumpta est anima a Filio Dei : nam ordo naturae qui in assumptione attenditur, importat quod id quod dignius praeceteris existit, et quod facit congruitatem assumptibilitatis, sit illudmet quo mediante aliud assumatur. Atqui intellectus et dignior inter caeteras animae partes existit et assumptibilitatis congruentiam facit. Ergo est id quo mediante assumpta est anima a Filio Dei.

Revera, intellectus, inter caeteras animae partes, est superior et Deo similior; facit quoque congruentiam assumptibilitatis in anima, cum haec non sit congruenter assumptibilis, nisi secundum quod est Dei capax, ad eius imaginem existens : hoc autem est secundum mentem, quae spiritus dicitur, iuxta illud [1] : *Renovamini spiritu mentis vestrae.* Unde Damascenus ait [2] : *Unitum est carni per medium intellectum Verbum Dei :* siquidem intellectus est quid animae purissimum; quinimmo, si ita loqui fas sit, Deus ipse est intellectus.

4. — **Difficultas.** — Id, quo mediante, facta est assumptio, est magis assumptibile : propter quod enim unumquodque tale, ei illud magis. Atqui intellectus non est magis assumptibilis quam anima : siquidem puri spiritus, quales sunt angeli, non sunt assumptibiles, ut dictum est. Ergo anima non fuit a Verbo assumpta mediante intellectu.

Resp. *Conc. mai. Nego min. ;* et ad eius probationem dico quod spiritui angelico deest congruitas ad assumptionem, non propter dignitatis defectum, sed propter casus irreparabilitatem, quod de spiritu humano dici non potest [3].

5. — **Scholion.** — Igitur, sicut pars essentialis hominis, id est anima, causat congruentiam asssumptionis relate ad aliam partem essentialem, ita et pars potentialis relate ad alias partes potentiales : ubi aequalitas in causando secundum congruentiam ser-

1. Eph. IV, 23. — 2. L. III Orth. fid. c. 6. — 3. Ad 2^m. Cf. supra, Quaest. IV. a. 1.

valur, licet non servetur aequalitas in causando secundum respectum unius partis ad alteram : nam anima est formaliter constitutiva corporis : principium vero intellectivum non est constitutivum principii sensitivi, sed tanquam forma superioris ordinis, illud virtualiter comprehendit, sicut tetragonum comprehendit trigonum[1].

ARTICULUS III. — *Utrum anima a Dei Filio prius fuerit assumpta quam caro.*

1. — Ratio articuli. — Cum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima, suspicari quis posset quod prius assumpserit animam quam corpus : prius enim pervenitur ad medium quam ad terminum ; quanquam ex hoc capite, si quis bene consideret, non licet alicui concludere nisi quod anima fuerit prius assumpta quam corpus secundum ordinem naturae, non autem secundum ordinem temporis : unde solus ordo temporis est in hoc articulo examinandus et reiiciendus, potissime adversus Origenem, qui, ut refert Nicephorus Callistus [2], contra hoc dogma offendisse perhibetur, eo quod posuerit omnes animas, non exclusa ipsa Christi anima, fuisse a principio creatas, scilicet antequam infunderentur corporibus ; licet indeterminatum reliquerit, utrum anima Christi tunc fuerit assumpta necne.

2. — PROP. — Anima non fuit a Filio Dei prius assumpta quam caro.

Haec propositio, quae de fide est, ita traditur a Synodo CP VI[3] : *Incarnatur Verbum Deus, non praefatae carni copulatus, aut antea formato atque in sese subsistenti corpori aliquando conlinitus, vel animae praeexistenti coniunctus.* Pariter, S. Leo I[4] : *Arbitror talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima quam Salvator assumpsit, prius in coelo sit commorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. Sed hoc catholicae mentes auresque non tolerant ; quia*

1. Cf. Caiet. — 2. L. XVII, c. 28. Cf. quae scripsimus, DELL' ANIMA UMANA SEPARATA, etc., p. 50. — 3. Act. 11. — 4. Ep. XI ad Iul. Ep. Coens.

nihil secum Dominus de coelo veniens nostrae conditionis exhibuit, nec animam nostram, quae anterior extitisset, nec carnem quae non materni corporis esset, accepit. Et S. Damascenus [1]: *Non, ut quidam mentiuntur, ante eam quae est ex Virgine Incarnationem, intellectus est unitus Deo Verbo, et ex tunc vocatus est Christus.*

3. — Prob. Ratione theol. — Duplici modo posset fingi animam Christi praeextitisse carni, ab initio conditam : *primo* quod tunc fuerit creata, at non statim a Verbo assumpta; *secundo* quod statim tunc fuerit a Verbo assumpta, et postmodum in utero Virginis incarnata. Atqui neutrum potest admitti.— Non *primum*, quia sequeretur quod anima illa aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo, et ita, cum fuisset a Verbo assumpta, vel unio non fuisset facta secundum subsistentiam, quod nestorianum est, vel subsistentia animae praeexistens fuisset corrupta, quod prorsus inconvenit. Non *secundum*, quia sic anima Christi non videretur esse eiusdem naturae cum animabus nostris, quae simul creantur dum corporibus infunduntur. Revera, tam diversus modus productionis nonnisi ex diversitate naturali procedit: modus enim fiendi est iuxta modum essendi; unde ait S. Leo Papa [2]: *Non alterius naturae erat caro eius quam nostra: nec alio illi, quam caeteris hominibus anima est principio inspirata.*

4. — Difficultas. — Anima Christi est dignior angelis, cum et ipsi angeli debent ei honorem praestare, iuxta illud[3]: *Adorate eum omnes angeli eius*. Atqui angeli sunt a principio creati. Ergo et anima Christi, quae proinde statim fuit assumpta, cum nunquam propriam hypostasim habuerit, iuxta illud Damasceni [4]: *Nunquam neque anima, neque corpus Christi propriam habuerunt hypostasim praeter Verbi hypostasim.*

Resp. *Dist. mai.*, sublimitate virtutis, *conc.;* dignitate generis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Anima Christi excellit tum animas nostras, tum etiam substantias spirituales separatas sublimitate virtutis, id est plenitudine gratiae et veritatis; sed est

1. L. IV, Orthod. fid., c. 6. — 2. Ep. XI, ad Iul. — 3. Ps. XCVI, 7. — 4. L. III, Orthod. fid., cap. 2.

eiusdem generis cum nostris animabus, et consequenter, naturâe ordine, inferior dignitate spiritualibus substantiis, unde dicitur[1] : *Qui modico quam angeli minoratus est, videmus Iesum*, etc. Ergo modus creationis animae Christi debet ipsi respondere secundum proprietatem sui generis, ex quo habet, cum sit corporis forma, ut creetur simul dum corpori infunditur et unitur, qui modus angelis non competit, qui sunt substantiae omnino a corporibus absolutae[2].

5. — Quaestio. — *Quomodo potuerunt homines ante Christum existentes salutem per ipsum consequi, cum causa debeat esse causato prior ?*

Resp. De fide est praedestinatos omnes, quocumque tempore existentes, etiam ab initio mundi, salutem fuisse consecutos per Christum, dicente Ioanne[3] : *Vidimus* (eum)... *plenum gratiae et veritatis.... de plenitudine eius nos omnes accepimus.* At participatio ista, quam homines a Christo accipiunt, est secundum *fidem* quam habent in ipsum, iuxta illud[4] : *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.* Porro fides non modo est argumentum rerum non apparentium quae iam fuerunt, sed etiam est argumentum eorum quae ventura sunt, cum describatur[5] : *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; ideoque, sicut nos in Christum credimus ut in iam natum, ita antiqui crediderunt in ipsum, ut in nascituruum ; unde ait Paulus[6] : *Habentes autem eundem spiritum fidei,... et nos credimus.* Iamvero, fides quae est in Christum, virtutem iustificandi obtinet ex proposito gratiae Dei[7] : *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam, secundum propositum gratiae Dei.* Atqui propositum gratiae Dei est aeternum, sicut Deus ipse : ergo potuit homo iustificari, licet utique non tam perfecte, per fidem Iesu Christi, antequam illius anima esset plena gratiae et veritatis, id est antequam iam existeret actu[8].

Cui rei advertens Aligherius, tum Rhiphaei tum Traiani paga-

1. Hebr. II, 9. — 2. Ad 2^m. — 3. C. I. 14, 16. — 4. Rom. III, 22. — 5. Hebr., XI, 1. — 6. 2 Cor., IV, 13. — 7. Rom., IV, 5. — 8. Ad 3^m. Cf. quae diximus supra, Quaest. I, art. 6, n. 8.

norum, quos illius temporis traditio beatitudinem assecutos fuisse ferebat, salutis rationem ita reddit [1]:

Dei corpi suoi non uscir, come credi,
Gentili, ma cristiani in ferma fede
Quel dei passuri, e quel dei passi piedi[2].

ARTICULUS IV.— *Utrum caro Christi fuerit prius a Verbo assumpta quam animae unita.*

1. — Ratio dubitandi. — Dubitandi ratio ex hoc oritur, quod in hominis generatione, prius caro concipitur, quam animae rationali uniatur, cum materiae dispositio prior sit in via generationis quam forma completiva. Aliunde, nunquam fuit caro Christi, quin Verbum subsisteret in ea, aiente S. Fulgentio [3]: *Firmissime tene et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo.* Unde videretur sequi quod caro Christi prius fuerit a Verbo assumpta, quam animae rationali unita [4]. Sed contra sit

2. — PROP. — Caro Christi non fuit prius assumpta quam fuerit animae rationali unita.

Prob. I. Auctoritate. — Concilium CP V, uti refert Nicephorus Callistus[5], haec habet: *Si quis dicit aut sentit prius formatum esse corpus Domini Nostri Iesu Christi in utero Virginis sanctae, et deinceps unitum ei esse Deum Verbum atque animam, ut quae prius extiterit, A. S.* Pariter, S. Ioannes Damascenus[6]: *Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata anima rationali et intellectuali,* ἅμα σάρξ, ἅμα θεοῦ Λόγου σάρξ, ἅμα σὰρξ ἔμψυχος, λογική τε, καὶ νοερά.

3. — II. Ratione theol. — Caro humana non est assumptibilis a Verbo, nisi secundum ordinem quem habet ad animam ra-

1. PARAD. Cant. XX, vers. 103, seqq. — 2. Cavendum est ne dicatur futuris nostris meritis aliquid nos impetrare posse sive nobis, sive aliis: solius enim Christi, utpote capitis, merita praevisa Deum moverunt ad aliquid concedendum. Cf. Tract. DE GRATIA, Quaest. CXIV, a. 5. — 3. L. de Fide ad Pet., c. 18. — 4. Ad 1^m. — 5. L. XVII, c. 28. — 6. L. III, Orth. fid., c. 2.

tionalem, sicut ad propriam formam : non modo enim caro non fuit assumpta nisi mediante anima, sed etiam anima ipsa non fuit assumpta, nisi mediante intellectu ; ideoque caro non fuit assumpta nisi mediante anima intellectiva, et sic, nisi secundum ordinem quem habet ad animam rationalem. Atqui caro ordinem non habet ad animam rationalem antequam anima rationalis ei adveniat : nam aliqua materia non fit propria alicuius formae in facto esse, nisi quando illam formam actu recipit, licet utique, in fieri, materia fiat propria formae immediate ante instans introductionis formae[1].

4. — ***Confirmatur** ex eo quod in eodem instanti, in quo introducitur forma substantialis, alteratio terminatur. Ergo antequam adveniret anima rationalis, non fuit caro humana : igitur inassumptibilis fuit, et proinde non fuit assumptibilis antequam uniretur animae rationali.

Quocirca, sicut anima non est prius assumpta, quam caro, quia contra naturam animae est ut prius sit, quam corpori uniatur, ita nec caro fuit assumpta priusquam informaretur anima rationali, quia non est caro humana, priusquam habeat animam rationalem.

5. — **Scholion.** — Haec igitur est differentia inter generationem Christi, et generationem aliorum hominum, quod in conceptione puri hominis, prior est materia paulatim perficienda et transmutanda, antequam fiat materia propria animae rationalis ; in conceptione autem Christi, Spiritus Sanctus, qui est agens infinitae virtutis, materiam simul disposuit et ad perfectum perduxit[2].

Exinde tamen nequit concludi quod diversitas ista in generatione Christi fecerit diversitatem in natura illius. Nam diversitas quidem haberetur in natura, si anima rationalis praeexistisset in Christo, ut dictum est articulo praecedenti ; ex eo autem quod caro in nobis praeexistit informationi, et non in Christo, diversitas in natura non adest. — Ad cuius evidentiam recolendum est quod forma est illa quae actu dat speciem ; materia vero quantum est de se, est in potentia ad speciem ; unde contra rationem formae est quod

1. Cf. Cajet. — 2. Ad 1^m. Cf. L'Opera dei sei giorni, P. II, p. 222.

praeexistat naturae specici, quae perficitur per unionem formae ad materiam; non est autem contra rationem materiae quod praeexistat naturae specici. Unde dissimilitudo, quae invenitur inter originem nostram et originem Christi, in eo scilicet quod caro nostra prius concipitur quam animetur anima rationali, non autem caro Christi, est secundum illud quod praecedit naturae complementum, non autem secundum naturam specici. Talis etiam est alia differentia, secundum quam caeteri homines concipiuntur ex semine viri, non autem Christus; talis, inquam, differentia non est secundum naturam, sed secundum id quod praecedit naturae complementum[1] carni uniretur.

6. — **Difficultas.** — Causa prima prius unitur causato quam causa secunda[2]. Atqui Verbum comparatur ad animam Christi, sicut causa prima ad causam secundam. Ergo Verbum prius unitum est carni quam anima rationalis carni uniretur.

Resp. *Dist. mai.* Secundum modum communem quo causa prima est in omnibus rebus, *subd.* prioritate temporis, *nego;* prioritate naturae, *conc.;* secundum unionem personalem, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Si consideretur modus communis quo Deus est in omnibus rebus, scilicet, per essentiam, praesentiam et potentiam, utique conceditur causam primam prius influere in causatum et prius uniri ei quam causam secundam, dummodo tamen intelligatur prioritas naturae, non temporis: et sic prius natura intelligi debet caro esse quoddam ens, quod habet a Deo cui immediate unitur, quam intelligatur actu informata ab anima, licet ibi prioritas temporis non habeatur. At vero, si consideretur unio personalis, quia caro praecise ex unione ad animam habet quod sit unibilis Verbo in persona, praesertim cum non possit inveniri persona, nisi in rationali natura, et rationalis natura non habeatur nisi per animam, ideo secundum ordinem unionis hypostaticae, prius secundum intellectum oportet quod caro uniatur animae quam Verbo[3].— *Ad rem pulchre Caietanus[4]: *Distingue et ordina, novitie, unam et eamdem carnem secundum diversa praedicata substantialia, praeponendo magis commune minus*

1. Ad 2^m. — 2. L. de Causis, inter Opp. Arist. prop. 1. — 3. Ad 3^m. — 4. Hoc loco.

communi, verbi gratia, secundum quod est corpus, secundum quod est animatum, etc., et perspicies quod caro prius natura attingitur a Verbo effective per essentiam, potentiam et praesentiam, quam terminative per unionem personalem, quia prius natura est quoddam ens, puta corpus, quam animata. Sed prius natura est animata quam unita Verbo personaliter: tum, quia constituitur in esse assumptibili per esse animatum, tum quia caro constituitur in natura rationali per esse animatum anima rationali. Constat autem quod non est assumptibilis, nisi ut pars naturae rationalis, non solum ex parte sui, sed etiam ex parte personae quae significat non quamlibet hypostasim, sed hypostasim naturae rationalis.

ARTICULUS V. — *Utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.*

1. — Praenotanda. — Sicut in duobus prioribus huius quaestionis articulis non agebatur de ordine temporis, ita nec in praesenti articulo, cum simul anima et corpus sint ad invicem unita ad constituendam naturam humanam in Verbo, simulque potentiae ab anima, tanquam a principio, naturaliter effluxerint: ideoque simul dicenda est facta assumptio totius et omnium partium. Igitur sermo est de ordine naturae, iuxta quem per id quod est prius in natura, assumitur id quod est posterius.

Iamvero, aliquid est prius in natura dupliciter: *uno modo*, ex parte agentis; *alio modo*, ex parte materiae: quandoquidem hae duae causae praeexistunt rei.

At, iterum aliquid potest esse prius ex parte *agentis*, dupliciter: scilicet simpliciter et secundum quid. Aliquid est prius ex parte agentis *simpliciter*, quod primo cadit in eius apprehensione, et dicitur prius in ordine *intentionis*; aliquid vero est prius ex parte agentis *secundum quid*, a quo eius operatio procedit, et dicitur prius in ordine *executionis*; et huius differentiae ratio est, quia intentio est simpliciter prior operatione.

Ex parte vero *materiae*, illud est prius ordine naturae, quod prius existit in transmutatione materiae, sicut in hominis gene-

ratione prius est semen ordine naturae secundum materiam, cum prius existat in humana generatione. Porro, in Incarnatione, non ordo naturae qui est ex parte materiae, sed ordo naturae qui est parte agentis maxime attendendus est, quia in rebus mirabiliter factis, qualis profecto est Incarnationis opus, tota ratio facti est potentia facientis, ut ait Augustinus[1].

2. — PROP. I. — **Secundum ordinem intentionis, Verbum Dei assumpsit partes humanae naturae mediante toto.**

Hanc veritatem ita exprimit S. Damascenus[2]: *In Domino Nostro Iesu Christo non partes partium intuemur, sed quae proxime componuntur, id est, deitatem et humanitatem*. Humanitas ergo, quam primo intuemur in Christo una cum divinitate, est aliquod totum compositum ex partibus, scilicet ex corpore et anima, ideoque Filius Dei partes humanitatis assumpsit mediante ipsa humanitate, tanquam mediante aliquo toto.

3. — **Rat. theol.** — Secundum intentionem facientis, simpliciter prius est completum quam incompletum, ideoque prius est totum quam partes. Ergo, agendo de prioritate simpliciter se tenente ex parte agentis, in via intentionis, Filius Dei assumpsit totam naturam humanam, et ea mediante, partes illius.

4. — ***Scholion.** — Ad cuius rei evidentiam considerandum est quod, si terminus assumptionis humanae naturae ad personam divinam esset unio partium humanae naturae inter se, utique sequeretur quod humana natura non esset assumpta nisi mediantibus partibus, unio enim naturae resultat ex coniunctione partium; sed quia terminus assumptionis humanae naturae ad divinam personam est unio naturae humanae ad personam divinam, seu unio personalis, ideo non sequitur quod humana natura sit assumpta mediantibus partibus, nisi secundum quod medium dicit ordinem in operatione, ut mox dicetur: partes enim praeintelliguntur unioni, et consequenter assumptioni[3].

1. Ep. 3 ad Volusian. — Recolendum est quod diximus, in natura humana non esse hanc aptitudinem, ut uniatur Verbo in persona. — 2. L. III, Orthod. fid., c. 16. — 3. Ad 3^m.

5. — PROP. II. — Secundum ordinem executionis, assumptio partium humanae naturae fuit prior, ordine naturae, quam assumptio totius.

Prob. Filius Dei assumpsit humanam naturam per spiritum, per animam et per corpus, iuxta illud S. Augustini[1] : *Invisibilis et incommutabilis veritas per spiritum animam, et per animam corpus, et sic totum hominem assumpsit.* Atqui spiritus, anima et corpus sunt partes totius hominis. Ergo Filius Dei assumpsit humanam naturam mediantibus partibus, non quidem in via intentionis, et simpliciter, sed in via executionis, et sic secundum quid[2].

6. — *Confirmatur. — Quia ordo resolutionis est manifestativus ordinis compositionis, ideo quod primum invenitur in resolutione, ultimum fuit in compositione. Atqui in morte Christi, in qua assumptio quasi resolvi incoepit, natura ipsa ab assumptione desiit, partibus naturae assumptae remanentibus assumptis. Ergo in assumptione ordo executionis inchoatus est a partibus, ita quod veluti primum in compositione assumptionis fuerit assumptio partium ; et sic *secundum executionis ordinem, prius naturâ terminata est assumptio ad partes simul, hoc est animam et corpus, ut terminos partiales, quam ad totum, ad quod primo, ut primo intentum, ultimo terminata est*[3].

7. — Difficultas. — Filius Dei simpliciter ordine naturae, assumpsit id quod est minus simplex mediante eo quod est simplicius : nam, verbi gratia, assumpsit carnem mediante anima, quia anima est simplicior, et sic Deo similior quam corpus[4]. Atqui partes sunt simpliciores quam totum quod ex partibus componitur. Ergo simpliciter ordine naturae Filius Dei assumpsit totam naturam humanam mediantibus illius partibus.

Resp. *Dist. mai.* Mediante eo quod est simplicius, simplicitate imperfectionis, *nego ;* simplicitate perfectionis, *conc. Dist. min.* Partes sunt simpliciores toto, simplicitate imperfectionis, *conc. ;* simplicitate perfectionis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Deus non solum est simplicissimus, sed est etiam perfectissimus ; ideoque, ut aliquid sit simile Deo, non satis est ut sit simplex, sed necesse

1. L. de Agone christ., c. 18. — 2. Ad 1^m. — 3. Cajet. — 4. Art. 1.

quoque est ut sit perfectum : et sic, quia totum est perfectius quam partes, ideo totum est etiam magis simile Deo, et sic magis assumptibile[1].

ARTICULUS VI. — *Utrum humana natura sit assumpta mediante gratia.*

1. — Ratio articuli. — Posset prima fronte inutilis videri praesens quaestio, cum supra[2] iam determinatum fuerit quod unio duarum naturarum in Christo, quae est ipsummet gratuitum Dei donum, seu gratia, non sit facta per gratiam, si sumatur pro gratia habituali, sed tantummodo si sumatur pro ipsa bona Dei voluntate gratis aliquid faciente. At ista tunc determinata sunt in quantum exigebat investigatio de modo unionis secundum se inspectae : ideoque non superflue hic eadem replicantur, ubi de eo quod congruitatem ad assumptionem fecerit in natura assumpta ex professo pertractatur. Planum est autem humanam naturam assumptam fuisse mediante gratia, sumpta gratia pro bona Dei voluntate qua Deus aliquid gratis facit vel dat, seu effective et extrinsece ; unde dubitatio versatur circa gratiam intrinsece acceptam, et quidem, aut terminative, aut formaliter, sive aut pro gratia unionis, aut pro gratia habituali.

Invenitur hic S. Thomas seipso doctior, cum retractaverit opinionem qua posuerat gratiam habitualem esse medium congruentiae in assumptione humanae naturae[3] : quod tamen hic reiicit, tenens omnia gratiae fluenta in Christo, ordine naturae, secuta fuisse unionem Verbi cum humana natura. Itaque sit

2. — PROP. — **Neque α) gratia unionis, neque β) gratia habitualis possunt intelligi ut medium in assumptione naturae humanae.**

I. De gratia unionis facilis omnino res videtur : siquidem id quod est terminus assumptionis nequit esse illudmet, quo mediante natura humana est assumpta. Atqui gratia unionis est terminus

1. Ad 2[m]. — 2. Quaest. II, art. 10. — 3. 3, Dist. II, q. 2, a. 2, q. 1.

assumptionis: est enim ipsum esse personale, quod gratis divinitus datur naturae humanae in persona Verbi. Ergo gratia unionis nequit intelligi ut medium in assumptione humanae naturae ad personam Verbi.

3. — **I. De gratia habituali** idipsum constat, primo, *ex auctoritate* Eugenii IV in Conc. Florentino[1]: *Sacrosancta Ecclesia... anathematizat Theodorum Mopsuestenum atque Nestorium, asserentes humanitatem Dei Filio unitam esse per gratiam, et ob id duas esse in Christo personas.*

Secundo *ratione theologica*. Effectus consequens unionem non potest esse id, quo mediante, facta est assumptio. Atqui gratia habitualis est effectus consequens unionem: nam S. Ioannes ait[2]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*; quibus verbis datur intelligi quod ex hoc ipso quod ille homo est Unigenitus a Patre, quod quidem per unionem hypostaticam habet, accepit plenitudinem gratiae et veritatis, ut melius patebit quaestione sequenti.

4. — ***Confirmatur** — **I.** Unio verbi ad humanam naturam non est facta secundum accidens, sed secundum subsistentiam. Atqui gratia habitualis est quoddam accidens animae. Ergo unio Verbi ad humanam naturam non est facta secundum gratiam habitualem.

II. Haec est differentia inter unionem nostram cum Deo et unionem humanae naturae ad Verbum, quod nostra ad Deum unio est per operationem, in quantum cognoscimus et amamus Deum; sed operatio perfecta procedit ab habitu, ideoque necesse est ut talis unio fiat per gratiam habitualem, quae est habitus hominem radicaliter ordinans ad operandum divina. Sed unio humanae naturae ad Verbum est secundum esse personale: esse autem non ab aliquo habitu procedit, sed immediate ab ipsa natura dependet[3]. Ergo non est facta mediante aliquo habitu.

5. — **Tacita obiectio.** — Gratia est vita animae, sicut anima ipsa est vita corporis. Atqui corpus congruum redditur ad assumptionem per animam. Ergo et anima per gratiam.

1. Const. super unione Iacobit. DENZINGER, n. 601. — 2. C. I, 14. — 3. Ad 1^m.

Resp. Paritas adducta non valet nisi secundum quid, ideoque nequit urgeri ad concludendum intentum. Revera, gratia est tantummodo perfectio accidentalis animae, dum anima est perfectio substantialis corporis: unde anima potest ordinare corpus ad unionem personalem cum Verbo, non autem gratia ita potest ordinare animam[1].

6. — ***Quaestio.** — *Quisnam sit sensus verborum S. Augustini, cum dicit quod Verbum incarnatum est sicut verbum nostrum in voce*[2] ?

Resp. Sensus est quod sicut verbum nostrum unitur voci mediante spiritu, tanquam per medium movens, non autem tanquam per medium formale, ita et Verbum Dei unitur carni mediante Spiritu Sancto, non tanquam per mediam causam formalem, sed tanquam per medium movens. Revera, sicut ex verbo interius concepto procedit spiritus, ex quo formatur vox, ita ex Verbo aeterno procedit Spiritus Sanctus, qui formavit corpus Christi. Ex quo apparet quare non liceat concludere quod gratia quae Spiritui Sancto attribuitur, secundum illud[3]: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus*, sit formale medium in unione Verbi ad humanam naturam[4].

7. — **Corollarium.** — Quocirca congruit ut dicatur Spiritus Sanctus principium activum in conceptione Christi, non quidem per proprietatem, indivisa sunt enim opera Trinitatis ad extra, sicut indivisa est Trinitatis essentia, sed per appropriationem. Congruit, inquam, ut istud opus Spiritui Sancto tribuatur, tum ex parte Dei, quia est opus maximae dilectionis, tum etiam ex parte termini, ut scilicet homo ille esset sanctus, id est plenus gratiae; unde dicitur[5]: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Porro, umbra formatur a lumine et corpore; ideoque recte dicitur *obumbrabit*, cum corpus humanitatis acceperit lumen divinitatis. Et quemadmodum virtus animae quae est in semine, per spiritum qui est in semine, format corpus hominis secundum legem generationis, ita et virtus Dei, per Spiritum Sanctum, corpus formavit, quod Verbum assumpsit[6].

1. Ad 2^m. — 2. L. XV de Trin., c. 15. — 3. 1, Cor. XII, 4. — 4. Ad 3^m. — 5. Luc., I, 35. — 6. Quaest. XXXII, h. p., art. 1, ad 1^m.

QUAESTIO VII

DE GRATIA CHRISTI, PROUT EST QUIDAM SINGULARIS HOMO

Prologus

1. — Ratio huius partis. — Post exactam doctrinam de eis quae sunt a Verbo Dei assumpta, sequitur ut, iuxta ordinem superius praestabilitum[1], de coassumptis a Filio Dei in humana natura agatur, et primo quidem de his quae ad perfectionem pertinent, scilicet de gratia, de scientia et de potentia Christi, (VII-XIII), postea autem de defectibus illius (XIV-XV). Coassumpta vero ista dicuntur, non quasi novo assumptionis actu ea sibi Verbum univerit, sed quia, accidentium more, substantiae convenientia, intra cancellos perfectae Christi humanitatis succreverint, ipsomet divinae personalitatis amplexu comprehensa.

Quanti autem sit praesens disputatio facienda, non opus est ut declaretur. Equidem vix invenire est qui iamdudum damnatas Nestorii aut Eutychetis haereses expressis verbis profiteatur; at multi sunt, non solum inter protestantes, sed etiam inter eos qui catholicos se haberi volunt, quibus visum est, Christi divinitate obfuscata, aliquid eorum quae ad eius humanitatem spectant, esse detrahendum, sive in vitae sanctitate, sive in scientia, sive etiam in potentia[2]: quo factum est ut altissima illa de Christo existimatio, quam veneranda Ecclesiae traditio, tanquam pretiosissimam haereditatem nobis legavit, valde obtenebrata manserit. Quocirca huic doctrinae, qua Ecclesiae sensus exprimitur, specialiter insistendum est, ut altissima Christi Domini, ut homo est, perfectio vindicetur.

1. Quaest. IV, n. 1. — 2. Inter modernos scriptores, quibus censura ista applicatur, notandus est Hermannus Schell, *Katholisthe Dogmatik*, in sechs Büchern, passim, opus reprobatum, 15 dec. 1898; necnon novissime Alfredus Loisy, *L'Évangile et l'Église*, Paris, 1902.

2. — Christi, secundum humanam naturam, prophetica descriptio. — Porro, cum ex tradendis in hac parte, potissime colligendum sit quanta fuerit Filii Dei in assumpta humanitate pulchritudo, et quam singularis decor, quem quidem defectuum praesentia non minuit, sed potius mirabiliter adauxit, illum exornaverit, hinc hanc tractationem melius auspicari nos haud valere ducimus, quam illius exhibendo figuram, qualis habetur in psalmo quadragesimo quarto, quo litteraliter ea quae ad Messiam spectant referri, non modo Patrum unanimis consensus, sed et Rabbinorum commentarii testantur.

Inscribitur psalmus ille: *Canticum pro dilecto,* שִׁיר יְדִידֹת, id est *canticum amorum*, et exhibet epithalamium, seu carmen nuptiale, quo tum Sponsi tum Sponsae laudes magno encomio celebrantur, necnon sobolis ex eis procreandae praeconia recitantur. Porro, licet sub nomine Sponsi intelligi possit Verbum secundum divinam suam a patre generationem, et sub nomine Sponsae, humana natura ab ipso assumpta, tamen et suasibilior et Psaltae proposito magis consona videtur sententia, qua Sponsus hic Christus secundum humanam naturam, Sponsa vero Ecclesia, proles denique fideles, ex isto mystico connubio orituri, intelliguntur.

I. Sponsi praeconia. — Igitur gestiens propheta sponte profert ebulliente de corde sermonem, et linguam urget, ad proferendas sponsi Christi laudes : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribae velociter scribentis;* statimque eius praeconia celebrat[1]. Siquidem Rex ille, cui rex propheta carmina sua dicat, exhibetur, tum quantum ad corporis *perfectionem* speciosissimus, יָפְיָפִיתָ, *ita quod quoddam divinum radiabat in vultu eius, quod omnes eum reverebantur*[2], tum quoad animum perfectissimus, gratia (חֵן), benignitate, insigni quoque eloquentia et copia fandi donatus, efficacissimus ad suadendum, benedictus a Patre *qui et benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo*[3]. — *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum.*

1. Vers. 3-10. — 2. S. THOM. Expos. in Ps. Dav. Ps. XLIV. — 3. Eph., I, 3.

Tum illius potentia declaratur, accincto speciei decorisque gladio, virtutum splendore explicanda, scilicet iustitiae, mansuetudinis, fortitudinis et prudentiae, vi quarum regni decorem consecuturus est, inimicis sagittarum virtute confossis : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna, propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.* Eiusdem quoque Sponsi, qui et ipse Deus אֱלֹהִים appellatur, perpetuitati simul et iustitiae innixa sedes aeternum duratura collaudatur : *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi : virga directionis, virga regni tui.* Quae verba a S. Paulo adducuntur in eumdem finem : *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; virga aequitatis, virga regni tui*[1].

At vero talibus exhibetur virtutibus exornatus, propterea quod unctus est a Spiritu Sancto oleo unionis hypostaticae, ex qua gratiae copiosissimam unctionem accepit. — *Notandum est*, ait Estius[2], *oleum synecdochice pro unguento sumi. Non enim nudo oleo reges et sacerdotes ungebantur, sed praestantissimis et odoratissimis aromatum generibus commixto, velut myrrha, stacte, casia, quae proximo versu nominantur. Qua ratione etiam chrisma, quo baptizati unguntur, interdum oleum appellatur. Quoniam autem eiusmodi unguentum sua fragrantia mirum in modum recreabat eos in quos effundebatur, idcirco vocatur oleum exultationis seu laetitiae, id est, unguentum laetificans atque exhilarans. Quanquam etiam oleum per se vim habet exhilarandi, iuxta illud*[3] *: Ut exhilaret faciem in oleo. Id vero spiritualiter multo magis praestat, sive unctio gratiae Spiritus Sancti, quam in sua conceptione Christus accepit, sive unctio qua in gloriam introductus, et regni sui possessor factus est.*

Ubi etiam Christi divinitatis, eiusdemque cum Patre consubstantialitatis argumentum exhibetur, cum ipsemet, verus Deus, traditur ungendus a Deo suo, id est, a Deo a se non alieno : *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis. Myrrha et gutta et casia*

1. Hebr., I, 8. — 2. Comment. in cap. I, Ep. ad Hebr., V. 9. — 3. Ps. CIII, 15.

a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

II. Sponsae laudes. — Sequuntur laudes *sponsae,* id est Ecclesiae[1], quae Regina שַׁגָּל, id est uxor regia vocatur, uxoribus secundi ordinis, quae concubinae dicebantur, longe praestantior. Praestantem autem illam faciunt aurea charitas, necnon variarum virtutum circumamictus, quas inter emicat Sponso integre custodita fidelitas, eiusque prae omnibus reginis, id est prae omnibus sectis, quae verae Ecclesiae se aequiparare praesumunt, excellentia, varietate virtutum et gratiarum cumulo commendata. Filia Tyri בַּת-צֹר, id est Tyrus ipsa, opulentissima civitas, necnon caeterae orbis plagae, ut olim regina Sabae, ad Sponsae tentoria accurrent, dona ferentes pulchritudinemque admirantes : intrinsecus enim est regiae Sponsae gloria. Eadem vero Sponso suo reginas pedissequas adducet in palatium regis, ut et ipsae in laetitia et exultatione de connubio cum Sponso celebrato gaudeant.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate : audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum ; et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur : omnes divites plebis. Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus : adducentur Regi virgines post eam ; proximae eius afferentur tibi : afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis[1].

III. Laudes filiorum. — Clauditur nuptiale carmen laudibus filiorum ex hoc virginali connubio nasciturorum. Progenies erit et numero et magnitudine praestans, siquidem principum dignitate donabuntur ; nam eorum est *regale sacerdotium,* qui *gens sancta* etiam nominantur[2], et quemadmodum proles patriarchae Abrahae promissa, militiae coeli coaequabuntur. Quae omnia ad gloriam Sponsi et Sponsae redundabunt, quorum nomina ab ortu solis usque ad occasum, scilicet usque ad dissitissimas terrae partes, progenies ventura resonabunt : *Pro patribus tuis nati sunt*

1. Vers. 10-16. — 2. 1, Pet. II, 9.

tibi filii : constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem : propterea populi confitebuntur tibi in aeternum et in saeculum saeculi[1].

3. — Ratio huius quaestionis. — Et haec quidem, quod ad humanam Christi perfectionem pertinet, praenuntiata inveniuntur. Iamvero considerandum est quod ad ultimam hominis beatitudinem, cuius perfectio erit in fine mundi, consequendam, duo requiruntur, scilicet natura et gratia : unde utriusque consummatio ultimae beatitudinis consummationem causaliter praecedere debet. Porro, consummatio naturae praecessit in prima rerum institutione, scilicet in sex dierum opere : consummatio autem gratiae praecedere debuit in Christi Incarnatione, quandoquidem, ut ait S. Ioannes [2]: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est*[3].

Quapropter, cum iam de gratia unionis, quae aliud non est nisi singularem humanam naturam elevari ad hoc ut in ipsa subsisteret Filius Dei, dictum sit, modo agendum proponitur de eo quod ex hac unione, Deo ita disponente, consecutum est, per respectum ad ordinis gratiae consummationem. Et quia unumquodque in tantum agit, in quantum est ens actu, ideo consummatio ordinis gratiae a Christo perficienda exigebat non solum ut Christus gratia undequaque perfunderetur, sed etiam ut esset ipsemet principium gratificativum aliorum. Et primum quidem in praesenti, alterum vero in subsecutura quaestione tractabitur.

4. — Quaestionis divisio. — Hic autem duo erunt singillatim consideranda : primum de Christi, ut est singularis homo, gratia in se spectata (1-12), et secundum, de eadem ad unionis gratiam comparata (13). Iamvero, gratia Christi in se spectata consideranda venit, tum secundum ipsam gratiae rationem (1-8), tum secundum illius proprietates (9-12). Et quidem, considerata in se, secundum gratiae rationem, alia est habitualis, quae gratum facit

1. Cf. S. Thom., Comment. in Ps. XLIV; Tirin.; Cornel. a Lapide in h. l.; J. Corluy S. I., Spicilegium Dogmatico-biblicum. T. II. In Tract. de Incarn. Comm. IV, ad Ps. 44. Gandavi. 1884. Sed praecipue S. Augustin. Enarratio in Ps. XLIV.— 2. C. I, 17.— 3. 1, Quaest. LXXIII, a. 1, ad 1[m].

ipsum habentem (1-6), alia vero per modum motionis cuiusdam, quae potius ordinatur ad aliorum utilitatem, et vocatur gratia gratis data (7-8), de qua quaerendum erit tum generaliter (7), tum specialiter relate ad prophetiam (8). Gratia vero habitualis, de qua potissime est dubitatio, inspicienda erit non solum quantum ad ipsam gratiae radicem (1), sed etiam quantum ad virtutes (2-4), et dona (5-6), quae ex ea profluere intelliguntur. Ubi, propter speciales hac in re difficultates, ostenso generaliter quod in Christo fuerunt virtutes (2), excludenda tamen erit simpliciter fides (3), necnon spes theologica (4); et pariter ostenso generaliter quod in Christo fuerint dona (5), speciali modo de dono timoris erit agendum (6). — Denique, proprietas gratiae Christi hic consideranda, est quantitas, tum relate ad ipsum Christum (9-10), tum relate ad aliud (11-12); relate ad Christum, ut plenitudo gratiae in ipso adseratur (9), negetur in aliis (10); relate ad aliud, scilicet, hinc ad terminum gratiae negandum (11), illinc vero ad ipsam gratiae causam, quae Deus est, quatenus potens est gratiam augere (12)[1].

Hinc tredecim hic quaeruntur:

Primo. Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.
Secundo. Utrum in Christo fuerint virtutes.
Tertio. Utrum in eo fuerit fides.
Quarto. Utrum in eo fuerit spes.
Quinto. Utrum in Christo fuerint dona.
Sexto. Utrum in Christo fuerit timoris donum.
Septimo. Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae.
Octavo. Utrum in Christo fuerit prophetia.
Nono. Utrum in eo fuerit plenitudo gratiae.
Decimo. Utrum talis plenitudo sit propria Christi.
Undecimo. Utrum Christi gratia sit infinita.
Duodecimo. Utrum potuerit augeri.
Tertiodecimo. Qualiter haec gratia se habeat ad unionem,

1. Huius et sequentium quaestionum doctrina plurimum inserviet cognoscendis perfectionibus Deiparae, quae quavis creatura ad Christi similitudinem propius pertigit : quae tamen omnia ad B. Virginem applicanda non erunt, nisi habito respectu ad ordinem qui illius proprius est, cuius quidem considerationis praetermissio plures in errorem in-

duxit, quidquid melius est de Maria decernendum esse praefracte adserentes, quemadmodum praestitisse perhibetur F. X. Godts, in Op. *La Sainteté initiale de l'Immaculée,* 1904. Cf. quod scripsimus in opusc. *De Maria nunquam satis,* 1905.

ARTICULUS I. — *Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.*

1. — Praenotandum. — Pro huius dubii, necnon pro sequentium dubiorum intelligentia, supponenda constanter est realis distinctio divinam personam inter et humanam naturam, ita ut una eademque persona, secundum unum principium, esset gratiae et divinitatis particeps, secundum aliud autem, esset ipsamet gratia et divinitas imparticipata et influens: anima enim Christi non est divina per essentiam, unde oportet quod fiat divina per participationem gratiae[1]. Quod dicitur tum contra Augustinum de Roma aientem, ut refert Turrecremata[2], quod humana natura in Christo est persona Verbi, necnon contra metamorphystas ponentes quod corpus Christi fuerit ipse Deus. Necessitas autem gratiae in anima Christi ita asserenda est, ut, ea exclusa, amicitiae Dei formaliter acceptae sit incapax, etsi Deo hypostatice uniatur.

2. — PROP. — **Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem.**

Necesse est, ait S. Doctor, hanc necessitatem ex propriis rationibus probaturus: quae quidem propositio de fide est, quidquid nonnulli in contrarium dicant, cum apertissimis Scripturarum testimoniis innitatur.

Revera, hoc abunde patet **I. ex auctoritate.** — Sic, apud Ioannem legimus[3] Christum esse *plenum gratiae et veritatis*; pariter dictum est[4]: *Quod nascetur ex te sanctum*; rursus[5]: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*; et iterum[6]: *Requiescet super eum Spiritus Domini*, qui in homine esse dicitur per gratiam habitualem, et qui in Christo sine mensura fuisse praedicatur[7]: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* (ei scilicet quem misit Deus).

Idipsum tradit S. Augustinus dicens[8]: *Quia Dominus Iesus*

1. Ad 1m.— 2. In Sum. de Eccl. l. I, c. 68.— 3. C. I, 14.— 4. Luc., I, 35. — 5. Is., LXI, 1, — 6. Ibid. XI, 2.— 7. Io., III, 34.— 8. L. XV, de Trin., c. 26.

Spiritum Sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, propterea dictus est plenus gratiae.) Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum[1] *: Quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiae.* Unde, cum in Concilio Tridentino[2] definiatur nos iustificari per infusionem gratiae et charitatis, multo magis de Christo idipsum fas est concludere.

3. — II. Prob. ratione theologica. — In illo, α) qui propinquissime se habet ad causam gratiae, β) cuius operationes oportuit propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem, γ) qui existit mediator Dei et hominum, necesse est esse aliquam gratiam habitualem. — Huius *maioris* ratio est α) quia quanto aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia illius; β) quia appropinquatio ad Deum per cognitionem et amorem nequit fieri absque radice gratiae; γ) quia mediatio exemplaris et efficax in homines, vim ducit ex habituali gratia quae est finis mediationis.

Atqui Christus, secundum quod est homo, α) propinquissime se habet ad causam gratiae, scilicet ad divinitatem, a qua est gratiae influxus, secundum illud[3]: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* β) propinquissime debuit attingere ad Deum per cognitionem et amorem, propter sui nobilitatem; γ) existit mediator Dei et hominum, ut exponit S. Paulus[4], et ut sic communicat cum illo ad quem fiebat mediatio, et gratiam in alios influit, iuxta illud[5]: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia;* et[6]: *Talis... decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Ergo in Christo, ut homo est, necesse fuit, ut esset aliqua gratia habitualis: *aliqua*, dicimus, explicaturi postea qualis huius quantitas esse debuerit.

4. — Advertendum. — Secunda ratio hic posita fundatur super hoc principium, quod in Christo duplex operatio, duplex itidem fuerit fruitio, propter duplicata in ipso naturalia. Nam, in quantum est Dei Verbum, operatur ea quae Dei sunt; in quantum vero homo est, indiget habituali gratia ut ea operetur quae

1. C. X, 37. — 2. Sess. VI, c. 7 et can. 11. — 3. Ps. LXXXIII, 12. — 4. 1, Tim., II, 5. — 5. Io., I, 16. — 6. Hebr. VII, 26.

sunt hominis Deo grati, iuxta illud[1]: *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Rursus, in quantum est naturalis Dei Filius per eumdem increatum actum cognitionis et amoris Dei, quo Pater cognoscit et amat seipsum, Christo debebatur haereditas vitae aeternae, beatitudo infinita ; sed cum eius anima fruitionis increatae non esset capax, ideo oportuit ut Christus per actum cognitionis et amoris creatum, qui est per gratiam, qua potest homo attingere ad Deum, perveniret ad fruitionem vitae aeternae, iuxta illud[2] : *Gratia Dei, vita aeterna*[3].

5. — Tacita difficultas. — Nec obstat quod humana in Christo natura instrumentum divinitatis appellatur a S. Damasceno[4]; non enim de instrumento inanimato, quod agitur et nullimode agit, loquitur sanctus ille Pater, sed de instrumento anima rationali animato, quod ita agitur, ut etiam agat, ad cuius actionis convenientiam gratia ponitur, tanquam habitus, seu tanquam principium *quo* operationis : habitus enim est quo agens disponitur ad bene agendum[5].

6. — Scholion. — Duplici autem modo potest dici humanitas Christi fuisse sanctificata : uno modo, *radicaliter*, scilicet per gratiam unionis ; alio modo *formaliter*, per gratiam sanctificantem, ita quod rite Christus vocetur[6] *Sanctus sanctorum*, קֹדֶשׁ קָדָשִׁים. Nam, ex eo quod humanitas illa fuit divinitati hypostatice unita, quamdam veluti consecrationem obtinuit, longe maiorem consecratione quam vasa obtinent ex eo quod sunt divino cultui deputata, aut etiam consecratione specierum sacramentalium in Eucharistia : et propterea, iuxta plurium Patrum interpretationem, quod Christus *oleo* dicatur *unctus* prae participibus suis, referendum est ad hanc substantialem, seu radicalem sanctificationem, quae ex unione ad divinam personam resultat.

Attamen, et hoc contra Billuart[7] sedulo advertatur, non sufficiens fuisset haec radicalis sanctificatio, ad hoc ut Christi humanitas simpliciter et formaliter grata diceretur, nisi etiam accessisset gratiae sanctificantis donum. Homo enim, ex eo quod naturae rationalis est, alterius sanctificationis capax est, cuius ratio in

1. 1 Cor., XV, 10. — 2. Rom. VI, 23. — 3. Ad 2^m. — 4. L. III. Orthod. fid., c. 15. — 5. Ad 3^m. — 6. Dan. IX, 24. — 7. Diss. VIII, art. 1.

cognoscendo et amando Deum, ut est in se, consistit. Quapropter radicalis illa sanctificatio ordinis hypostatici postulabat compleri per sanctificationem formalem ordinis gratiae, quae quidem ad illam se habet ut accidens ad substantiam ; qua tamen deficiente, humanitas Christi Deo grata non extitisset ad salutem nostram promerendam. Eo vel magis id apparet, quod ad sanctificationem in Christo simpliciter habendam, requiritur talis gratia, quae informet actu humanitatem : atqui gratia unionis non informat humanitatem Christi, cum nec ipsa accidens sit, nec divinitas humanitati ad instar cuiusdam formae illapsa sit, sed tantum illam sua propria personalitate terminaverit.

ARTICULUS II. — *Utrum in Christo fuerint virtutes.*

1. Quid et quotuplex sit virtus. — Virtus quae, inspecto ordine ad opus ad quod refertur, solet definiri, *bonus habitus*[1] *mentis, quo recte vivitur, quo nemo male utitur*, vel etiam, considerato subiecto cui inest, *habitus bonum faciens habentem, et opus eius bonum reddens*, et iterum, considerata conditione eiusdem virtutis, *habitus in medietate consistens*, — alia est ordinis naturalis, alia vero ordinis supernaturalis, secundum quod hominem ordinat ad bonum simpliciter rationi conforme, aut ad bonum divinum per participationem deitatis habendum. Et utraque animae infundi a Deo potest, cum hoc tamen discrimine, quod virtutes supernaturales dicuntur *infusae per se*, cum haberi non possint sine infusione a Deo ; virtutes vero naturales *per se acquiruntur*, et si quando a Deo infunduntur, dicuntur *infundi per accidens*, et propter hoc non cessant esse eiusdem rationis ac virtutes simpliciter acquisitae. Ulterius virtutes infusae per se non modo dant posse *bene* operari sed etiam simpliciter *posse* operari divina, dum

1. Recolenda est definitio habitus quam tradit Aristoteles : ἕξις λέγεται διάθεσις καθ' ἣν ἤ εὖ ἤ κακῶς διάκειται τὸ διακείμενον, καὶ ἤ καθ' αὑτό, ἤ πρὸς ἄλλο, οἷον ἡ ὑγίεια ἕξις τις (IV Met. c. 20) : *Habitus dicitur dispositio secundum quam aut bene aut male disponitur dispositum, et vel secundum se vel ad aliud, ut sanitas habitus est.* Cf. S. Thom. in h. l.

virtutes per se acquisitae dant tantum *bene* posse operari bonum rationi conforme : nam hae subiectantur potentiis naturalibus, illae vero secumferunt ipsas operandi potentias, seu dant simpliciter posse operari divina[1].

2. — **Status quaestionis.** — Porro, de virtutibus per se acquisitis non est proprie hic sermo, sed de virtutibus *per se infusis*, quae, licet, ut plerumque, sint circa idem genus obiecti ac virtutes per se acquisitae, utpote iustitia tum naturalis, tum supernaturalis circa debitum reddendum, tamen specifice inter se differunt, propter diversitatem rationis formalis qua obiectum suum attingunt, puta, debita naturaliter et debita supernaturaliter reddenda.

Ulterius notari oportet quod virtutes supernaturales, de quibus agimus, licet cum gratia sanctificante coniunctissimae sint et inseparabiles, tamen ab ipsa realiter distinguuntur, sicut potentiae animae in ordine naturali distinguuntur ab eius essentia : gratia enim respicit essentiam animae et in ipsa recipitur, virtutes autem respiciunt eius potentias ; unde, sicut potentiae derivantur ab animae essentia et propterea ab ipsa distinguuntur, ita et virtutes derivantur a gratia, ab eaque distinguuntur[2]. Hinc S. Doctor opportunissime, cum egerit de radice gratiae in praecedenti articulo, hic agit de virtutibus infusis animae Christi.

3. — PROP. — **Christus habuit omnes virtutes, et quidem perfectissimo modo.**

Prob. I. Sacpius in **Sacris Scripturis** sermo redit de charitate Christi, sic[3] : *Scire... supereminentem scientiae charitatem Christi;* et rursus [4] : *Quis... nos separabit a charitate Christi?* Atqui, secundum Apostolum[5], charitas est *vinculum perfectionis*, omnes scilicet virtutes in unum foedere colligans ; aliunde omnes virtutes ad invicem sunt connexae ; unde Christus, cum potissimam inter virtutes habuerit, ideo omnes revera possedit. Sed et apud Isaiam Christus exhibetur omni virtutum supellectili donatus : *Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius*[6], etc.

1. Cf. I, 2ae Quaest. LV, a. 4 ; et Quaest. LXIII, p. tot.— 2. I, 2ae Quaest. CX, a. 3, 4. Cf. quod ibi diximus.— 3. Eph. III, 19.— 4. Rom. VIII, 35. — 5. Col. III, 14.— 6. C. XI, 5.

Quapropter Glossa, illud Psalmi commentans[1] : *In lege Domini voluntas eius*, ait : *Hic ostenditur Christus plenus omni bono*.

4. — II. Rat. theol. — Ille, in quo est perfectissima gratia, habet omnes virtutes : habet enim perfectissimum virtutum principium, ideoque principium quod perfectissime imprimit in suos effectus. Atqui in Christo fuit perfectissima gratia. Ergo in Christo fuere omnes virtutes.

Qua conclusione plus probatur quam petitum fuerat : cum in ipsa concludatur non modo adesse virtutes, sed etiam *omnes* virtutes. Quae tamen distributiva propositio modo debet generaliori ratione intelligi, ita quod in Christo intelligantur omnes adfuisse virtutes, quatenus virtus dicit perfectionem, non curando pro nunc de singulis virtutibus : nam si quae sit virtus quae imperfectionem importat, haec profecto in Christo non fuit. Unde, necessitas adserendi virtutes in Christo non est propter insufficientiam gratiae, quasi gratia non sit capax perficiendi hominem in iis omnibus in quibus homo ordinatur ad beatitudinem, sed est potius propter ipsiusmet gratiae excellentiam, quia et quantum ad aliquid, immediate per seipsam perficit hominem, illum Deo gratum faciens, et quantum ad aliquid, mediantibus virtutibus, quae et facultatem et usum boni operis in ipso faciunt, unde Paulo dictum est[2] : *Sufficit tibi gratia mea*[3].

5. — Scholion. — Porro, virtutes huiusmodi in Christo *perfectissime* fuerunt, scilicet ultra communem modum quo in hominibus esse solent, quia nempe per huiusmodi virtutes, Christus fuit dispositus ad bonum faciendum altiori perfectione quam communiter evenit. Quod quidem non facit distinctionem formalem a virtute communiter dicta, sed tantummodo maiorem intensionem inducit, cum virtutis habitus in indivisibili non consistat. Virtutes autem, sic acceptae, *heroicae* seu *divinae* dici solent, cui distinctioni correspondet distinctio a Plotino invecta, virtutum purgati animi a virtutibus purgatoriis, quarum priores sunt quae hominibus divinis attribuuntur, aut quae illos divinos faciunt ; sicut et in genere vitiosorum hominum aliqui sunt qui

1. Ps. I, 2. — 2. 2 Cor., XII, 9. — 3. Ad 1^m.

ferini cordis aut bestialis animi esse dicuntur, de quibus ait Aristoteles[1] : *Quemadmodum neque ferae est vitiositas neque virtus, sic nec Dei quidem : sed huius habitus est honorificentior virtute ; illius alterum quoddam genus vitiositatis:* καὶ γὰρ ὥσπερ οὐδὲ θηρίου ἐστὶ κακία, οὐδὲ ἀρετή, οὕτως οὐδὲ θεοῦ· ἀλλ' ἡ μὲν τιμιώτερον ἀρετή, ἡ δὲ ἕτερόν τι γένος κακίας[2].

6. — Quaestiones — I. *Utrum in Christo fuerint* α) *liberalitas et magnificentia, necnon* β) *temperantia?*

Resp. α) Quoad *liberalitatem et magnificentiam, affirmative, et quidem summo modo.* Revera, huiusmodi virtutes respiciunt divitias, in quantum eas aliquis ita parvi pendit, quod nolit eas retinere praetermittendo bonum rationis. Ergo qui divitias minimi facit, illas contemnendo et penitus abiiciendo propter perfectionis amorem, maxime liberalis et magnificus est dicendus. Talis autem fuit Christus, qui divitias penitus contempsit, ita ut dicere posset[3] : *Filius... hominis non habet ubi caput reclinet,* qui tamen divitias omnes habere potuisset, si voluisset.

Nec tamen penitus defuit Christo Domino liberalitatis actus, cum, secundum quod sibi conveniens erat, pauperibus erogari iusserit quae sibi dabantur; ita quod, cum Christus Iudae dixisset[4] : *Quod facis, fac citius,* discipuli intellexerunt Dominum mandasse ut aliquid egenis tribueret, *cum et ipse Dominus,* ait Ven. Beda[5], *...loculos habuisse legitur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens.* — Actum vero magnificentiae, licet Christus nunquam exercuerit, cum non potuerit magnos sumptus facere qui dives non erat, tamen habuit in praeparatione animi, in quantum huius virtutis actus exercuisset, si hoc sibi conveniens fuisset[6].

Pariter, β) *temperantiam Christus habuit,* quia cum ista sit circa pravas concupiscentias, ideo tanto perfectior in homine invenitur, quanto magis ille pravis concupiscentiis careat: Christus vero pravas concupiscentias omnino non habuit. Sic etiam *eutrapelia* in Christo fuit, quia dispositionem habuit inclinantem ad iocos

1. L. VII, Ethic. c, 1.— 2. Ad 2m.— 3. Matth., VIII, 20.— 4. Io., XIII, 27. — 5. L. IV, c. 54, in Luc. 12. — 6. Ad 3m.

ludosque moderate eligendos, si eiusmodi statum suum decuissent, qui tamen nonnisi magna et seria secumpatiebatur[1].

Caeterum, generaliter advertendum est quod in virtutibus, quae sunt passionum moderativae, id quod est intus in anima, scilicet interiorem appetitus dispositionem ne abducatur ab ordine iustitiae propter passiones, in quo consistit formale virtutis, in Christo adfuisse, ita quod ille sic fuerit intus dispositus circa divitias et voluptates carnis, ut penitus eas abiecerit secundum rectam rationem, licet quoad actus exercitium, ista in Christo non fuerint, cum non fuerit ullum tempus quo ipse debuerit uti divitiis aut carnis voluptatibus[2].

II. *Utrum Christus habuerit* α) *continentiam et* β) *poenitentiam? Resp.* α) De *continentia negandum est*, cum haec, saltem iuxta Aristotelem[3], non sit virtus, sed aliquid minus virtute. Nam in hoc distinguitur continens a temperato, quod temperatus non habet pravas concupiscentias, quas continens patitur. Christus autem has concupiscentias pati non debuit[4], ut postea dicetur[5].

Pariter, Christus β) *poenitentia caruit*, quia, licet perfectissime fuerit peccatum detestatus, tamen, cum in ipso peccatum esse non potuerit, ideo nec potuit illud detestari ut a se vel aliquando commissum, vel in futurum committendum, quod tamen ad rationem poenitentiae requiritur[6].

7. — Adnotandum. — Quod hic dictum est, valet proprie pro virtutibus per se infusis. At, praeter huiusmodi virtutes ponendae etiam sunt in Christo Domino, et quidem ab initio, virtutes per se acquisibiles, in eo tamen divinitus causatae, et sic infusae per accidens. Nam huiusmodi virtutes ad humanae naturae perfectionem proprie spectant, sunt enim actionum propria principia, quibus potentiae ad actus sibi connaturales delectabiliter perficiendos inclinantur, nec per virtutes infusas sufficienter supplentur. Quarum virtutum propria differentiae ratio desumitur ex eo quod, sicut virtutibus theologicis, quibus ordinamur ad finem supernaturalem, respondent habitus divinitus in nobis causati,

1. Cf. 1, 2ae Quaest. LX, art. 5. — 2. Cf. Caiet., h, l. — 3. L. VII Ethic., c. 9. — 4. Ad 3m. — 5. Quaest. XV, art. 1 et 2. Cf. 1, 2ae, Quaest. LVIII, a. 3, ad 2m. — 6. Cf. Quaest. LXXXIV, art. 7, ad 4m.

qui sunt virtutes infusae, ita ex principiis naturae in nobis procedunt virtutes quae ex nostris actibus acquiruntur, quas tamen Christus non per acquisitionem, sed per infusionem habuit, licet eas non statim, sed tantum temporis progressu exercitio demonstraverit[1].

ARTICULUS III. — *Utrum in Christo fuerit fides.*

1. — Quo sensu hic sumatur fides. — Fides hic non late et impropric sumitur, quo sensu significat etiam cognitionem de rebus visis, cui accedere intelligitur certitudo et firmitas adhaesionis, sed sumitur stricto et proprio sensu, pro cognitione certa quidem et firma, eorum quae non videntur. Hunc duplicem sensum complectitur Glossa, cum super illud[2] : *Iustitia... Dei in eo revelatur ex fide in fidem,* dicit quod *de fide verborum et spei, in fidem rerum et speciei* transeunt beati. Convenit utraque fides quantum ad certitudinem, sed contradistinguitur quantum ad visionem : nam fides proprie est *qua creduntur quae non videntur,* ut habetur in Glossa[3] ; fides vero quae est rerum visarum, non dicitur, nisi secundum similitudinem[4].

2. — PROP. — Nulla ratione fuit in Christo fides.

Prob. In eo qui res divinas videt, nequit esse fides. Atqui Christus res divinas a primo instanti vidit. Ergo in Christo non potuit esse fides. — *Minor* resultat ex eo quod Christus, ab initio suae conceptionis, et per totum cursum vitae suae fuerit comprehensor. *Maior declaratur.* Omnis habitus specificatur ab obiecto. Atqui obiectum fidei est res divina, non quocumque modo, sed simpliciter non visa : si enim res aliqua divina possit ratione humana dignosci, iam illa non est fidei articulus proprie dictus, sed praeambulum ad fidem, sicut Deum esse, esse bonum, etc. Ergo excluso quod res divina sit non visa, excluditur etiam fidei ratio.[5]

Revera, fides a S. Paulo describitur[6] : *Sperandarum substantia*

1. Cf. I 2ae Quaest. LXIII, p. tot., sed praec. art. 3 et 4. Cf. etiam Al. Ad. Paquet., De Inc. Disp. III, a. II, concl. 3a, Quebeci 1899, p. 97. — 2. Rom., I, 17. — 3. S. Aug., l. II, Qq. Evang. q. 39. — 4. Ad 3m. — 5. Cf. Gotti, Tr. III de Gratia Christi, Q. II, Dub. II, § 1. — 6. Hebr. XI, 1.

rerum, argumentum non apparentium, ἔστιν δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Atqui in Christo fuerunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*[1], ἐν ᾧ εἰσιν πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ γνώσεως ἀπόκρυφοι. Ergo in Christo nullimode potuit esse fides: ideoque quod de eo dicitur[2]: (Erit) *fides cinctorium renum eius*, intelligendum est de fidelitate in servandis promissis, non autem de fide proprie dicta.

3. — ***Confirmatur** — **I.** Idem homo de eodem obiecto nequit habere duos habitus contrarios. Atqui Christus habuit visionem divinae Essentiae, cui contrariatur fides, quae est de Deo non viso. Ergo Christus non habuit fidem.

II. In Christo non fuit ullus defectus. Atqui, licet fides sit nobilior virtutibus moralibus, puta temperantia et liberalitate, est enim circa nobiliorem materiam, tamen quemdam defectum importat in comparatione ad illam materiam, ex eo, scilicet, quod non est in statu hanc materiam perfecte assequendi. Ideoque licet in Christo fuerint morales virtutes, tamen non potuit in ipso esse fides, propterea quod in comparatione ad suam materiam, in sui ratione defectum importat[3].

4. — **Scholion.** — Attamen, licet Christus caruerit fide, tamen id unde in nobis est fidei meritum in ipso non defuit. Et quidem ipsum fidei meritum in Christo esse non potuit, qui fidei actum non exercuit; sed id unde fides meritum sumit, scilicet obedientia, in Christo minime defuit. Siquidem fides meritum suum ex obedientia desumit, ex qua homo assentit eis quae non videt: *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius*[4], Obedientiam autem ad Deum Christus plenissime habuit, secundum illud[5]: *Factus (est) obediens usque ad mortem*. Igitur quodcumque meritum ex fide provenit, habuit Christus, non tamen credendo; quemadmodum proportionaliter dici potest quod quidquid est cognitionis in sensu, cognoscit et intellectus, licet alio modo[6]. Unde nihil ad meritum pertinens Dominus Noster nos docuit, quod ipse perfectissime non impleret, iuxta illud[7]: *Coepit*

1. Col. II, 3. — 2. Is. XI, 5. — 3. Ad 1^m. — 4. Rom. I, 5. — 5. Phil. II, 8. — 6. Caiet. — 7. Act. I, 1.

Iesus facere et docere ; et secundum hoc vocatur[1] : *Auctor et consummator fidei*[2].

6. — Difficultas. — Deficiente obiecto alicuius virtutis, puta deficientibus divitiis relate ad magnificentiam, non tamen deest virtus ipsa, ut dictum est. Ergo, a pari, deficiente fidei obiecto, quod est res divina non apparens, non propterea defuit in Christo fides.

Resp. *Dist. antec.* : Deficiente obiecto materiali, *conc.* ; obiecto formali, *nego. Nego conseq. et conseq.* — *Alia,* ait Caietanus[3], *est ratio formalis obiecti, et alia ratio propria materiae. Et ideo, si deficiat aliquid sub ratione materiae, non propterea oportet deficere habitum : sed si deficit sub ratione formali obiecti, oportet habitus illius rationem formalem deficere,* et consequenter ipsummet habitum. Iamvero, cuiusdam virtutis, verbi gratia, magnificentiae, res quae sunt illius materia, sicut divitiae, in Christo defuerunt, non tamen defuit ratio formalis earum in anima eius, quae est ut expendantur quomodo, quando, sicut, pro quo, etc, oportet ; quod nullam imperfectionem ponit in anima : dum, e contra, res quae sunt fidei materia, puta Trinitas, etc., fuerunt apud intellectum Christi, non tamen sub illa formali ratione, qua creduntur, quod ponit imperfectionem in credente, sed ut visae, ideoque fides penitus in Christo defuit.

ARTICULUS IV. — *Utrum in Christo fuerit spes.*

1. — Quid et quotuplex sit spes. — Sicut fides est de non visis, ita spes est de nondum habitis, quam ita describit Apostolus[4] : *Spe enim salvi facti sumus : spes autem quae videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat ? si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus ;* ex quo patet quod, sicut de ratione fidei est quod quis assentiatur iis quae non videt, ita et de ratione spei est quod quis expectet id quod nondum habet[5].

1. Hebr. XII, 2. — 2. Ad 2[m]. — 3. Hoc loco. — 4. Rom. VIII, 24, 25. — 5. Virtutis spei vindicationem vide apud Bossuet, *Préface sur l'Instruction, donnée à Cambrai* le 15 septembre 1697. T. X. p. 90. Liège, 1863.

Porro, relicta spe ut est quaedam animi passio[1], advertendum est quod aliud est spes ut est virtus theologica, aliud ut est simplex expectatio futuri. Nam spes est virtus theologica tantummodo in quantum respicit ipsam beatitudinem obiectivam animae, id est in quantum habet pro obiecto ipsum Deum cuius fruitionem homo expectat in beatitudine, sicut fides, quae est virtus theologica non est de quocumque non viso, sed est tantummodo de Deo non viso. Unde sicut non est virtus fidei theologicae, quae versatur circa obiectum quod est aliud a Deo non viso, ita non est spes theologica, quae versatur circa obiectum aliud a Deo nondum habito. Attamen, sicut ille qui virtutem fidei habet, non solum credit Deo de rebus divinis, sed etiam de quibuscumque aliis sibi divinitus revelatis, ita qui habet virtutem spei, potest etiam in aliis divinum auxilium expectare.

2. — PROP. — **In Christo non fuit spes theologica.**

PROB. Qui fruitionem plene habet, theologicam spei virtutem non habet. Atqui Christus a principio suae conceptionis fruitionem plene habuit. Ergo theologicam spei virtutem non habuit.

Quapropter, Christus, sicut non habuit fidem, ita nec habuit spem : attamen differenter. Nam fidem respectu quorumcumque non habuit, quia in Deo viso totaliter cognovit omnia; Deo tamen habito, non statim omnia habuit quae ad eius perfectionem pertinebant : ideoque plura sibi erant expectanda a Deo, sicut immortalitas et gloria corporis, quae tamen ad virtutem theologicam non pertinent, quia talia non sunt obiectum circa quod beatitudo principaliter consistit, sed sunt obiectum quod ab animae gloria per quamdam animae ad corpus redundantiam provenit. Possessio enim Dei circa quam consideratur formalis spei, ut theologica virtus est, ratio, respicit tantum beatitudinem animae, non corporis ; ideoque licet hanc Christus expectaverit obtinendam, et sic quodammodo speraverit, iuxta illud quod in eius persona dicitur[2]: *In te Domine speravi,* non tamen illam speravit sub ratione virtutis theologicae, sicut etiam modo beati resurrectionem ac corporis glorificationem certissime expectant, non tamen sub ratione virtutis theologicae spei[3].

1. Cf. I 2ae Quaest. XL. — 2. Ps. XXX, 2. — 3. Ad 1m et 2m.

3. — Corollaria. — I. Unde actus ille quo Christus gloriam corporis expectabat, potius rationem desiderii quam spei habuit, sicut et beati potius desiderant quam sperent resurrectionem et ea quae consecutura sunt ; licet obiectum illud, relate ad beatos, rationem ardui nullimode habeat, dum in Christo gloria corporis obtinenda nonnihil difficultatis adnexum habebat, propter tolerantiam passionum, quarum virtute gloriam illam Dominus Noster erat assecuturus.

II. Christus etiam nunc desiderat et expectat aliquid, quod ad perfectionem corporis sui mystici, id est Ecclesiae, pertinet, scilicet fidelium conversionem, iuxta illud[1] : *Ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.* Attamen, huiusmodi desiderium spei rationem non induit, quia spes dicitur proprie de eo quod expectatur ab ipso sperante habendum ; sed aedificatio Ecclesiae per conversionem fidelium non pertinet ad perfectionem Christi qua in se perfectus sit, sed secundum quod alios ad participationem suae perfectionis adducit. exinde nequit deduci quod Christo competerit spem habere[2].

4. — *Scholion.— Comparando spem cum fide, dicendum est hanc Christo defuisse, tum quantum ad principale creditum, tum etiam quantum ad secundaria credita, omnia enim in Verbo vidit. Sed spes, licet quantum ad principale speratum in ipso defuerit, tamen quantum ad secundaria sperata, in ipso locum habuit: non enim haec a principio actu habuit, ut patet de corporis immortalitate, et de ceteris bonis, quibus ob misericorditer assumptos defectus, ad tempus caruit. At vero, deficiente principali sperato, spei etiam habitus, ut virtus theologica est, defuit: quocirca actus sperandi, quem in Christo circa obiectum secundarium posuimus, nec processit ab habitu, nec fuit elicitive theologicus. Hoc tamen aliquid de illius perfectione non detrahit: non ex eo, quod actus ille non processit ex habitu: siquidem, sicut excellentior est res quam spes, ita voluntas fruens Deo in re est melius disposita ad expectandum secundaria sperata, quam si ipsum spei habitum haberet: ideoque perfectior est actus ex tali dispositione procedens, quam si procederet ex actuali habitu. Nec talis actus im-

1. Eph., IV, 12. — 2. Ad 3^m.

perfectior existit ex eo quod elicitive theologicus non est : est enim, quantum est ex genere suo, actus, secundarius tamen, virtutis theologicae; quinimmo, ex parte obiecti formaliter, est magis theologicus actus quam si esset a virtute theologica, Deo habito succedente Deo sperato, quod, utpote obiectum formale spei in beatis, illi locum cedit, ut sic obiective actus ille sperandi secundaria, in Christo magis esset theologicus, quam si a virtute spei actu eliceretur [1].

ARTICULUS V. — *Utrum in Christo fuerint dona.*

1. — Quid et quot sint dona. — Dona sunt quidam habitus supernaturales, non secus ac virtutes, a radice gratiae promanantes, quibus homo perficitur ad hoc ut prompte sequatur Spiritus Sancti instinctum, quemadmodum virtutibus homo perficitur ad hoc ut congrue ratione ducatur.

Revera, secundum modum loquendi Scripturae, quam potissime sequi debemus, ea quae de donis dicuntur, sub nomine *spiritus* designantur: ergo important inspirationem quamdam ab agente extrinseco, scilicet Deo, receptam. Et cum homo a Spiritu Sancto ducatur per vires animae, hinc quot sunt rationes quibus animae vires duci possunt a Spiritu Sancto, tot sunt et dona. Atqui homo potest a Spiritu Sancto moveri, tum ratione, tum appetitu: *ratione* quidem tum speculativa tum practica, et quidem tum circa apprehensionem veritatis inveniendae, tum circa iudicium de veritate ferendum: hinc donum *intellectus*, ad statim penetrandum quae divinitus proponuntur, et *consilii*, ad statim attingendam rectam agendorum rationem; necnon dona *sapientiae* et *scientiae*, ad iudicandum de rebus divinis, illud per altissimas causas, hoc per causas inferiores. *Appetitu* vero homo movetur a Spiritu Sancto, tum in his quae sunt ad alterum, per *pietatem*, tum in his quae sunt ad seipsum, sive contra timores periculorum, per *fortitudinem*, sive contra inordinatam delectabilium concupiscentiam, per *timorem*. Sunt ergo septem dona

1. Cf. Caiet.; Lud. Gotti, Tr. III de Gratia Cristi, Q. II. Dub II, § II.

Spiritus Sancti, quibus ille harmoniam in homine resonat et quae S. Gregorius in septem filiis Iob signata deprehendit, dum virtutes theologicas in tribus eius filiabus, quatuor vero virtutes cardinales in quatuor angulis domus figuratas esse exponit.

2. — Undenam sit necessitas ponendi dona. — Ratio autem cur ponuntur dona est, quia necesse est illud quod iam perfectum est secundum ordinem suae naturae, perfici etiam per respectum ad eum qui altioris est naturae, unde eius motionem opportune recipiat, sicut homo, quantumcumque perfectus sit, indiget adiuvari a Deo. Non enim sufficit ut instrumentum musicum sit in se bene aptum secundum omnes suas partes et ordinem earum; nisi enim omni etiam attritu liber evadat, non potest ab artifice delectabiliter pulsari. Ergo praeterquamquod homo debet perfici secundum animae potentias, in quantum istae ratione supernaturali ducuntur, necesse est etiam ut flexibilis reddatur, unde a Spiritu Sancto congrue moveri queat [1].

3. — Differentia inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem. — Porro, necessitas ponendi dona ulterius apparet ex distinctione inter ordinem naturalem, et ordinem supernaturalem: siquidem in ordine naturali non ponuntur aliqui habitus quasi medii inter virtutes et actum secundum, sicut ponuntur dona in ordine supernaturali. Cuius ratio desumitur ex diversitate principii moventis in ordine naturali, a principio movente in ordine supernaturali. Nam, in illo, principium movens proportionatum est intrinsecum, scilicet ratio; in isto vero est extrinsecum, scilicet Deus. Porro, perfectio mobilis, in quantum est mobile, est dispositio qua mobile disponitur ad hoc quod bene moveatur a suo motore. Iamvero, in iis quae sunt ordinis naturalis sufficit, tanquam principium movens, ipsa ratio, cum haec mobili proportionatur: ideoque in hoc ordine habetur virtutum plena possessio, in quibus perfectio ipsius hominis sufficienter consistit. Sed in iis quae sunt ordinis supernaturalis, non sufficit instinctus rationis, sed requiritur instinctus Spiritus Sancti, ideoque virtutum infusarum non habetur perfecta possessio; et cum Spiritus Sanctus sit movens altior quam

1. Ad 1^m, Cf. GAUME, Traité du Saint-Esprit, T. II. C. XXV, seqq.

sit mobile, ideo oportet hominem interius disponi per aliquid aliud a virtute, sicut oportet discipulum perfectius disponi ad hoc quod capiat altiorem doctrinam a doctore.

Unde dona non sunt idem ac virtutes; nec recte diceretur quod virtutes ordinantur ad bene operandum, dona vero ad resistendum: nam unumquodque resistit naturaliter suo contrario: sed virtutes infusae sunt quibus homo ordinatur ad bonum operandum et malum vitandum in ordine supernaturali, dona vero sunt quibus ordinatur ad bene sequendum ductum Spiritus Sancti, unde etiam dici solent data in adiutorium virtutum: *quicumque enim Spiritu Dei aguntur*, ait S. Paulus[1], *ii sunt filii Dei:* et regius Psaltes obtestabatur[2]: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*[3]. Cum igitur Christus perfectissime habuerit omnes virtutes, sequitur ut statuatur sequens

4. — PROP. — **In Christo fuerunt excellentissime dona Spiritus Sancti.**

Propositio haec continetur expressis verbis in SACRA SCRIPTURA[4]: *Requiescet super eum* (scilicet florem Christum) *Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Unde Glossa, super illud Isaiae[5]: *Apprehendent septem mulieres virum unum*, dicit illas esse septem dona Spiritus Sancti per respectum ad Christum. Pariter legimus[6]: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est*, etc.; et[7]: *Iesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Iordane, et agebatur a Spiritu in desertum.* Unde S. Gregorius concludit[8]: *Spiritus Sanctus humanitatem Christi nunquam deseruit, ex cuius divinitate procedit.*

5. — **Prob. rat. theol.** — Anima Christi α) perfectissime a Spiritu Sancto movebatur, necnon β) plenissimam gratiam habuit; denique γ) Christi ipsius humanitas propinquissime coniuncta est, tanquam instrumentum proprium, Divinitati, cuius est Spiritum Sanctum dare, iuxta illud[9]: *Dedit dona hominibus*[10]. Ergo mani-

1. Rom. VIII, 14. — 2. Ps. CXLII, 10. — 3. *Cf.* I 2ae, Quaest. LXVIII. — 4. Is. XI, 2, 3. — 5. C. IV, 1. — 6. Io., I, 33. — 7. Luc. IV, 1. — 8. L. II, Mor. c. ult. — 9. Eph. IV, 8. — 10. Ad 2m.

festum est quod in Christo fuerint excellentissime dona. — *Consequentia* facile patescit.

6. — Tacita obiectio. — Nec obstat quod quatuor inter dona videntur pertinere ad contemplationem viae, scilicet sapientia, scientia, intellectus, et consilium quod ad prudentiam pertinet, quae quatuor etiam inter virtutes intellectuales numerantur: nam Christus non modo habuit cognitionem patriae, sed etiam cognitionem viae; aliunde et ipsa dona in patria remanebunt, licet non secundum eumdem actum[1]; quia dona habebunt in patria suos actus circa ea quae pertinent ad vitam contemplativam, non autem circa ea quae pertinent ad vitam activam; ideoque remanebunt secundum essentiam, sed non secundum eumdem operandi modum, ut explicat S. Gregorius[2]; unde nullimode est negandum dona esse ponenda in Christo.

7. — Scholion. — In Christo fuerunt etiam beatitudines et fructus Spiritus Sancti. Beatitudines quidem sunt operationes virtutum perfectarum per dona aut etiam operationes ipsorum donorum; et quatenus actus huiusmodi *perficiunt* operantem, dicuntur beatitudines; quatenus vero eum *delectant*, dicuntur fructus. Christus vero perfectissimam operationem et virtutum et donorum habuit, in qua exercitatione magnam expertus est delectationem[3].

ARTICULUS VI. — *Utrum in Christo fuerit donum timoris.*

1. — Ratio dubitandi. — Timor potest esse et passio et donum. Secundum quod est passio, est motus appetitus sensitivi in apprehensionem mali futuri terribilis, cui difficile resisti potest. Secundum autem quod est donum, est habitus quo homo movetur a Spiritu Sancto, ut abstineat a malo peccati propter reverentiam Dei. Porro, quod in Christo fuerit passio vel motus timoris, inferius[4] declarabitur; ratio autem dubitandi circa timoris donum

1. Ad 3^m. — 2. L. I Mor, c. 15, cf. I 2^ae, Quaest. LXVIII, a. 6, ad 3^m. — 3. Cf. I 2^ae, Quaest. LXIX et LXX. — 4. Quaest. XV, a. 7.

est, quia Christus non videtur potuisse peccati malo subiacere. Unde Abailardus, teste S. Bernardo[1], Christo inesse timoris donum negavit, quem tamen errorem Innocentius II condemnavit[2].

2. — Quotuplex sit timor. — Porro, distinguendum est duplex obiectum timoris : *aliud*, quod est ipsum terribile malum, sicut mors, *aliud* vero quod est ille, cuius potestate malum inferri valet, qualis est rex, qui occidendi habet potestatem. Ille autem qui timetur eo quod nocendi potestatem habeat, in tantum timetur, in quantum quamdam eminentiam potestatis possideat, cui de facili resisti non possit : ea enim quae in promptu habemus repellere, non timemus : unde aliquis non timetur, nisi propter suam eminentiam.

Porro, malum peccati duplex est, scilicet, malum culpae et malum poenae, ideoque ex parte ipsius mali terribilis, alius distinguitur timor *castus*, quo quis timet separationem a Deo per culpam, et alius timor *servilis*, quo quis timet puniri a superiore pro culpa commissa. Ex parte vero eius cuius potestate malum inferri potest, est timor *reverentialis*, quo quis reveretur superiorem propter eius eminentiam. Timor autem *filialis* potest esse simul timor castus et reverentialis, secundum quod habet duos actus : scilicet revereri Deum, et timere separationem ab eo ; quorum duorum actuum prior, scilicet revereri Deum, est potior et formalissimus, et manet in beatis ; alter vero convenit viatoribus. Revera, habitus virtutum et donorum proprie et per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti ; nam ad rationem virtutis pertinet ut opus bonum reddat ; ideoque de ratione formali doni timoris non est illud malum quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet divini, cuius potestate aliquod malum infligi potest[3].

Timor vero servilis distinguitur specifice a timore filiali ; nam timor servilis in sua ratione charitatem non includit, quam includit timor filialis[4]. Aucta vero charitate, timor filialis augetur, diminuitur vero timor servilis, non quidem secundum substantiam, sed secundum actum eius[5].

3. — PROP. — In Christo α) non fuit timor castus, nec

1. Ep. 190. — 2. Ep. 194, inter Ep. S. Bern. — 3. Ad 1^m. — 4. 2 2^ae, Quaest. XIX, art. 3. — 5. Ibid. art. 10.

timor servilis, β) sed timor filialis, quoad Dei reverentiam.

Prob. 1ª Pars. — Nam Christus non timuit separari a Deo per peccatum, nec puniri ab eo propter culpam; fuit enim omnino impeccabilis, ut infra ostendetur[1]. Huc quoque facit quod in Christo fuerit perfectissime charitas, secundum illud[2] : *Scire... supereminentem scientiae charitatem Christi.* Atqui *perfecta charitas foras mittit timorem*[3], scilicet servilem, qui principaliter respicit poenam; et si charitas sit consummata, foras mittit etiam timorem castum. Ergo in Christo defuit timor, non solum servilis, sed etiam castus[4].

4. — 2ª Pars ostenditur ex eo Isaiae[5] : *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* Revera, anima Christi summo reverentiae affectu movebatur in Deum a Spiritu Sancto acta; unde dicitur quod *exauditus est pro sua reverentia*[6]. Quem locum commentans S. Anselmus, ait[7] : *Pro sua reverentia in Deum, id est, propter quod ipse super omnia Patrem reveritus est et honoravit.* Hunc autem reverentiae affectum ad Deum Christus, secundum quod homo, prae omnibus habuit pleniorem, propter maiorem cognitionem et Dei et suimet; unde Sacra Scriptura ei attribuit plenitudinem doni timoris.

5. — *Confirmatur ex eo quod et ipsi beati spiritus timore reverentiali in Deum afficiuntur. *Ipsae quoque virtutes coelestium,* ait S. Gregorius[8], *quae hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt; sed idem tremor, ne eis poenalis sit, non timoris est, sed admirationis.* Et auctor libri de *coelesti Hierarchia*[9] dicit quod velatio Seraphim, de qua loquitur Isaias[10], significat sacram illam ac plenam horroris venerationem, qua sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorrescunt.

Ex huiusmodi autem timore, consecuta est in anima Christi perfectissima humilitas : *ex hoc enim quod quis perfecte timet Deum, consequens est quod non quaerat magnificari in seipso per superbiam,* ait S. Thomas[11].

1. Q. XV, a. 1 et 2. — 2. Eph. III, 19. — 3. 1, Io. IV, 18. — 4. Ad 2^m^ et 3^m^. — 5. C. XI, 3. — 6. Hebr. V, 7. — 7. In Ep. ad Hebr. c. 5. — 8. L. XVII Mor. c. 15. — 9. C. 13. — 10. C. VI. — 11. 2 2^ae^, Quaest. cit. a. 12.

6. — **Scholion.** — Porro, cum donum timoris respondet virtuti spei[1], sedulo advertendum est hoc quod dictum est, Christum donum timoris habere, non importare quod Christus virtutem spei habuerit; quia, cum virtus spei respicit non solum auctorem boni, sed etiam ipsum bonum, in quantum est non habitum, Christus vero perfectum habuerit beatitudinis bonum, ideo spei virtute theologica omnino caruit, ut dictum est; habuit tamen timoris donum, propter suam magnam in Deum reverentiam[2]. — Revera, fuit in Christo contemplatio divinae eminentiae utique in ordine ad eius potestatem, quantum est de se, infligendi malum; at quia sciebat anima Christi determinationem divinae voluntatis ad non causandum in se huiusmodi malum, ideo omnino secura erat, absque omni mali suspicione; et propterea donum timoris erat in eo, absque tamen timore mali possibilis fugiendi. At, aliud dicendum est de spe, licet spes, non secus ac timor per se primo respiciat bonum : commune enim dono et virtuti est per se primo respicere bonum. Virtus enim spei secundum propriam spei rationem, directe respicit bonum, scilicet beatitudinem non habitam : timor autem, licet, secundum propriam timoris rationem directe respiciat malum, tamen elevatus in celsitudinem doni, non retinet ea quae se tenent ex parte mali, sed tendit ad id quod se tenet ex parte boni : ideoque donum timoris in Christo *minimum retinuit de adspectu ad malum, dum in solum tendebat actorem mali, non ut exercitivum, sed ut in se potentem causare malum*[3].

ARTICULUS VII. — *Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae.*

1. — **Quid sit gratia gratis data.** — Gratia gratis data *late* sumpta non dividitur contra gratiam gratum facientem, sed se habet ad illam veluti genus; *stricte* vero accepta contra eam dividitur, retinens, utpote species minus nobilis, nomen generis. Revera, gratia gratum faciens ordinat hominem immediate ad

1. I 2ae, Quaest. XIX. — 2. Ad 1um. — 3. Caiet., h. l.

coniunctionem cum ultimo fine; gratia vero gratis data eum ordinat ad quaedam praeparatoria ultimi finis. Ordinantur enim gratiae gratis datae ad manifestationem fidei et doctrinae spiritualis; ideoque in utilitatem aliorum dantur, potiusquam in utilitatem habentis, eo scilicet fine, ut hic cooperetur alteri ad hoc quod iste fidei praedicationi acquiescat; unde non repugnat huiusmodi charismata interdum inveniri posse etiam in illis qui gratia sanctificante carent.

2. — Quotuplex sit. — Porro, gratiae datae gratis ita a S. Paulo recensentur[1]: *Unicuique... datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eumdem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alii gratia sanitatum in uno spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum: haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Quae quidem enumeratio ratione non vacat: nam qui efficaciter alios in fide instruere cupit, debet *primo* plenitudine cognitionis pollere, *secundo* ea quae tradit, opportunis signis confirmare, *tertio* demum illamet congrue audientibus exponere. Quorum primum fieri opportune non valet, nisi erudiens bene se habeat, tum circa prima principia, tum circa principaliores conclusiones, tum circa usum exemplorum ad conclusiones illustrandas; ideoque primum complectitur *fidem, sermonem sapientiae, necnon sermonem scientiae*. Secundum vero fit, pro iis quae subduntur rationi, per argumenta; pro iis autem quae sunt supra rationem, per miraculorum patrationem, et quidem tum per *gratiam sanitatum*, tum per *operationem virtutum*, tum per *prophetiam*, tum denique per *discretionem Spirituum*. Tandem, ad rectam enunciationem eorum quae fidei sunt, indiget catechista ut polleat tum *genere linguarum*, tum *interpretatione sermonum*[2].

1. 1, Cor. XII, 7 et seqq. — 2. Quaerenti quanam ratione praedicta novem genera gratiarum distinguantur, respondetur specifice haec tria distingui: scilicet prophetiam, donum linguarum et operationem miraculorum: caetera enim sive ad prophetiam, sive ad miraculorum operationem reducuntur: sic, sub prophetia continentur fides, sapientia, scientia,

Ubi notabitur quod fides hic posita non est virtus theologica, sed significat excellentem et firmam cognitionem rerum fidei, promptitudinem ad illas proponendas, fidei fervorem et fiduciam faciendi miracula, iuxta illud[1] : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.*

3. — PROP. — **In Christo excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae.**

Prob. Oportet eum qui perfectissime docet, habere excellentissimo modo ea per quae sua doctrina manifestetur, secus sua doctrina undequaque utilis non erit. Atqui Christus est primus et principalis doctor veritatis spiritualis et fidei, iuxta illud[2] : *Cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis.* Ergo in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae, sicut in primo et principali fidei doctore, ut abunde patet percurrendo per singula. Unde de ipso dicitur[3] quod *fuit vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.*

4. — **Adnotandum.** — *Excellentissime* dictae sunt gratiae gratis datae esse in Christo, ad distinctionem earumdem in aliis sanctis. Nam aliis quidem sanctis *divisiones... gratiarum sunt*[4] ; Christo vero donum illud plenissime collatum est. Cuius ratio est, quia alii sancti moventur a Deo sicut instrumenta non unita sed separata; ideoque efficaciam recipiunt particulariter ad hos vel ad illos actus perficiendos, sicut S. Petro videtur singulari modo data fuisse gratia sanitatum, S. Paulo sermo sapientiae, S. Antonio Paduano operatio virtutum, S. Thomae Aquinati interpretatio sermonum, etc., secundum illud apostoli[5] : *Numquid omnes apostoli, numquid omnes prophetae, numquid omnes doctores, numquid omnes virtutes,* etc. Sed, humana natura assumpta, secundum quam Christo competebat habere gratiam, coniunctissime erat unita divinitati illius, secundum quam eidem Christo com-

discretio spirituum et interpretatio sermorum (Cf. 2, 2ae Quaest. CLXXI, art. 3, ad 3m); ad operationem vero miraculorum pertinet gratia sanitatum (Ibid. Quaest. CLXXVIII, art. 1, ad 4m).

1. Luc. XVII, 6. — 2. Hebr. II, 3, 4. — 3. Luc. XXIV, 19. — 4. 1, Cor. XII, 4. — 5. Ibid, 29, 30.

petit dare gratiam, utpote qui est aeternus Dei Filius, et appellatur *Dei virtus et Dei sapientia*[1] : ideoque Christus non ad mensuram accepit Spiritum[2], sive intelligatur nomine Spiritus gratia habitualis, quae ordinatur ad actus meritorios tum interiores, tum exteriores, sive intelligatur gratia gratis data, quae, ut dictum est, ordinatur ad quosdam actus exteriores fidei manifestativos. Unde Christus dicitur[3] *plenus gratiae et veritatis*, et Augustinus ait:[4] *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratiae*[5].

5. — Scholion. — De *genere linguarum* seu glossolalia, dubitatur utrum fuerit in Christo, cum non legitur unquam illo dono usus fuisse; aliunde, cum gratiae gratis datae conceduntur in fidelium utilitatem, videntur inutiliter concedi, nisi homo eis aliquando utatur : nam *sapientia absconsa et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque*[6] ? Attamen huiusmodi omnium linguarum notitia dicenda est non defuisse Christo, quod ostenditur ex eo quod etiam occulta cordium ab eo non fuerunt abscondita, quorum quidem voces quaecumque non sunt nisi signa. Quod autem tali notitia Christus non sit usus, hoc ideo fuit quia, dum apostolos miserit ad docendas omnes gentes, in una sola Iudaeorum gente ipse voluit personaliter praedicare, secundum illud[7] : *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel;* et[8]: *Dico... Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis,* id est populi iudaici. Unde apostolis datum est donum linguarum, quo uterentur; at non oportuit ut Christus tali dono uteretur; nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit, sicut non inutiliter habet aliquem habitum ille qui eo non utitur, quando non est opportunum[9].

ARTICULUS VIII. — *Utrum in Christo fuerit prophetia.*

1. — Quid ad prophetiam requiratur. — Propheta

1. Ad 2^m^.— 2. Io., III, 34. — 3. Ibid., I, 14.— 4. In Ep. ad Dard. 57. — 5. Ad 1^m^.— 6. Eccli. XX, 32.— 7. Matth., XV, 24.— 8. Rom., XV, 8. — 9. Ad 3^m^.

(προφητης a πρόφημι *praedico*[1]) dicitur ille qui quasi procul sive a longe videns, vel a longe fans seu loquens, cognoscit et loquitur ea quae procul sunt ab hominum, cum quibus conversatur et communicat in statu viae, communibus sensibus. Unde, non potest aliquis dici propheta ex hoc quod cognoscit et annuntiat ea quae procul sunt aliis cum quibus ipse non est: sicut si quis in Syria existens annuntiaret ea quae ibi sunt hominibus in Gallia existentibus, propheticum non esset, sicut nec propheticum est, quod quid posteritati annuntiet ea quae tempore suo sunt acta.

Igitur, ad naturam prophetiae necesse est ut propheta cognoscat et annuntiet ea quae iis, cum quibus ipse est, sunt procul, sive secundum locum sive secundum tempus. Secundum *locum*, sicut propheticum fuit quod Helisaeus ad Giesi dixit, scilicet quomodo Naaman de curru descenderat et occurrerat ei : *Nonne cor meum in praesenti erat, quando reversus est homo* (Naaman) *de curru suo in occursum tui ? Nunc igitur accepisti argentum et accepisti vestes*[2]. Secundum *tempus*, sicut propheticum fuit quod Isaias praenuntiavit Cyrum, Persarum regem, templum Dei esse aedificaturum[3] : *Qui dicit Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Hierusalem : Aedificaberis, et templo : Fundaberis;* non autem propheticum fuit quod Esdras hoc scripserit, cuius tempore impletum est. Unde, quando dicitur quod ad rationem prophetiae requiritur ut propheta videat et annuntiet ea quae sunt procul iis cum quibus ipse est, requiritur non tam ut ista sint aliis procul, sed maxime ut sint sibi procul sive secundum rationem cognitionis, scilicet vel secundum tempus, vel secundum locum, sive secundum rationem status viatoris; et hac de causa, quod Deus aut angeli vel etiam beati cognoscant et annuntient ea quae procul sunt a nostra notitia, hoc ad prophetiam non pertinet, quia in nullo nostrum statum illi attingunt.

2. — Quid de ratione prophetiae non sit. — Sed ulterius

1. Aut etiam secundum Angelicum (2, 2^ae^ Quaest. CLXX, art. 1) a πρό, quod est *procul*, et φανός, quod est *apparitio*; unde S. Isidorus (l. VII Etymol. c. 8) dicit quod prophetae possunt dici quasi *praefatores*, quia *porro fantur*, id est a remotis fantur, et de futuris vera praedicunt (Ibid.) — 2. 4 Reg. V, 26. — 3. Is., XLIV, 28.

notandum est *obscuritatem* rei cognitae et annunciatae non esse de ratione prophetiae, ut hic innuitur[1], et expressius alibi[2] docetur : *Per* (prophetiam) *removetur obscuritatis et ignorantiae velamen;* ideoque tanto excellentior est gradus propheticus, quanto clarius aliquis divinam Essentiam viderit : unde Moyses excellentissimus propheta fuisse dicitur, cui Deus se facie ad faciem videndum praebuit. Quanquam ordinarie contingat in puris viatoribus quod imperfecte prophetent, id est, non cum plena cognitione, sed cum quadam obscuritate ; unde dicitur[3] : *Ex parte prophetamus.* Sed hic locus potest etiam intelligi ex parte illius propter quem prophetia fit.

Praetera de ratione prophetiae non est *aenigmatica cognitio*, ea nempe quae est per somnium et in visione : unde et Moyses, qui palam et non in aenigmate Deum vidit, propheta est dictus[4] : *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses*[5]. Unde quod dicitur[6] : *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, debet referri ad quoddam prophetarum genus, non autem ad statum prophetae per se et in se consideratum.

Hoc igitur intercedit inter *prophetiam* et *fidem* ac *spem*, quod imperfectio cognitionis non est de ratione formali prophetiae, quemadmodum est de ratione formali fidei, et quemadmodum imperfectio possessionis est de ratione formali spei : fides enim est eorum quae non videntur ab ipso credente, et spes eorum quae non habentur ab ipso sperante ; sed prophetia est eorum quae sunt procul a communi sensu hominum cum quibus propheta conversatur et communicat in statu viae[7].

3. — Errores. — Videtur Tertullianus[8] negasse Christum, secundum rei veritatem, fuisse prophetam ; quam sententiam Abulensis[9] suscepit, dicens Christum nonnisi vulgi appellatione prophetam extitisse. Contra quos sit

4. — PROP. — In Christo fuit prophetia excellentissimo modo.

1. Ad 1^m. — 2. 2 2^ae, Quaest. CLXXI, a. 1, ad 4^m. — 3. 1. Cor. XIII, 9. — 4. Deut. XXXIV, 10. — 5. Ad 1^m. — 6. Num. XII, 6. — 7. Ad 2^m. — 8. L. IV, C. Marc. c. 22. — 9. Sup. Num.

Prob. α) **ex S. Scriptura.** — Praedictum fuerat in Deuteronomio [1] : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus*; quod de Christo intelligunt Petrus et Stephanus [2]. Rursus, Christus sibi ipse alludens, ait [3] : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua*; de quo vicissim dicebant omnes [4] : *Propheta magnus surrexit in nobis*; et Samaritana illum alloquebatur dicens [5] : *Video quia propheta es tu.* Denique Christus invenitur plura, quae secundum statum communem viatorum erant remota, annuntiasse, tum circa semetipsum, tum etiam circa alios : siquidem annuntiavit suimetipsius traditionem, mortem, et resurrectionem; item civitatis Hierusalem eversionem praedixit, secretas cordium cogitationes in lucem protulit, trinam Petri negationem annuntiavit, etc.

5. — β) **Rat. theol.** — Christus ante suam passionem fuit simul comprehensor et viator; et quidem, qua comprehensor, habuit plenam et apertam rerum divinarum notitiam, ideoque cognitionem eorum quae sunt procul ab hominum sensibus : qua vero viator, statum nostrum attigit; ideoque cognovit et annuntiavit ea quae erant procul a notitia hominum viatorum cum quibus conversabatur. Ergo fuit propheta. Et quia talis cognitio non fuit in ipso per aenigma aut per somnium, sed per apertam visionem divinae Essentiae, qua visione perfectissimo modo fruebatur, ideo Christus fuit propheta κατ' ἐξοχήν. Quanquam et nihil ipsi defuit eorum quae in parte imaginativa in aliis prophetis habentur, quantum ad similitudines in quibus speculantur divina : his enim nec Christus caruit [6].

6. — **Confirmatur.** — Cum prophetia sit cognitio per lumen divinum, lumen autem divinum omnia cognoscibilia, tam divina quam humana, complectatur, ideo prophetia tanto altior est, quanto ad plura sic cognoscibilia se extendit, et consequenter quanto ista longius ab humana cognitione existunt. Atqui sunt α) aliqua quae sunt longe a cognitione huius hominis, non

1. C.XVIII, 15. — 2. Act. III, 22; VII, 37. Cf. Io. I, 45. Cf. etiam Irenae., l. III, C. Haer. c. 12; S. Cyrill. l. I. in Io., c. 24; S. Aug. l. XVI, c. Faust, c. 18, etc., necnon ea quae diximus superius. — 3. Matth., XIII, 57. — 4. Luc. VII, 16. — 5. Io., IV, 19. — 6. Ad 1^m.

autem a cognitione omnium hominum, sicut fuit prophetica cognitio in Helisaeo de iis quae Giesi in via gesserat; et talis est etiam scrutatio cordium et revelatio secretorum, quae tamen res homini naturaliter perviae esse possunt. β) Alia autem sunt quae sunt longe ab omnium hominum notitia, non quia cognoscibilia non sint, sed quia deficit medium ad talia manifestanda: cuiusmodi est, verbi gratia, mysterium SSmae Trinitatis. Denique γ) aliqua sunt quae ab omnium hominum notitia procul sunt, quia in seipsis cognoscibilia non sunt, cum nondum habeant esse ab obiecto determinatum, cuiusmodi sunt futura contingentia. Et quia ea quae sunt universaliter et per se, potiora sunt iis quae sunt particulariter et per aliud; cognitio autem eorum quae omnino nondum sunt, est simpliciter et per se procul a cognoscente, ideo revelatio eventuum futurorum contingentium quae omnino nondum sunt, magis proprie pertinet ad rationem prophetae. Atqui Dominus Noster plura futura contingentia annuntiasse legitur. Ergo ipsi propriissime competit ratio nomenque prophetae [1].

7. — **Solvitur tacita obiectio.** — Igitur non obstat quod Christus fuerit comprehensor: quia cum simul fuit viator secundum statum, ideo cognitio quam habuit de eis quae sic revelabat, fuit cognitio ipsi secundum hunc statum procul habita; unde dum nec Deus nec beatus munus prophetae exercere valent, propterea quod ea quae annuntiant nullimode sunt ipsis procul, scilicet nec secundum cognitionem, nec secundum statum, attamen Christus mortaliter degens fuit optimus propheta. — Ubi patet quod S. Doctor perfectius hic veritatem attigisse videtur quam antea attigerat [2]. Dixerat enim quod anima Christi cognovit in Verbo futura contingentia, consilium cogitationes et alia huiusmodi, at non cognitione prophetiae, *quia prophetia est quaedam imperfecta participatio illius visionis, qua videntur res in Verbo, quae cum in Christo perfecta fuerit, imperfectio prophetiae in Christo locum non habuit.* Hic autem altius rem hanc considerans, ait quod visio beatifica, quae quidem in ipso omnem obscuritatem expulit, fuit causa cur prophetia in ipso fuerit, non quidem ex qua

1. Cf. 2 2ae, Quaest. CLXXI, art. 3. — 2. Qq. disp. de Veritate XX, 6.

parte erat comprehensoris visio, sed ex qua parte erat visio alicuius qui secundum statum viator erat. Carentia igitur imperfectionis propheticae visionis non adimit Christo prophetae conditionem.

8. — ***Corollarium.*** — Ex hoc autem deducimus prophetiam, etsi in puris hominibus passio sit transiens et non habitus permanens, ex eo quod eorum cognitio non se extendit ad omnia revelabilia, cum non videant divinam Essentiam quae est principium totius veritatis revelabilis, in Christo tamen fuisse habitum permanentem, ex eo quod permanens ipsi erat divinae Essentiae visio : cum quo tamen stat quod gratia miraculorum in Christo habitus non fuerit : secus enim Cristus debuisset habere divinam omnipotentiam, cum potestas miracula patrandi se extendat ad omnia divinitus factibilia : nulla quippe res est, ad cuius cognitionem aliqualiter habendam requiratur virtus infinita; sunt autem aliqua quae nonnisi a virtute infinita fieri possunt[1].

9. — **Scholion.** — Licet Christus, secundum humanam naturam et corporis passionem, sit angelis minor[2], tamen secundum notitiam animae, et consequenter ut propheta fuit, ipsis longe superior extitit. Revera, licet propheticae revelationes soleant fieri per medium angelorum, prophetae mentem collustrantium, Christus tamen ab angelis nihil didicit, cum multo perfectius quam ipsi divinam Essentiam viderit, et in ipsa, tanquam in principio, omnia cognoscibilia et manifestabilia cognoverit, propter quod etiam omnia quae prophetico modo cognosci possunt, perfectissime comprehendit. E contra, si agatur de propheta qui est purus viator, angelus, tanquam superior, illum edocet ; unde etiam de Moyse, qui fuit supremus inter puros prophetas[3], dicitur[4] quod locutus est cum angelo in solitudine[5].

ARTICULUS IX. — *Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiae.*

1. — **Ratio articuli.** — In hoc et sequentibus articulis, S. Do-

1. 3, Quaest. XIII, art. 1, ad 3^m. — 2. Hebr. II, 9. — 3. Cf. 2 2^ae, Quaest. CLXXIV, a. 4. — 4. Act. VII, 30, 38. — 5. Ad 3^m.

ctor quaerit de gratia Christi secundum illius quantitatem. Porro aliquid dicitur plene haberi, quando totaliter et perfecte habetur. Totalitas autem et perfectio dupliciter attendi potest : *uno modo*, quantum ad quantitatem intensivam, sicut si quis albedinem plene habere dicatur, eo quod illam habeat quantumcumque nata sit haberi. *Alio modo*, quantum ad virtutem, sicut si quis dicatur plene habere vitam, eo quod eam habeat secundum omnes effectus vel opera vitae, sicut homo plene habet vitam, non autem brutum animal vel planta, quia homo habet vitam secundum omnes vitae effectus, puta, secundum effectum vegetandi, sentiendi et intelligendi, plantae autem et bruta non habent vitam, nisi secundum aliquos horum effectuum. Quaestio igitur hic est utrum Christus habuerit plenitudinem sive totalitatem gratiae utroque modo, ideoque non in genere aliquo, sed simpliciter.

2. — **Praenotanda.**— Ubi praemonendum est quod plenitudo gratiae quae hic adscribitur, non est plenitudo essentialis, sed est plenitudo participata, quae attribuitur animae Christi secundum capacitatem creaturae, non naturalem sed obedientialem, et quidem secundum Dei potentiam ordinatam : *omne* (enim) *datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*[1]. — Ulterius quoque distinguendum est inter plenitudinem *gratiae*, et plenitudinem *donorum gratiae*. Nam gratia, secundum formalem rationem gratiae, non est in Deo, cum Deus sit essentialis bonitas et non participative; sed dona gratiae sunt formaliter in Deo, ut patet de intellectu, sapientia, etc. Unde plenitudo donorum gratiae est formaliter in Deo; plenitudo autem gratiae hic dicitur esse formaliter in anima Christi[2].

3. — PROP. — **Christus habuit gratiae plenitudinem tum α) secundum quantitatem intensivam, tum β) secundum virtutem.**

Haec propositio *generaliter* resultat ex plurimis S. Scripturae locis. Sic[3] : *Vidimus* (eum)... *plenum gratiae et veritatis;... de plenitudine eius nos omnes accepimus ;* pariter[4] : *Iesus... plenus Spi-*

1. Iac. I, 17. — 2. Haec distinctio fundatur in iis quae habentur in 3ª difficultate. — 3. Io. I, 14, 16. — 4. Luc. IV, 1.

ritu Sancto; et[1]: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Quocirca S. Ioannes Chrysostomus, commentans illud[2]: *Diffusa est gratia in labiis tuis,* ait[3]: *Omnis gratia effusa est in illud templum. Non dat enim ille Spiritum in mensura: nos quidem de eius plenitudine accepimus; illud autem templum integram et universam accepit gratiam... Sed illic quidem est integra et universa gratia: in hominibus vero parum quid et gutta ex illa gratia.*

4. — **Prob. 1ª pars.** — Qui gratiam habuit in summo, id est secundum perfectissimum modum quo potest haberi, habuit plenitudinem eius secundum quantitatem intensivam. Atqui Christus gratiam habuit in summo. Ergo habuit gratiae plenitudinem secundum quantitatem intensivam.

Prob. minor duplici argumento. — *Primo*, ex propinquitate animae Christi ad causam gratiae. Quanto aliquod receptivum propinquius est causae influenti, tanto abundantius de ea recipit. Atqui anima Christi, inter omnes creaturas rationales, propinquius coniungebatur Deo. Ergo maximam recepit influentiam gratiae eius.

Secundo, ex comparatione gratiae Christi ad effectum. Qui recipit gratiam, ita ut quodammodo transfundatur in alios, eam recipit in summo: sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus. Atqui anima Christi recepit gratiam ut quodammodo transfunderetur in alios. Ergo habuit maximam gratiam. Porro, quod a Christo gratia transfundatur in alios, non excludit quin Deus sit principalis gratiae auctor: sed ponit quod Christo competit gratiam dare; quonam autem modo, dicetur in subsequenti quaestione.

5. — ***Corollarium.** — Est igitur summum possibile admittendum in gratia, sceus Christus non haberet gratiam in summo intensive, sicut non haberetur albedo in summo, si possibile esset dari albedinem intensiorem[4].

6. — **Prob. 2ª Pars.** — Qui habet gratiam ad omnes operationes vel effectus gratiae, plenitudinem gratiae habet quantum ad virtutem. Atqui Christus habuit gratiam ad omnes opera-

1. Col. II, 9. — 2. Ps. XLIV. — 3. In h. Ps. nn. 2, 3. — 4. Caiet.

tiones vel effectus gratiae; nam conferebatur Christo gratia, tanquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam, virtus vero primi principii alicuius generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis, sicut sol, si est universalis causa generationis, virtutem etiam habet quae se extendit ad omnia quae sub generatione cadunt. Ergo Christus habuit plenitudinem gratiae secundum virtutem, in quantum eius gratia se extendit ad omnes gratiae effectus, qui sunt virtutes et dona, aliaque huiusmodi.

7. — *Notanda. — I. Advertendum tamen est quod, cum dicitur quod Christo collata est gratia, tanquam universali principio in genere habentium gratiam, hoc non debet intelligi quasi Christus sit contentus sub ipso genere habentium gratiam, cum habeat gratiam non per adoptionem, sed per naturam. Unde sensus est quod, cum sit universale principium in genere habentium taliter gratiam, eius gratia se debet extendere ad omnes gratiae effectus, sicut si sol esset universale principium generabilium secundum naturam, eius virtus se extenderet ad omnia generabilia in natura[1].

II. Nec ex hoc quod in Christo fuit plenitudo gratiae ad omnes eius effectus, debet concludi quod in ipso fuerit fides et spes; nam in Christo, qui est gratiae auctor, non fuerunt defectus: fides vero et spes nominant effectus gratiae cum quodam defectu qui est ex parte recipientis gratiam, scilicet, in quantum fides est de non visis et spes de non habitis: ideoque huiusmodi defectus non potuerunt esse in Christo; sed quidquid perfectionis est in fide et in spe, in Christo multo perfectius extitit, sicut in igne non sunt omnes modi caloris defectivi ex defectu subiecti; sed quidquid ad perfectionem caloris pertinere potest, in ipso igne praeexistit[2].

8. — *Difficultas. — Cum gratia distinguatur in operantem et cooperantem, ita quod prior sit illa in qua mens nostra est tantummodo mota et Deus solus movens[3], posterior autem illa in qua mens nostra et movet et movetur, hinc constat quod, relate

1. Caiet. — 2. Ad 1^m. — 3. Cf. Tract. de Gratia, Quaest. CXI, a. 2.

ad priorem, operatio Deo tribuitur, relate vero ad alteram, operatio attribuitur non solum Deo, sed etiam animae[1]. Ex quo sequitur quod gratia operans ea est, per quam iustificatur impius, quod in Christo locum non habet, qui nunquam subiacuit peccato; ideoque non videtur fuisse in Christo plenitudo gratiae. — Unde sic : gratia operans iustificationem est in eo qui ex peccatore fit iustus. Atqui Christus nunquam fuit peccator. Ergo in Christo defuit gratia operans iustificationem.

Resp. *Dist. mai.* Per accidens, *conc.*; per se, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* Ad gratiam operantem pertinet per se facere iustum; sed quod iustum faciat ex impio, hoc accidit ei ex parte subiecti; in quantum peccatum invenitur in illo. Ergo et anima Christi fuit iustificata per gratiam operantem, secundum quod gratuito Deus illam movit ad iustificationem, ut per huiusmodi primam gratiam, anima Christi facta sit iusta et sancta a principio suae conceptionis, non quod antea fuerit peccatrix, sed nec quod aliquando fuerit non iusta, cum statim ac fuit assumpta fuerit huiusmodi gratia donata [2]. Nec defuit Christo gratia cooperans, secundum quod animam Christi Deus adiuvit, interius confirmando voluntatem ut ad actum perveniret, et exterius facultatem operandi praebendo; licet possit etiam dici gratia operans in Christo in quantum formaliter eius animam iustificavit, seu gratam Deo effecit, et gratia cooperans, in quantum fuit principium operis meritorii quod ex libero arbitrio procedit[3].

ARTICULUS X. — *Utrum plenitudo gratiae sit propria Christi.*

1. — Quotuplex sit gratiae plenitudo. — Tripliciter potest distingui gratiae plenitudo. *Uno modo*, ex parte subiecti, quae est ut tam plene habeatur gratia, quod sufficiat ad expellendum omne peccatum mortale et animam perducat ad meritum vitae aeternae, usque ad consecutionem gloriae, quae in plena Dei fruitione consistit. Haec plenitudo communis est omnibus sanctis, et ad illam omnes divinitus praeordinantur, secundum quod in

1. I, 2ae Quaest. CXI, a. 2. — 2. Ad 2um. — 3. I, 2ae, loc. cit.

ipsis est intensa gratia usque ad terminum praefixum eis a Deo, iuxta illud[1] : *Unicuique... nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

Alio modo, habetur plenitudo gratiae, pariter ex parte subiecti, quando non modo habetur gratia ad hominem Deo gratificandum, sed etiam sufficienter ad aliquod munus speciale, ad quod ordinatur, explendum. Revera, hoc pertinet ad excellentiam aliquorum, quod divinitus praeordinantur ad aliquod officium vel ad aliquem statum, aliorum officio vel statu superius, sicut B. Virgo electa est a Deo, ut esset Mater Unigeniti Dei, Stephanus ut esset idoneus testis et minister Dei, et Paulus ut esset egregius praedicator fidei. Et secundum hoc, una plenitudo gratiae est altera maior, secundum quod aliquis est divinitus praeordinatus ad altiorem statum. Et secundum hanc plenitudinem, B. Virgo dicta est *gratia plena*[2], et Stephanus *plenus gratia et fortitudine*[3]; Paulus quoque de se ipse testatur[4] : *Mihi omnium sanctorum minimo, data est gratia haec... illuminare omnes*, etc., quia nempe isti omnes fuerunt pleni gratia per comparationem ad semetipsos : scilicet, B. Virgo habuit gratiam sufficientem ut congrue esset Mater Dei, Stephanus ut idoneus esset testis Dei, et Paulus ut esset egregius praedicator et gentium apostolus.

Igitur, quod quis dicatur plenus gratia istis duobus modis, non est ex parte ipsius gratiae, sed ex parte *subiecti*, nempe in comparatione ad id ad quod homo est divinitus praeordinatus. Et utramque istam plenitudinem exoptat Ephesiis apostolus dicens[5] : *Scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*[6].

Tertio denique *modo* consideratur plenitudo gratiae, non ex parte subiecti, sed ex parte *ipsiusmet gratiae :* et sic dicitur esse plenitudo gratiae, ex eo quod quis pertingit ad summum gratiae, et quantum ad essentiam, et quantum ad virtutem : quantum ad essentiam, quia habet gratiam, et quidem in maxima

1. Ep. IV, 7. — 2. Luc. I, 28. — 3. Act. VI, 8. — 4. Eph. III, 8, 9. — 5. Ibid., 19. — 6. Cf. ad 1^m et 2^m.

excellentia qua haberi potest; quantum ad virtutem, quia habet illam in maxima extensione ad omnes gratiae effectus.

2. — PROP. — **Plenitudo gratiae** α) **quae attenditur ex parte ipsius gratiae est propria Christo**: β) **non autem plenitudo quae attenditur ex parte subiecti.**

Prob. 1ª pars. — Illa plenitudo quae Christo attribuitur, in quantum est Unigenitus a Patre, est propria Christo: esse enim Unigenitum Patris nulli alii convenit. Atqui plenitudo gratiae quae attenditur ex parte ipsius gratiae, attribuitur Christo ex eo quod est Unigenitus a Patre. Ergo plenitudo gratiae, quae attenditur ex parte ipsius gratiae, est propria Christo.

Prob. min., ex verbis S. Ioannis[1]: *Et Verbum caro factum est, ...et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Ubi, sive ly *plenum* referatur, constructione potius logica quam grammaticali, ad ly *Unigeniti*, sive ad subiectum principale, seu *Verbum*, sensus idem est, nempe rationem plenitudinis gratiae repeti debere in Christo ex eo quod Christus est Deus, ideoque hanc plenitudinem, tanquam sibi omnino propriam, vindicat. In graeco ly *plenum* refertur ad *Verbum*, sic: καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, quasi verba: *et vidimus*, usque ad: *a Patre*, debeant intra parenthesim concludi, sicut concluduntur in veteribus Missalis Romani necnon in pluribus Bibliorum exemplaribus. Nullo autem pacto fas est cum Erasmo ipsoque Caietano, coniungere verba: *plenus gratiae et veritatis*, cum verbis versiculi subsequentis, ita ut legatur: *Plenus gratiae et veritatis Ioannes*, etc.

3. — ***Confirmatur.** — Quod est in summo in aliquo genere, non convenit proprie nisi uni, sicut lux soli et calor igni. Atqui gratia est in summo in Christo. Ergo ipsi tantummodo proprie convenit plenitudo gratiae ex parte ipsius gratiae[2].

4. — **Prob. 2ª pars** ex iis quae superius exposita sunt[3]. — Ubi advertatur unumquemque sanctorum, in gratia sibi collata, attingere gradum, non qui commensuretur naturae principiis, sed qui

1. Cap. I. 14. — 2. Satolli, in h. l. — 3. N. 1.

correspondeat mensurae quam Deus ipse praefixerit. Nam tum prior, quae est *communis* omnibus sanctis, est quidem sufficiens ad merendum vitam aeternam, tum altera, quae est quibusdam sanctis *propria*, excellentiae eorum status et officii pariter convenit, sed huiusmodi plenitudines non absolutae sunt, sed respectivae, et a Christo communicantur secundum divinae Providentiae ordinem, sicut a sole caeteris stellis lux communicatur secundum quod istae aut altiorem, aut inferiorem dignitatis et pulchritudinis gradum in sua creatione sortitae fuerint.

5. — ***Scholion.** — Circa gratiae dona, quae sunt veluti quaedam animae dotes, advertendum est quod ista in patria sunt : *visio*, *comprehensio* et *fruitio*, quae correspondent donis gratiae in via, nempe *fidei*, *spei* et *charitati*. Nam cum in via non semper id cui creditur tenetur, et non semper id quod tenetur delectat : in patria tamen id quod videtur omnino tenetur, immo comprehenditur sine amissionis periculo, et id quod tenetur maximam causat delectationem[1]. Et quidem priora dona sunt sancti, communia in patria, posteriora vero sanctis communia in via, eo secundum quantitatem absolutam, sed secundum quantitatem respectivam : unde sunt quaedam praerogativae sanctorum sive in patria, sive in via, quae non habentur ab omnibus, licet quilibet sanctus in patria suam subiectivam plenitudinem habeat, secundum illud S. Gregorii[2] : *In illa coelesti patria ubi plenitudo est omnis boni, licet quaedam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter,* quod pariter de sanctis in via dicendum est[3].

ARTICULUS XI. — *Utrum gratia Christi sit infinita.*

1. — **Praenotandum.** — Cum Christus iam sciatur fuisse plenus gratia, sponte sequitur ut quaeratur utrum ista plenitudo ad rationem cuiusdam infinitatis pertigerit. Ubi non est sermo de gratia unionis, ut patet : cum enim gratia unionis non sit

1. Cf. 1, Quaest. XII, art. 7, ad 1[m]. — 2. Hom. de Centum ovib., XXXIV in Evang. — 3. Ad 3[m].

nisi ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod gratis est concessum humanae naturae, constat hanc gratiam esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita ; unde sermo est de gratia habituali, quae quidem dupliciter potest considerari : *uno modo*, prout est ens quoddam, *alio modo* secundum propriam gratiae rationem. Ulterius notandum est quod non repugnat rem aliquam sub uno respectu dici infinitam, quae tamen sub alio respectu finita maneat, sicut si linea aliqua esset infinita secundum longitudinem, licet finita sit secundum essentiam aut perfectionem.

2. — PROP. — **Gratia habitualis Christi, α) considerata prout est ens quoddam, est finita ; β) considerata vero secundum propriam gratiae rationem est infinita.**

Prob. 1ª Pars. — Gratia habitualis Christi, secundum quod est ens quoddam, est in anima Christi ut accidens in subiecto. Atqui anima Christi est creatura quaedam, et consequenter habet capacitatem finitam : ergo esse gratiae habitualis Christi non potest esse infinitum, cum accidens non possit excedere capacitem subiecti.

3. — ***Confirmatur.**—Omne creatum est finitum, cum contineatur sub certa intentione creantis, unde dicitur[1] : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*. Atqui gratia est quoddam creatum in anima. Ergo gratia animae Christi non est infinita.

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Qui habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae, habet gratiam infinitam secundum rationem gratiae. Atqui Christus habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae. Ergo Christus habet gratiam infinitam secundum rationem graciae.

Prob. minor.— I. Nam id quod ad rationem gratiae pertinet, non confertur Christo secundum aliquam certam mensuram, eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in natura humana, secundum illud[2] : *Gratificavit nos in*

1. Sap. XI, 21. — 2. Eph. I, 6.

dilecto Filio suo. Cuius rei exemplum esto, si dicatur quod lux solis sit infinita, non secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, eo quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere possit.

II. Effectus gratiae Christi, secundum rationem gratiae, est infinitus : se enim extendit ad salutem totius generis humani, iuxta illud[1] : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* et licet non se extendat actu ad angelos, nec ad primum hominem in statu innocentiae, tamen sufficiens fuit et ad istos gratificandos[2]. Atqui effectus infinitus demonstrat virtutem infinitam, quae nequit fundari nisi in essentia infinita. Ergo gratia Christi, secundum rationem gratiae est infinita[3].

III. Ratione coniunctionis animae Christi ad Verbum, gratia eius habet quod sit *principium quo* operationis infinite meritoriae et satisfactoriae, sicut persona divina est *principium quod* huiusmodi operationis infinite meritoriae. Igitur gratia Christi, secundum rationem gratiae, est infinita, ita quod, si Verbum assumptam humanitatem desereret, gratia ipsi inhaerens desineret esse infinita.

5. — *Quaestio. — *Quisnam sit sensus istorum verborum*[4] : NON ENIM AD MENSURAM DAT DEUS SPIRITUM?

Resp. Dato quod verba ista debeant intelligi de Christo, ut fert communior sanctorum expositio, ducibus Augustino, Chrysostomo, Cyrillo et Nazianzeno, duce etiam Angelico qui addit, explicationis gratia, *Filio*, quadruplex potest esse sensus. — *Primus*, quod *ly spiritus* significet donum quod Pater ab aeterno dat Filio, scilicet divinam naturam, quae est donum infinitum ; unde Glossa dicit[5] : *Ut tantus sit Filius, quantus et Pater.* — *Secundus*, ut intelligatur donum quod datum est humanae naturae, ut scilicet uniatur divinae personae, quod etiam est donum infinitum ; unde Glossa dicit[6] : *Sicut Pater plenum et perfectum genuit Verbum, sic et plenum et perfectum est unitum humanae naturae.* — *Tertius*, ut referatur ad gratiam habitualem, in quantum gratia Christi se

1. 1, Io. II, 2. — 2. Caeterum, quomodo Christus influat in angelos, dicetur quaestione subsequenti. — 3. Ad 2^m^. — 4. Io. III, 34. — 5. Hoc loco. — 6. Ibid.

extendit ad omnia quae sunt gratiae; unde Augustinus hoc exponens, ait[1] : *Mensura divisio quaedam donorum est; alii enim datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae; sed Christus qui dat, non ad mensuram accepit*[2]. — *Quartus* demum, ut nomine Spiritus intelligantur aut dona Spiritus Sancti, aut gratiae gratis datae, de quibus superius actum est.

6. — ***Scholion.** — Gratia Christi, etsi sit eiusdem speciei cum gratia nostra, tamen est diversae rationis*[3]. Nam utique gratia Christi animam eius formaliter gratificat, non secus ac gratia nostra animam nostram gratificat; sed in Christo gratia est ad instar virtutis universalis, in nobis vero est particularis; ideoque in Christo habet perfectionem altioris rationis, sicut calor in igne habet perfectionem altioris rationis quam calor in aëre, cum ignis adaequat calorem secundum se, suscipiens illum intensive et extensive quantum possibile est; aër vero illum participat cum limitatione et deficientia. Ideoque, quantumcumque ponatur gratia alicuius purae creaturae crescere, nunquam tamen poterit pertingere ad aequalitatem gratiae Christi, sicut virtus ignis, quantumcumque augeatur, nequit adaequare virtutem solis, aut puer, puer manens, quantumcumque crescat, nequit pertingere ad perfectionem viri; ideoque quod solet dici quod finitum per additionem finiti potest pervenire ad quantitatem cuiuscumque finiti, verum est, si accipiatur eadem ratio quantitatis in utroque : hic autem diversa invenitur ratio in gratia Christi et gratia nostra, sicut diversa est ratio particularis et ratio universalis, ideoque Christo suum manet privilegium, quod est esse *Filium Dei dilectum, in quo sibi Pater complacuit*[4], de cuius gratia etiam dicitur [5]: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum.* Exinde recte in Clementina[6] damnatus est error dicentium hominem in via posse pervenire ad talem gratiae gradum, ut non possit ultra proficere[7].

1. Tract. XIV. — 2. Ad 1^m. — 3. Cf. supra, art. IX, n. 7. — 4. Matth. III, 17. — 5. Iob. XXVIII, 17. — 6. Ad *nostrum*, de Haeret. — 7. Cf. ad 3^m. Quomodo gratia Bmae Virginis Mariae differat a gratia Christi, fuse exposuimus in Opusc. De Maria nunquam satis, *De quantitate gratiae B. M. V. Theologica Disquisitio*, cc. V, VI. Romae, 1905.

ARTICULUS XII. — *Utrum gratia Christi potuerit augeri.*

1. — Duplex augmentum in formis. — Quia aliquam formam augeri dupliciter contingit, scilicet ex parte ipsius formae et ex parte subiecti, ideo aliquam formam non posse augeri potest provenire, uno modo ex parte *subiecti*, alio modo ex parte *formae*. Ex parte quidem subiecti, quando subiectum attingit ad ultimum gradum in participatione illius formae secundum modum suum, sicut si dicatur quod aër non potest crescere in caliditate, quia pertingit ad ultimum gradum caloris qui potest salvari in natura aëris, licet possit esse maior calor in rerum natura, scilicet calor ignis. Ex parte vero formae excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad ultimam perfectionem quam talis forma potest habere in natura, sicut si dicamus quod calor ignis nequit augeri, quia nequit esse perfectior gradus caloris quam ille ad quem pertingit ignis.

2. — PROP. — **Gratia Christi nequit augeri α) sive ex parte ipsius gratiae, β) sive ex parte subiecti.**

Prob. 1ª pars. — Gratia eius qui pertingit ad summam mensuram gratiae, nequit augeri ex parte ipsius gratiae. Atqui gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiae. Ergo nequit augeri ex parte ipsius gratiae.

Prob. minor. Sicut ex divina Sapientia aliarum formarum mensura est determinata, ita et mensura gratiae: nam dicitur [1]: *Omnia in mensura, numero et pondere disposuisti.* Porro, mensura unicuique formae praefigitur per comparationem ad suum finem; finis autem gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum. Atqui non potest esse aut intelligi unio creaturae rationalis ad Deum maior quam sit unio personalis. Ergo gratia eius qui unitur personaliter Deo, pertingit ad summam mensuram gratiae. Talis autem est gratia Christi[2].

Quod autem mensura unicuique formae determinetur per comparationem ad suum finem, illustrat S. Doctor exemplo

1. Sap. XI, 21. — 2. C. Laurent. Opimus, O. S. M. In l. 3 Sent. p. 14 v°.

deducto ex systemate physico secundum antiquos, scilicet cum locus inferior sit finis terrae, mensura gravitatis, quae ab illis considerabatur ut forma intrinseca gravis, est ipsamet terrae gravitas : unde, iuxta eos, non poterat esse, in ordine gravitatis, aliquid maius gravitate terrae. Dato vero quod, ut aiunt moderni, omnia corpora mutuo attrahantur in ratione directa molis eorum et in ratione inversa quadrati distantiarum, mensura gravitatis, erit quae resultat ab attractione ingentiorum simul et viciniorum corporum.

3. — ***Confirmatur.** — Gratia Christi est in ipso secundum quod est Unigenitus a Patre, ut dictum est [1]. Atqui nihil potest esse aut intelligi maius quam quod aliquis sit Unigenitus a Patre, Ergo nulla gratia est aut intelligi potest maior quam illa qua Christus fuit repletus.

4. — ***Tacita obiectio.** — Contra hanc rationem, difficultas exsurgit quomodo unio personalis sit finis gratiae habitualis, cum unio personalis praecedit gratiam habitualem : finis enim est posterior, ordine generationis, eo quod est ad finem. — Solvitur autem difficultas animadvertendo quod unio personalis est finis gratiae habitualis, non ut assequenda per gratiam habitualem, sed prouti iam habetur, sicut Deus est finis noster, non ut sit in se, sed quia iam est, et substantia est finis dispositionum consequentium, non ut ipsa sit, sed quia est. Igitur gratia unionis, non ut habenda, sed ut iam habita, finalizat gratiam habitualem.

5. — **Corollarium.** — Ex quo etiam intelligitur quomodo, sine offensione contra divinam virtutem, ad quam pertinet augmentare gratiam, secundum illud [2] : *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*, debeat dici quod gratia Christi, ut gratia est, non potuerit fieri maior, etiam de potentia Dei absoluta. Nam Deus potest quidem facere aliquid quod sit maius et melius gratia ista, puta ens quod est substantia ; sed quia ratio ormalis gratiae Christi desumitur secundum divinae sapientiae definitionem ex fine eius, finis autem eius est aliquid quo maius esse nequit scilicet unio hypostatica ad Verbum, ideo, sicut Deus

1. Art. 10. — 2. 2, Cor. IX, 8.

nequit facere quod gratia ordinetur ad aliquid maius quam sit unio personalis, ita nec quod illa anima, quae sic personaliter unitur Verbo Dei, maiorem habeat gratiam : ideoque, habito respectu ad hanc coniunctionem cum Deo, quodcumque aliud ens a Deo fiat, in isto ordine erit inferius [1] : ad quam rem plures non adtendentes, posuerunt cum Billuart [2] quod de potentia Dei absoluta gratia Christi potuerit intensive augeri.

6. — **Prob 2ª pars.** — In eo qui est verus et plenus comprehensor, non potest esse gratiae augmentum. Atqui Christus, secundum quod homo, a primo instanti suae conceptionis, fuit verus et plenus comprehensor. Ergo in ipso gratia non potuit augeri, sicut nec in beatis quidem, eo quod sunt in termino constituti.

7. — **Scholion.** — Ex hoc patet differentia inter animam Christi et animas caeterorum hominum qui sunt puri viatores : quia in Christo nullo modo gratia potuit augeri ; in puris autem viatoribus potest augeri, et ex parte formae, quia non attingunt summum gratiae gradum, et ex parte subiecti, quia nondum pervenerunt ad terminum.

8. — **Quaestio.** — *Quisnam sit sensus horum verborum* [3] : IESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA ET AETATE ET GRATIA, APUD DEUM ET HOMINES ?

Resp. Duplex potest assignari sensus.— *Primus*, ut Iesus dicatur eodem modo in sapientia et gratia profecisse, sicut proficiebat in aetate, scilicet, ut quia realiter ipse in aetate procedebat, ita in ipso fieret reale augmentum habituum sapientiae et gratiae, et ista interpretatio, quam Ariani sequebantur, mala est. — *Alius* sensus est, ut dicatur Iesus profecisse in istis secundum effectus, sapientiora videlicet et virtuosiora opera temporis progressu faciendo, qui sensus bonus est, ita quod Christus sapientia et gratia, sicut etiam aetate, proficeret, cum secundum aetatis processum perfectiora opera faceret ut se esse verum hominem demonstraret, tum in his quae sunt ad Deum, tum in his quae sunt ad homines [4].

1. Ad 2ᵐ. — 2. De Incarnat. Dissert. VIII, art. 6. — 3. Luc. II, 52. — 4. Ad 3ᵐ.

At vero, cum dicatur Christus profecisse in gratia *apud Deum*, altior sensus deduci potest, ut scilicet, cum triplex sit gratiae plenitudo, scilicet finalis, quae respicit coniunctionem cum Deo, formalis, quae respicit omnes usus virtutum ex gratia promanantium, et efficientiae, quae respicit aliorum sanctificationem, — dici potest Christus apud Deum profecisse gratia, *primo*, ratione cuiusdam efficientiae, secundum quod ab ipso gratia in alios magis magisque derivaretur; *secundo*, ratione causae formalis, in quantum in usu virtutum et gratiarum gratis datarum proficeret, meritum augens; non autem in ratione causae finalis, cum humana natura in ipso hypostatice Deo coniungeretur[1].

9. — Difficultas. — Omni finito potest fieri additio. Atqui gratia Christi fuit finita, saltem secundum rationem entis. Ergo gratia Christi potuit augeri.

Resp. *Dist. mai.* Omni finito in quantitate mathematica, *conc.;* in quantitate naturali, *subd.;* si non adsit repugnantia ex parte formae, *conc.;* si adsit, *nego. Conc. min. Nego. conseq. et conseq.* — Utique, si sermo sit de quantitatibus mathematicis, cuilibet finitae quantitati potest fieri additio, cum ex parte quantitatis finitae non sit aliquid quod repugnet additioni. Sed si sermo sit de quantitate naturali, sic potest esse repugnantia ex parte formae, cui debentur determinata quantitas necnon alia accidentia determinata; unde Philosophus dicit[2] quod *omnium natura constantium est terminus et ratio magnitudinis et augmenti;* unde quantitati totius cæli non potest fieri additio. Multo magis in formis ipsis est accipiendus aliquis terminus, ultra quem non progrediuntur: et propterea non oportet quod gratiae Christi possit fieri additio, quamvis sit finita secundum sui essentiam[3].

ARTICULUS XIII. — *Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad unionem.*

1. — Ratio articuli. — Ultimo loco, subit opportuna consideratio instituenda circa gratiam habitualem Christi comparatam

1. Cf. 3, Dist. XIII, Quaest. I, art. 3. — 2. II, de An., t. 4. — 3. Ad 1^m.

cum gratia unionis, ut quaeratur quomodo una ad alteram se habeat, et utrum una alteram praecedat, ordine non temporis, sed naturae, honoris, perfectionis et causalitatis. Ubi utraque gratia, secundum formalem significationem sumitur, nullo pacto vero secundum quod gratia nominat gratuitam Dei voluntatem gratis beneficia largientem; sic enim gratuita Dei voluntate, absque praecedentibus meritis, factum est, et ut homo ille esset Deus, et ut esset gratia plenus: qua pariter gratuita Dei voluntate, absque praecedentibus meritis, homo quilibet fit christianus, secundum illud S. Augustini [1]: *Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus* [2].

2. — PROP. — **Gratia unionis, quae est unio humanae naturae ad divinam personam, praecedit gratiam habitualem in Christo, ordine non temporis, sed naturae et intellectus.**

Quod non ordine temporis gratia unionis praecedat gratiam habitualem, iam satis ex anteactis resultat; unde restat solummodo ut probetur quod gratia unionis gratiam habitualem praecedat ordine naturae et intellectus.

Prob. α) **Ex ordine principiorum utriusque gratiae.** — Principium unionis est persona Filii, non quocumque modo, sed prout est assumens humanam naturam, secundum quod attenditur eius in mundum missio; principium autem gratiae habitualis est persona Spiritus Sancti, non quocumque modo, sed secundum quod ipse cum charitate donatur, secundum quod attenditur eius in mundum missio. Atqui ordine naturae Spiritus Sanctus procedit a Filio, ut a sapientia dilectio; unde unio personalis, secundum quam intelligitur missio Filii, est naturae ordine prior gratia habituali, secundum quam intelligitur missio Spiritus Sancti.

3. — β) **Ex habitudine gratiae ad suam causam.** — Gratia causatur in homine ex praesentia divinitatis, sicut lumen causatur in aëre ex praesentia solis. Atqui, praesentia Dei in Christo intelligitur secundum unionem humanae naturae ad divinam

1. L. de Praed. SS., c. XV. — 2. Ad 1^m.

personam. Ergo gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens hanc unionem, sicut splendor solem. Unde apud Ezechielem[1] dicitur : *Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, ... et terra splendebat a maiestate eius.*

4. — Tacita obiectio. — Contra hanc rationem opponitur quod dispositio praecedit perfectionem, si non tempore, saltem intellectu ; sed gratia habitualis est dispositio humanae naturae ad unionem personalem ; ergo non subsequitur, sed magis praecedit unionem.

Cui ita respondet Angelicus[2] : *Sicut dispositio, in via generationis, praecedit perfectionem ad quam disponit in his quae successive fiunt, ita naturaliter perfectionem sequitur quam aliquis iam consecutus est ; sicut calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens a forma ignis iam praeexistentis. Humana autem natura in Christo unita est personae Verbi a principio absque successione ; unde gratia habitualis non intelligitur ut praecedens unionem, sed ut consequens eam, sicut quaedam proprietas naturalis, unde et Augustinus dicit*[3] *quod gratia est quodammodo Christo homini naturalis.*— Unde in forma ita responderi potest : *Dist. mai.* In facto esse, *nego ;* in via generationis, *subdist.:* in his quae successive fiunt, *conc. ;* in his quae fiunt absque successione, *nego. Dist. min.* In facto esse, *conc. ;* in via generationis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Notandum quod, conformiter ad superius dicta[4], gratia habitualis dicitur homini Christo naturalis, tum quia illam habuit a nativitate, tum quia illam habuit causante altera ex naturis, scilicet divina.

5. — γ) Ex fine gratiae — Gratia habitualis ordinatur ad bene agendum. Atqui actiones sunt suppositorum et individuorum : unde actio, et per consequens gratia ad ipsam ordinans, praesupponit hypostasim operantem : hypostasis vero non praesupponitur in humana natura ante unionem. Ergo gratia unionis, secundum intellectum, praecedit gratiam habitualem.

6. — Scholion. — Exinde, cum Isaias Christum, Deum et hominem, indigitans, dixisset[5] : *Ecce servus meus, suscipiam eum,*

1. Cap. XLIII, 2. — 2. Ad 2^m^. — 3. In Enchir. c. 40. — 4. Quaest. II, art. 12, pp. 155, 156.— 5. Cap. XLII, 1.

postea subdit, gratiam eius designans : *Dedi Spiritum meum super eum*, quo innuitur quod susceptio humanae naturae in unitatem personae praecesserit gratiam habitualem in Christo Domino.

7. — Difficultas. — Commune est prius proprio secundum intellectum. Atqui gratia habitualis est communis Christo et aliis hominibus, gratia autem unionis est propria Christo. Ergo gratia habitualis est prior, secundum intellectum, quam gratia unionis.

Resp. *Dist. mai.* In his quae sunt unius generis, *conc.*; in his quae sunt diversorum generum, *nego. Dist. min.* Ita quod gratia unionis sit supra gratiam habitualem, *conc.*; *secus*, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Revera, enunciatum principium tantum valet, quando commune et proprium sunt unius generis, non autem si sint diversorum generum, quo casu nihil prohibet proprium esse prius communi. Porro, gratia unionis non est in genere gratiae habitualis, sed transcendit omne genus, sicut et ipsa divina persona ; ideoque nihil prohibet proprium illud esse prius communi, quia non se habet per additionem ad commune, sed potius est principium et origo eius quod est commune [1].

1. Ad 3^m. De gratia Christi legi possunt Salmanticenses (Tom. IX, Dist. XIII, n. 1, seqq.); Laurentius Opimus, O. S. M. (Comment. in libros Sentent. dist. XII, q. unica); Card. Gotti, O. P. (Tract. de gratia Christi); Billuart, Tract. de Incarn. Diss. VIII. — Praetermitti hic non debet, a theologis, qui hoc argumentum scriptis sunt prosecuti, omnia forsan haud semper ita accurate fuisse tradita; de quibus eruditus in textu S. Thomae tutum iudicium proferre poterit.

APPENDIX I

DE CHRISTI GRATIA INITIALI

Cum Christus sanctificatus est non solum ut esset sanctus, sed etiam ut esset aliorum sanctificator, ideo eius sanctificatio cuiuslibet alterius hominis sanctificationem supergreditur excellentia et perfectione. Quapropter, haud satis esset demonstrasse Christum per gratiam habitualem fuisse sanctificatum, nisi etiam ratio huius sanctificationis, necnon primum huius sanctificationis instans, et modus quo Christus sanctificatus est determinarentur, quae omnia in praesenti appendice ordinatim tradentur.

1. — **Christi propria sanctificatio.** — Imprimis vero notandum est quod, cum sanctificari aliud non sit nisi aliquid fieri sanctum, ideo duplex sanctificatio distingui debet, secundum quod aliquid fit sanctum aut ex contrario, sicut cum quis ex peccatore sanctus efficitur, aut ex negative vel privative opposito, quemadmodum Adam et etiam angeli sanctificati sunt, in quibus peccatum non praecesserat expellendum. Porro, hoc secundo modo Christus sanctus factus est; non enim ex peccatore effectus est sanctus, cum peccatum nunquam habuerit; sed factus est sanctus secundum humanam naturam ex non sancto, non quidem privative, quasi aliquando fuerit homo et non fuerit sanctus, sed negative, quia non fuit homo antequam haberet sanctitatem humanam, ideoque simul factus fuit homo et sanctus homo; unde dixit Mariae angelus[1]: *Quod ex te nascetur sanctum*; quod exponens S. Gregorius ait[2]: *Ad distinctionem nostrae sanctitatis, Iesus sanctus nasciturus asseritur; nos quippe, si sancti efficimur, non tamen nascimur; quia ipsa naturae corruptibilis conditione constringimur; ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ex coniunctione carnalis copulae conceptus non est*[3].

Ex quo deducitur Christum in primo instanti suae conceptionis

1. Luc. I. 35.— 2. L. XVIII, Moral. c. 17. — 3. Quaest. XXXIV, art. 1, ad 2[m].

fuisse sanctificatum per gratiam : cum enim nunquam fuit humana Christi natura sine gratia, et in primo instanti suae conceptionis corpus Christi fuerit animatum, ideo in primo instanti suae conceptionis Christus gratia divina fuit exornatus. Quod quidem ex hac consideratione firmatur, quod ex ipsa Verbi unione derivata est abundantia gratiae sanctificantis in animam Christi : atqui in primo momento suae conceptionis corpus Christi, anima informatum, fuit a Verbo assumptum : ergo in primo instanti suae conceptionis Christus habuit plenitudinem gratiae, qua sanctificata fuere eius anima et corpus[1].

2. — Christus sanctificatus est per motum liberi arbitrii. — At ulterius notandum est, hoc etiam secumferri summa Christi dignitate, ut per motum liberi arbitrii tunc sanctificatus fuerit, sicut etiam per motum liberi arbitrii et angeli et Adam sanctificati sunt[2]. Huius rei ratio est quia Christus, statim a principio, spiritualem perfectionem habuit ; perfectio autem consistit in operatione quae est actus secundus ; ergo Christus in illo primo instanti habuit perfectam operationem intellectus et voluntatis, qua, sub motione divina, gratiae consensit, sicut consentiunt adulti qui sanctificantur[3].

Nec obstat quod esse sit prius quam agere vel operari : nam esse est quidem prius natura quam operari, non tamen est prius tempore, si videlicet agens sit perfectum, sicut lux, simul dum generatur, illuminat. Porro, intelligere et velle sunt actus perfecti, qui complentur sine successione, ideoque in illo primo instanti Christus intellexit et voluit[4].

Obiicienti vero, ad electionem, quae est actus liberi arbitrii, praesupponi consilii deliberationem, quae non est sine successione, *respondetur* consilii deliberationem non requiri ad electionem, nisi propter inquisitionem incerti, unde ubi certitudo acquiritur, consilii deliberatio terminatur : inquisitio autem supponit imperfectionem scientiae ; in Christo autem fuit plenitudo scientiae ; ideoque omnium certitudinem habuit, et proinde statim potuit in primo suae conceptionis instanti eligere[5].

1. Ibid. corp. art. — 2. 1, Quaest. LXII, art. 3, et Quaest. XCV, art. 1, ad 5^m. — 3. 3, Quaest. XXXIV, art. 2. — 4. Ibid. ad 1^m. — 5. Ibid. ad 2^m.

Sed quanam scientia Christus certitudinem acquirere potuit? Scientia indita vel infusa, respondet S. Thomas[1], qua scilicet Christus utebatur etiam sine conversione ad phantasmata et sic qua erat in eo operatio intellectus et voluntatis absque operatione sensus; quanquam, addit Angelicus, *potuit in eo esse etiam operatio sensus in primo instanti suae conceptionis, maxime quantum ad sensum tactus, quo sensu proles concepta sentit in matre, etiam antequam animam rationalem habeat... unde cum Christus, in primo instanti suae conceptionis habuerit animam rationalem, formato iam et organizato corpore eius, multo magis in eodem instanti poterat habere operationem sensus tactus.* Et secundum hoc intelligi possunt verba S. Pauli[2]: *Ideo ingrediens mundum, dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*[3].

3. — Christus in primo instanti suae conceptionis mereri potuit. — Ex hac perfectissima Christi sanctificatione, per motum illius liberi arbitrii in Deum peracta, sequitur Dominum Nostrum, in illo primo instanti meruisse: motus enim liberi arbitrii meritorius est.

Revera, argumentatur Angelicus[4], sicut actus est perfectior quam habitus, et quod est per se est perfectius eo quod est per aliud, ita adultorum sanctificatio, qui secundum actum proprium sanctificantur, potior est sanctificatione puerorum, qui sanctificantur solum secundum fidem parentum vel Ecclesiae: illa autem sanctificatio meritoria est, cum motus liberi arbitrii non sit sine merito. Ergo Christi sanctificatio, quae fuit perfectissima, meritoria extitit.

4. — Quid Christus tunc meruerit. — At vero, hoc non ita intelligendum est, quasi Christus gratiam ipsam sibi mereri potuerit. Cum enim meritum sit effectus gratiae cooperantis, gratia vero cooperans consideretur secundum illum effectum quo vo-

1. Ibid. ad 3[m]. — 2. Hebr. X, 5, sqq. — 3. Differentiam inter hanc primam Christi sanctificationem et primam sanctificationem B. Mariae Virginis require in Tract. DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA, 2[a] Ed., Appendix, pp. 495, seqq. — 4. 3; Quaest. XXXIV, art. 3.

luntas et movet et movetur[1], evidens est primam gratiam, qua anima redditur capax meriti, sub merito cadere non posse: atqui prima Christi gratia fuit etiam ultima, nam in illo momento Christus recepit gratiam in summo, ita ut postea augeri non valeret[2]. Ergo Christus gratiam sibi collatam non meruit. — Quod etiam ex eo deducitur quod id meremur quo aliquando caremus: ergo si Christus gratiam suam personalem meruisset, ea aliquando caruisset, quod in ipso magnum inconveniens fuisset[3].

Igitur dicendum est Christum sibi iam tunc meruisse gloriam immortalitatis et glorificationis, quam quidem etiam posterioribus actibus et passionibus promeruit, non ut simpliciter sibi deberetur, nec ut sibi esset magis debita, sed ut sibi ex pluribus causis deberetur[4]. Quantum vero ad nos, iam tunc Christus, tanquam caput nostrum, meruit nobis et primam gratiam, et gratiae augmentum, et reparationem post lapsum, et perseverantiam in gratia, necnon cetera bona quae per Christum Deus nobis elargitur. Cuius rei rationem ita reddit Angelicus[5]: *Unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiae, ut ipse ad vitam aeternam perveniat, et ideo meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit: sed anima Christi mota est a Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitae aeternae, sed etiam ut alios in eam adduceret, in quantum est caput Ecclesiae et auctor salutis humanae, secundum illud*[6]*: Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis*[7]*, etc.*

5. — Christus a primo instanti suae conceptionis fuit perfectus comprehensor. — Ex iis omnibus resultat Christum, secundum gratiam animae, fuisse, in primo instanti suae conceptionis, perfectum comprehensorem: accepit enim tunc gratiam non ad mensuram: gratia autem viatoris, cum deficiat a gratia comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratiae com-

1. I 2ae, Quaest. CXI, art. 2. — 2. Hic, art. 12. — 3. 3, Quaest. XIX, art. 3. — 4. 3, Quaest. XXX, art. 3, ad 3m. — 5. I 2ae, Quaest. CXIV, art. 6. — 6. Hebr. II, 10. — 7. Quaenam fuerit quantitas gratiae initialis in B. Virgine, et quomodo in primo illo instanti augmentum gratiae mereri potuerit, exposuimus in Opusc. De Maria nunquam satis, c. VI. Romae, 1905.

prehensoris. Nec solum tantam gratiam accepit Christus, quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem; nec illa Christi gratia sine actu esse debuit: unde Christus fuit actu comprehensor, videndo Deum per essentiam, clarius ceteris creaturis[1].

[1] 3, Quaest. XXXIV, art. 4. — Placet hic verba referre quibus Dionysius Cartusianus hanc Christi initialem perfectionem describit, dum commentans illud (Psalm. I): *Beatus vir*, etc., inquit (Comment. in Ps. I, art. IX. Opp. T. V. Monstrolii, 1898): *Ait enim: Beatus vir, videlicet Christus, qui a primo instanti suae conceptionis in Virgine Matre, fuit vir perfectus atque beatus: perfectus quidem non ratione aetatis, sed propter plenitudinem gratiae, eminentiamque virtutum, ac sapientiae perfectionem: in quibus omnibus perfecta creata est anima Christi; nec profecit in istis quantum ad habitum, sed quantum ad exercitium. Unde scriptum est: Novum creabit Dominus super terram: Mulier circumdabit virum* (Ier. XXXI, 22), *id est, Virgo praeelecta in utero habebit puerum aetate, sed virum perfectione. Fuit etiam Christus ab exordio maternae conceptionis beatus, propter perfectissimam Divinitatis fruitionem, et clarissimam eius beatificamque visionem: quia tam clare tamque beate vidit anima Christi Deum a primo creationis suae momento, sicut et modo; nec unquam profecit in essentiali praemio beatorum. Quoniam enim humanae naturae Christi, a primo suae creationis exordio, datum est esse unitum Verbo, personali seu hypostatica unione, hoc est subsistere in eodem esse personali, in quo Unigenitus Dei aeternaliter subsistit, cum sit assumpta ad esse increatum Filii Dei, multo clarius patet, quod animae Christi a sui principio concessa est beatifica Dei visio, prout Damascenus* (L. III) *testatur et Thomas* (3, q. X). *Minus est enim Deum beatifice contemplari, quam ei personaliter uniri. Sic ergo est Christus beatus vir. Dicitur quoque vir, quoniam a vera fortitudine nunquam defecit, sed in omnibus virtuosissime egit.*

APPENDIX II

DE CHARITATE CHRISTI

Cum charitas, quae est potissima inter virtutes supernaturales ex gratia fluentes proportionaliter cum gratia augeatur, ideo simile iudicium formandum est de charitate ac de gratia per respectum ad Christum, scilicet quod neutra potuit augeri in ipso. Attamen, attenta rei gravitate, opportunum ducimus pauca etiam de charitate, ex ipso S. Thomae fonte [1], praelibare, quae tum dictis, tum alibi dicendis perutilia erunt.

1. — Ratio augmenti in charitate. — Et primo generaliter advertendum est de ratione charitatis esse ut *augeatur* in hac vita, secus cessaret ipse viae processus. Et huius quidem augmenti ratio est quia, per charitatem, mens Deo unitur : potest autem viator magis magisque appropinquare Deo mentis affectu. Nec obstat quod charitas dicat coniunctionem cum Summo Bono : nam est quidem charitas in summo ex parte obiecti, quia eius obiectum est Deus, qui est Summum Bonum, ex quo sequitur quod haec virtus excellentior sit aliis virtutibus, sed tamen non omnis charitas est sic in summo, quantum ad actus intensionem. Quocirca charitas augetur non solum secundum radicationem in subiecto, ut quidam volunt, sed etiam essentialiter, quia cum sit accidens cuius esse est inesse, ideo charitatem augeri secundum essentiam, est ipsammet magis inesse subiecto, quod est eam magis radicari in subiecto. Sed et ipsa essentialiter est etiam virtus ordinata ad actum : unde idem est ipsam augeri secundum essentiam, et ipsam habere efficaciam ad producendos actus ferventioris dilectionis : ideoque charitas augetur essentialiter, secundum quod magis ac magis in subiecto esse coeperit [2].

1. 2, 2^{ae} Quaest. XXIV. — 2. Art. 4.

2. – **Quomodo fiat istud augmentum.** — At vero cavendum sedulo est quominus fingatur charitatem augeri per *additionem;* quia si charitas charitati adderetur, oporteret praesupponere, ad minus secundum intellectum, distinctionem unius charitatis ab altera. Iamvero, in formis distinctio alia est secundum *speciem*, quae est secundum obiectorum diversitatem, sicut quando scientia geometriae extenditur in aliquo discipulo ad nova geometricalia quae prius nesciebat, alia vero secundum *numerum*, id est secundum diversitatem subiecti, sicut albedo augetur per hoc quod album additur albo : sed tale augmentum non facit aliquid magis album, sed potius maius.

Igitur, primo modo nequit charitas augeri, quia etiam minima charitas se extendit ad illa omnia quae sunt ex charitate diligenda: sed nec secundo modo, quia mens rationalis, quae est subiectum charitatis, nequit addi menti rationali ; ulterius, tale augmentum non faceret magis diligentem, sed maiorem. Relinquitur ergo quod solus modus quo charitas augeatur sit per hoc quod *subiectum illam magis ac magis participat,* seu reducitur in actum illius et subditur illi : et hoc est etiam ipsam augeri secundum essentiam, sicut dictum est : qui quidem modus augmenti est proprius cuiuslibet formae quae intenditur, cum esse eius totaliter consistat in eo quod inhaereat susceptibili ; et cum magnitudo rei consequitur esse eius, ideo formam esse maiorem, hoc est eam magis inesse susceptili : e converso, si qua forma habeat quantitatem ex seipsa, et non per comparationem ad subiectum, potest augeri per hoc quod alia forma formae praecedenti adveniat sicut in scientia contingit.

3. — **Distinctio inter charitatem et scientiam.** — Ex quo patet distinctio inter charitatem et, verbi gratia, scientiam : quia, in quantum est accidens tale, id est habitus, scientia habet quantitatem, non ex comparatione ad subiectum, sed ex seipsa, seu ex parte obiectorum : et sic per additionem augetur, quando nempe plura cognoscuntur. In quantum autem est simpliciter accidens, scientia habet quantitatem ex eo quod inest subiecto, et ita augetur per hoc quod aliquis certius cognoscit eadem scibilia nunc quam prius. Charitas vero, in quantum est accidens tale, seu secundum

quantitatem quae est ex parte obiecti, non augetur : ergo per solam intensionem augetur [1].

4. — Quantitas augmenti in charitate. — Sed ulterius notandum est quod charitas viae potest *in infinitum* augeri ; nam, nequit inveniri terminus augmenti eius, nec α) ex parte ipsius formae, quia charitas, secundum rationem propriae speciei, terminum augmenti non habet, cum sit participatio infinitae charitatis quae est Spiritus Sanctus, nec β) ex parte causae agentis quae est Deus, agens nempe infinitae virtutis, nec denique γ) ex parte subiecti, quia semper charitate crescente, superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum.

Attamen charitas viae nunquam pertinget ad charitatem patriae, quia ista est diversae rationis, sicut linea, quantumcumque crescat, nunquam pertinget ad quantitatem superficiei, aut puer, stante pueritia, quantumcumque crescat, nunquam perveniet ad perfectionem viri, aut lux matutina ad lucem meridianam [2]. In patria enim *obiectum* charitatis est Deus visus, in via autem est Deus non visus : unde sicut linea, secundum unam dimensionem, potest quidem excedere certam datam superficiem, nunquam tamen superficiem potest undequaque coaequare, ita charitas viae cuiuscumque sancti, licet possit excedere, secundum unam rationem, cuiusdam beati charitatem, illam tamen coaequare non valet. Ex parte etiam *subiecti*, nunquam potest charitas viae coaequare charitatem patriae, quia homo in statu viae nunquam potest ad hoc pervenire quod Deum semper actualiter diligat.

5. — Corollarium. — Quae cum ita se habeant, iam concludi potest quod Christi charitas, sicut eius gratia, augeri non potuerit, quippe quae in eo fuit in summo, et ad omnes charitatis effectus extensa. Ulterius potest etiam deduci quod praesentis articuli doctrina non est dicenda revocatoria eius quod traditur in prima secundae [3], ubi dicitur quod gratia, ex parte finis vel obiecti magnitudinis, incrementum non accipit, sed tantum ex parte subiecti. Ex eis enim quae modo de charitate sunt exposita, quae quidem in materia gratiae adamussim applicantur, resultat duplex veluti

1. Art. 5. — 2. Art. 7. — 3. Quaest. CXII, a. 4.

momentum esse distinguendum circa gratiam, sicut et circa alias formas quae secundum rationem sui dicuntur non augeri eo quod speciem suam ex se vel ex aliquo sui sortiuntur: *aliud*, gratiae sive charitatis reduplicative sumptae, scilicet habito respectu ad earum mensuram ex fine desumptam; *aliud*, gratiae seu charitatis specificative acceptae, seu prout est in hoc individuo. Iamvero gratia, secundum rationem gratiae, primo modo augmentum non accipit, ideoque nequit esse maior vel minor, eo quia gratia, secundum suam rationem, coniungit hominem Summo Bono quod est Deus: secundo autem modo accipit augmentum. Nam, ex eo quod in subiecto magis minusve recipitur, ideoque ex eo quod unus homo perfectius illustratur a lumine gratiae quam alius, secundum quod consideratur augmentum ex parte subiecti, resultat augmentum etiam ex parte ipsiusmet gratiae. Cum enim esse eius sit inesse, quanto magis inest, tanto etiam perfectius est: ideoque gratia in se indivisibilis et fixa manens, cum in aliquod subiectum recipitur, augmentum accipit, non quidem per additionem, sed per maiorem sui in subiecto praesentiam, sicut radius lucis albae, unus cum sit, si tamen per prisma recipiatur, in septem iridis colores refrangitur[1].

1. Christi in nos charitatem ita compendio describit Dionysius Cartusianus: *Qui dilexit nos amore aeterno et increato secundum quod Deus; amore quoque creato gratuito et infuso, imo et naturali amore, tanquam naturae suae consortes et fratres, secundum quod homo.* (Enarrat. in c. I Apoc. art. 1. Opp. vol. XIV, p. 229). Argumentum de Christi in nos caritate stylo oratorio egregie prosecutus est Monsabré, Conférence XXXIX, *Le Cœur de Jésus Christ*, Carême, 1879. — Abstinere nequeo quominus praeclaros versus recenseam, quibus Ecclesia eximiam Christi in nos charitatem concelebrat:

Divinas cuius charitas
Sacrum propinat Sanguinem,
Almique membra Corporis
Amor sacerdos immolat.

Hymnus *Ad regias*, Vesp. Dom. Temp. Pasch.

QUAESTIO VIII

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Solemne est axioma, unumquodque in tantum operari, in quantum est actu : operari enim sequitur esse. Cum igitur probatum maneat Christum fuisse actu secundum informationem gratiae sanctificantis, sequitur ut de eius habitudine ad alios, operatione eius constituendos in actu divinae gratiae, determinetur. Ubi supponendum est gratiam receptam fuisse in anima Christi secundum eminentiam quamdam, ut abunde resultat ex quaestione praecedenti ; ad hoc enim ut aliquid sit principium agendi in alia, non quilibet actus sufficit, sed requiritur actus secundum eminentiam quamdam [1].

2. — Praenotanda. — Advertendum autem est caput hic mysticum sumi, quod ad instar capitis in corpore humano sensum influit et motum spiritualem gratiae in alia corporis membra; nomine vero Ecclesiae generaliter intelligitur universalis eorum societas, qui ad vitam aeternam sunt praeordinati, quorum tamen non uno modo Christus dicendus erit caput, cum non una ratione vitam spiritualem in omnes influat, ut infra declarabitur [2]. Denique, de Christo hic est sermo ut homo est, non autem ut est Deus : Deum enim esse primum et universale principium omnis motus omnisque influxus, tam in ordine naturali quam in ordine supernaturali, satis compertum est.

3. — Quaestionis divisio. — Porro, capitis ratio hic erit consideranda, non solum prout est in Christo (1-6), sed etiam, contrariorum lege, prout inveniri aliqualiter deprehenditur in eius adversario duplici, nempe in diabolo (7), necnon in antichristo (8). Capitis vero ratio in ipso Christo erit consideranda, tum absolute (1-5), tum etiam relate ad alios, qui participative capita

1. Infra, art. 5. — 2. Art. 3.

vocitantur (6). Ut autem haec ratio in Christo proprie cognoscatur, debent perpendi, secundum propria momenta, tum quaestio an sit (1), tum quaestio quomodo sit (2-5), relate ad causam nedum materialem (2-4), sed etiam formalem (5) : relate ad causam materialem, quidem, scilicet ad homines (2-3), tum generaliter (2), tum specialiter (3), inspiciendos, necnon relate ad ipsos angelos (4), ut sciatur quanam capitis habitudine ad hos omnes Christus se habeat ; relate vero ad causam formalem ut proprie formalis ratio determinetur, secundum quam Christus capitis dignitatem obtinet. — Cuique parumper rem consideranti ad oculum patebit totam doctrinam de Ecclesia, praesenti quaestione in compendio contineri, ita ut inscribi etiam posset de vera Christi Ecclesia.



Hinc octo quaeruntur :

Primo. Utrum Christus sit caput Ecclesiae.

Secundo. Utrum sit caput hominum quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas.

Tertio. Utrum sit caput omnium hominum.

Quarto. Utrum sit caput angelorum.

Quinto. Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ec-

clesiae, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis.

Sexto. Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo.

Septimo. Utrum diabolus sit caput omnium malorum.

Octavo. Utrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

ARTICULUS. I — *Utrum Christus sit caput Ecclesiae.*

1. — Intentio huius articuli. — In hoc articulo, non tam quaeritur de facto ipso, quam de rationibus facti, et consequenter de convenientia praemissae appellationis relate ad Christum. Quod enim Christus caput sit Ecclesiae, ex eo deducitur, quod ipse Ecclesiam fundavit, quod tamen probare non est praesentis loci, sed ad illam disciplinam spectat, ad quam pertinet religionis christianae texere apologiam : ideoque S. Doctor totus est in hoc articulo, ut replicatis propriis rei momentis, demonstret in Christo adesse capitis rationem relate ad Ecclesiam.

Ubi Ecclesia dicitur, quae est unum corpus mysticum, per similitudinem ad naturale hominis corpus, quod secundum diversa membra diversos actus habet, iuxta illud S. Pauli[1]: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra ;* et rursus[2]: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Igitur Christus caput Ecclesiae dicetur secundum similitudinem capitis per respectum ad corpus humanum.

2. — Quaenam ad rationem capitis pertineant. — Porro, in humano capite, tria sunt quae considerari debent : videlicet ordo, perfectio et virtus. — *Ordo* quidem : nam caput est prima hominis pars incipiendo a superiori, et ita est primum secundum situm : unde omne principium consuevit vocari caput, secundum illud [3]: *Ad omne caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae. — Perfectio*

1. Rom. XII, 4, 5. — 2. 1 Cor. XII, 12. — 3. Ezech. XVII, 25.

autem, nam in capite vigent omnes sensus, tam interiores quam exteriores, dum e contra in caeteris membris est solus tactus : unde dicitur [1] : *Longaevus et honorabilis ipse est caput,* quia scilicet in senibus est experientia maiori perfectione quam sit in iuvenibus. — Demum *virtus:* nam virtus et motus caeterorum membrorum, eorumque in suis actibus gubernatio sunt a capite, propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem : unde et rector caput populi dicitur [2] : *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.*

3. — PROP. — **Christus convenienter dicitur Ecclesiae caput.**

Prob. α) **Ex auctoritate.** — S. Paulus ait de Christo [3] : *Omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quae est corpus ipsius, et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur,* quod graece paulo diversimode legitur : καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν ἔδωκεν κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶν τὸ σῶμα αὐτοῦ τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσιν πληρουμένου. Ubi sermonem esse de Christo ut homine patet, nam paulo antea apostolus provocaverat ad eius a mortuis resurrectionem. Rursus, idem Paulus ait [4] : *Christus caput est Ecclesiae;* et [5] : *Ipse est caput corporis Ecclesiae,* scilicet *ob dispensationem* corporis, ut ait S. Hilarius [6] ; et *secundum formam servi,* ut loquitur S. Augustinus [7].

4. — β) **Ratione theologica.** — Ille qui propinquissime se habet ad Deum ; qui habet plenitudinem gratiae ; qui habet virtutem influendi gratiam in alios, convenienter dicitur Ecclesiae caput. Atqui talis est Christus secundum humanitatem. Ergo Christus convenienter dicitur caput Ecclesiae. — Hoc argumentum fundatur, ut patet, in iis quae diximus esse de ratione capitis.

5. — **Explicatur.** — Quantum ad *primam* rationem hic allatam, notandum est quod Christo, secundum quod est homo, competit, propter suam ad Deum propinquitatem, gratia altior et prior, non tamen tempore : ut sic omnes homines quocumque

1. Is. IX, 15. — 2. 1, Reg. XV, 17. — 3. Eph. I, 22, 23. — 4. Ibid. V, 23. — 5. Col. I, 18. — 6. L. VIII, de Trin. — 7. 1, de Trin., c. XII.

tempore, accipiant gratiam per respectum ad gratiam illius, secundum illud [1]: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Altior igitur est Christi gratia quia formalior, prior vero quia est exemplar gratiae cuiuscumque alterius.

Secundum vero, abundanter ostensum est in praecedenti quaestione, maxime articulo nono, cum fuit probatum in Christo esse plenitudinem omnium gratiarum, iuxta illud [2]: *Vidimus* (eum)... *plenum gratiae et veritatis.*

Tertium demum, scilicet quod Christus habet virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae, constat ex auctoritate [3]: *De plenitudine eius omnes nos accepimus;* rursus, Concilium Tridentinum ait [4]: *Christus, tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influit, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto grata et meritoria esse possent.* Et rursus dicit: *Christum esse omnium gratiarum fontem et auctorem* [5].

6. — Christus, ut homo, gratiam dat instrumentaliter. — Circa hanc tertiam rationem, advertendum est quod dare Spiritum Sanctum aut gratiam auctoritative et principaliter soli Deo competit, ideoque competit Christo ut Deus est, iuxta illud S. Augustini [6]: *Nec etiam Christus, secundum quod est homo, dat Spiritum Sanctum, sed solum in quantum est Deus.* Quapropter quod dicimus, Christo ut homini, et sic ut, est Ecclesiae caput, competere dare gratiam, intelligendum est instrumentaliter, cum Christi humanitas instrumentum fuerit divinitatis; et ita actiones illius ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferae, utpote gratiam in nobis causantes, non modo per suum meritum, sed etiam per efficientiam quamdam. Unde Christo, secundum quod homo, *ministerialiter* seu *instrumentaliter* competit dare Spiritum Sanctum: quo modo etiam competit aliis sanctis, iuxta illud [7]: *Qui tribuit nobis Spiritum,* etsi modo longe inferiori [8]. Hoc tamen intelligendum est de Nova Lege: siquidem, ut infra [9] fusius decla-

1. Rom. VIII, 29. — 2. Io., I, 14. — 3. Ibid. 16. — 4. Sess. VI, c. 16. — 5. Sess. XXI, can. 3. — 6. L. I de Trin., c. 12. — 7. Gal. III, 5. — 8. Ad 1^m. — 9. Quaest. XIII, art. 2.

rabitur, humanitas Christi nonnisi ante suum in carne adventum extitit fons et origo gratiae.

7. — **Tacita obiectio.** — Hic autem notandum est quod, licet satis constet Christum posse in nobis causare gratiam per meritum suum, non tamen ita evidens est illum gratiam posse causare per efficientiam, cum nulla creatura possit concurrere, etiam instrumentaliter, in creationem faciendam. — Ad quod solvendum advertatur quod gratiae infusio non est simpliciter creatio, sed potius est mutatio animae in ordine gratuitorum ad caelestem patriam; et hoc modo, gratiam infundere pertinet ad humanitatem Christi instrumentaliter. Quod autem gratia non creetur, patet: nam cum fieri sit via ad esse, non creantur nisi ea quae sunt per se, scilicet substantiae; et praeterea, quando gratia desinit esse in anima, non tamen annihilatur; porro, si desitio non est per annihilationem, ergo nec productio est per creationem [1].

8. — **Quaestio.**— *Quare Christus non potius dicatur cor, cum ex corde habeatur influentia in totum corpus?*

Resp. Cum de ratione cordis sit ut habeat quamdam influentiam occultam in ordine vegetativo, ideo cordi potius comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit; de ratione autem capitis est, ut habeat quamdam eminentiam manifestam respectu caeterorum exteriorum membrorum in ordine sentiendi et movendi: ideoque capiti comparatur Christus ipse secundum naturam visibilem, secundum quam homo hominibus praefertur, eosque regit et gubernat [2]; collo autem comparatur Beatissima Virgo, per quam omnes gratiae ad nos derivantur.

9. — **Difficultas.** — Caput est membrum corporis. Atqui repugnat Christum esse membrum Ecclesiae. Ergo nec est caput Ecclesiae.

Resp. *Dist. mai.* In naturalibus, *conc.*; in metaphoricis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.*— Licet aliquando [3] S. Doctor concesserit Christum esse membrum Ecclesiae, habito scilicet respectu ad unitatem corporis, tamen alibi [4] hoc negavit, eo quia membrum importat imperfectionem partialitatis, quae ei qui habet

1. Cf. Caiet. — 2. Ad 3^m. — 3. Quaest. XXIX de Ver. art. 4, ad 6^m. — 4. 3, Dist. XIII, q. 2, art. 1, ad 6^m.

rationem primi principii influentis repugnat. Quam negativam responsionem hic confirmat Angelicus, ratione adducta, quia Christus est caput metaphorice. Porro, non est necesse metaphoricas locutiones per omnia extendere, secus non esset similitudo, sed ipsamet rei veritas: unde, sicut ex eo quod dicitur: *Christus est agnus*, non licet concludere: *Ergo est brutum*, ita ex eo quod dicitur *caput*, non debet concludi: *Ergo est membrum*. Quocirca, quod dicitur [1]: *Vos estis corpus Christi, et membra de membro*, ὑμεῖς δὲ ἐστε σῶμα χριστοῦ καὶ μέλη ἐκ μέλους, debent intelligi hoc sensu, quod fideles sint membra ad invicem connexa sub capite Christo.

10. — **Scholia.** — **I.** Sic etiam quia Christus metaphorice dicitur caput, ideo non repugnat quod Deus dicatur caput illius, sicut legimus in hoc loco S. Pauli [2]: *Caput Christi Deus*. Nam, licet corporis naturalis non sit aliud caput quam proprium, eo quod corpus humanum non est pars alterius corporis, tamen corpus similitudinarie dictum potest et ipsum caput habere, ita ut capitis sit caput. Corpus enim similitudinarie dictum est multitudo ordinata, quae pars esse potest alterius multitudinis, sicut multitudo domestica est pars multitudinis civilis; ideoque paterfamilias, qui est caput multitudinis domesticae, habet supra se rectorem civitatis. Per hunc igitur modum, nihil prohibet quominus Christus, licet sit Ecclesiae caput, tamen dicatur habere Deum caput, cum Deus sit universi gubernator [3].

Ubi ulterius animadverti debet quod, licet caput in humanis vitalem influentiam vicissim recipiat ab aliis membris, maxime a corde, tamen nihil a membris suis accipit Christus, quia ipse est universale gratificationis principium.

II. Cum talis tantaque sit capitis cum caeteris membris coniunctio, ut unum quiddam efficiant, ideo Ecclesia ipsius Christi nomine interdum designatur, iuxta ea[4]: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Quod commentans, S. Fulgentius, ait[5]: *Et cum electionis vas dicat quia*

1. 1, Cor. XII, 27. — 2. Ibid., XI, 3. — 3. Ad 2^m. — 4. Rom. XII, 11. 5. II, ad Mon. c. 9.

Christus caput est corporis Ecclesiae, ipsum tamen corpus Christi non dubitat Christum veraciter appellare. Et S. Augustinus inquit[1]: *Et multi homines sunt, et unus homo est. Multi enim christiani et unus Christus. Non ille unus, et nos multi, sed et nos multi in illo uno unum. Unus ergo homo Christus caput et corpus. Quod est corpus eius? Ecclesia eius, dicente Apostolo; quoniam membra sumus corporis eius; et: Vos autem estis corpus Christi, et membra. Intelligamus ergo vocem huius hominis, in cuius corpore unus sumus homo.*

ARTICULUS II. — *Utrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora vel solum quantum ad animas.*

1. — Ratio articuli. — Quaestio haec dupliciter resolvi potest: *uno modo* ita ut de ipso Christo, ut homo est, concludatur quod ipse, non solum secundum animam suam, sed etiam secundum corpus suum, sit caput Ecclesiae: *alio modo*, ita ut statuatur quod ipse sic adaequate consideratus, scilicet secundum animam et secundum corpus, caput sit hominum, non modo quantum ad illorum animas, sed etiam quantum ad illorum corpora.

Et quod Christus ipse, ut homo est, secundum animam et corpus caput sit hominum, satis patere debet: caput enim hominum Christus est, in quantum influit in homines: influit autem in homines eius humanitas, in quantum est coniuncta Deo hypostatice. Atqui non solum anima Christi, sed etiam eius corpus est coniunctum Verbo, licet per animam, sive mediante anima; ergo Christus, ut homo est, non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, est hominum caput. Exinde credendus est Christus contactu physico sui corporis aquam elevasse ad dignitatem materiae sacramenti baptismi; et ipsomet eius Corpore et Sanguine in Eucharistia pascimur et potamur in vitam aeternam.

Quae cum ita sint, quaestio ad hoc reducitur, ut sciatur utrum Christus, utique secundum suam humanitatem ex anima et cor-

1. In Psalmum CXXVII, c. 1.

pore constantem, sit hominum caput, nedum quoad animas, sed etiam quoad corpora.

2. — PROP. — **Christus est caput hominum primo et principaliter quantum ad animas, secundario autem quantum ad corpora.**

Prob. 1ª Pars. — Christus est caput hominum in quantum influit spiritualem sensum et motum gratiae in Ecclesiam. Atqui huius spiritualis sensus et motus capax est primo et principaliter anima rationalis[4]. Ergo Christus est caput hominum primo et principaliter quantum ad animas.

3. — **Prob. 2ª Pars.** — Verbis S. Pauli[2]: *Nostra autem conversatio in coelis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia.*

4. — **Explicatur.** — Ad cuius evidentiam sciendum est quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, tum ut ad propriam formam, tum ut ad motorem. Et in quantum habet ordinem ad animam, ut ad formam, recipit ab ipsa vitam, caeterasque proprietates corpori humano convenientes secundum suam speciem ; in quantum autem habet ordinem ad animam ut ad motorem, corpus instrumentaliter deservit animae. Igitur humanitas Christi, licet habeat vim influendi primo et principaliter in animam, tamen hanc habet etiam secundario relate ad corpus. Et quidem tum per modum ministerii, ad hoc nempe ut corporis membra exhibeantur *Deo arma iustitiae*[3] in anima per Christum existentis; tum ad hoc quod vita gloriae ab anima derivetur ad corpus, iuxta illud[4]: *Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Quae exuberantia gratiae ab anima ad corpus, illud reddet incorruptibile, impassibile, leve et luminosum, quae omnia dona Christum habebunt auctorem, per modum derivationis cuiusdam ab illius humanitate.

1. Ad 1ᵐ. — 2. Phil., III, 20, 21. — 3. Rom. VI, 13. — 4. Ibid. VIII, 11.

5. — Scholia. — I. Ex hinc patet quanta sit corporis humani dignitas et nobilitas, cum, propter animam rationalem, virtus humanitatis Christi usque ad illud derivetur: ad quod attendens, Paulus scribebat[1]: *Obsecro itaque vos fratres, per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Cuius profecto dignitatis corpora brutorum animalium haudquaquam capacia sunt, cum nullam habitudinem habeant ad animam rationalem, sicut habet corpus humanum[2].

II. Haec Christi dignitas, scilicet esse caput hominum etiam quantum ad corpora, altior longe est dignitate Adae in eo consistente, quod ab hoc omnes homines materiali generatione derivantur; siquidem Adae excellentia non respicit nisi vitae mortalis traductionem, Christi vero dignitas pertingit usque ad plenam vitae immortalis possessionem. Quapropter, quanquam Christus ipse materiam corporis ab aliis hominibus traxerit, tamen omnes homines, non excluso primo homine, vitam immortalem ab ipso recipiunt, secundum illud[3]: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*[4]. Attamen, alius est modus, ut iam innuimus[5], quo humanitas Christi influit gratiam in Veteri et in Novo Testamento: scilicet, in illo quidem meritorie, in hoc autem secundum efficientiam instrumento propriam.

6. — Quaestio I. — *Utrum Christus, ut homo, habuerit potestatem super omnes res temporales, necnon super omnia regna mundi?*

Resp. Affirmative; hoc scilicet sensu quod, quia erat Filius Dei naturalis et non adoptivus, habuit altum et directum dominium in omnia temporalia et regna mundi; et utique de omnibus huius saeculi sive rebus, sive dignitatibus disponere, ut homo, pro lubito potuisset, si hoc Incarnationis fini conveniens fuisset.

Igitur, distinguendum est inter potestatem ipsam et exercitium illius. Et *primo*, quod Christus regiam potestatem super omnes reges terrae habuerit, evidenter sequitur ex propinquitate illius humanae naturae ad divinitatem, ex qua omnis potestas derivatur, necnon ex plenitudine virtutum et scientiae, etiam

1. Rom. XII, 1. — 2. Ad 2^m. — 3. 1, Cor. XV, 22. — 4. Cf. ad 3^m. — 5. Art. prace. n. 5.

naturalium, quae faciunt congruitatem ad susceptionem regiae dignitatis.

Quocirca, de Christo praenuntians regius Psaltes[1] ait : *Constituisti eum super opera manuum tuarum ; omnia subiecisti sub pedibus eius*, id est, ut explicat S. Thomas[2], sub illius *humanitate*. Ad quem locum, evidenter alludens Apostolus[3], dicit : *Omnia subiecta sunt ei : sine dubio praeter eum qui subiecit ei omnia ;* et Christus ipse de semetipso confitetur[4] : *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;* unde etiam Dominus Noster minime tenebatur tributa solvere[5], aut caeteris principum legibus parere : siquidem, ut homo, nulli mortalium subditus existebat : unde vere et proprie dictus est *Rex regum et Dominus dominantium*[6].

Secundi autem ratio est, quia omnes res humanae quodammodo ordinantur in finem beatitudinis quae est salus aeterna, quam procurare pertinet ad Christum ; atqui, cui committitur principale committitur et accessorium : ergo Christo non conveniebat iudiciariam et consequenter regiam potestatem exercere circa res temporales et regna mundi, nisi secundum quod finis Incarnationis postulabat. Quapropter regnum terrenum temporaliter Christus administrare noluit, aut iudiciariam potestatem in res temporales exercere : siquidem humilis propter nos apparere voluit, et terrenis rebus contemptis, homines ad divina transferre. Caeterum, quod ipsemet Christus dixerit[7] : *Regnum meum non est de hoc mundo*, non tollit quin in hoc mundo etiam sit regnum eius, sed tantum excludit quod humana auctoritate sit derivatum.

Ex quibus constat minime probandum esse quod ait Bellarminus[8], nempe *Christum hominem, si voluisset, et si expedire sibi visum fuisset accipere regiam auctoritatem, tamen noluisse, proinde nec accepisse, nec habuisse non solum executionem dominii et regni, sed nec auctoritatem vel potestatem regni ullius temporalis.* Sane, aliud longe est ius quoddam possidere, aliud huius iuris exercitium habere, ut dictum est ; aliunde praesentia regiae potestatis in Christo, eamdem in Romano Pontifice eius successore

1. Ps. VIII, 7, 8. — 2. Comment. in Ep. ad Hebr. II, 1, 2. — 3. 1, Cor. XV, 27. — 4. Matth. XXVIII, 18. — 5. Cf. S. Thom. Catena aurea. Matth. XVII, 26. — 6. Apoc. XIX, 16 ; cf. Ibid. I, 5. — 7. Io. XVIII, 36. — 8. De Romano Pontifice, I. V, c. 4.

non inducit, ut supponere videtur Bellarminus, qui eam in Christo denegat ne eam cogatur ponere etiam in Papa, siquidem, ut mox dicetur[1], non in omnia Christi iura Romanus Pontifex succedit.

7. — Quaestio II. — *Utrum Christus, ut homo, habuerit iudiciariam potestatem?*

Resp. Affirmative, ut erui potest ex dictis de regia potestate: nam, ut tradit Angelicus[2], *iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem;* unde legimus[3]: (Pater) *potestatem dedit ei* (Christo) *iudicium facere, quia Filius hominis est.* — Ad quod intelligendum, sciendum est quod, licet ad Deum pertineat primaria auctoritas iudicandi, quia Deus est prima veritas et sapientia, penes quam attenditur forma iudicii, tamen hominibus committitur a Deo iudiciaria potestas respectu eorum qui eorum iurisdictioni subiiciuntur[4]: Christi autem iurisdictioni ut homo est, omnia subiecta sunt, cum etiam in humana natura sit caput ecclesiae; *unde ad eum pertinet, etiam secundum humanam naturam, habere iudiciariam potestatem.*

Haec autem iudiciaria Christi potestas omnes prorsus res complectitur, ut patet, *primo*, ex propinquitate illius animae ad Verbum, ex quo maiorem recipit influxum veritatis, unde iudicii forma sumitur; *secundo*, ex merito mortis illius, qua hanc dignitatem sibi comparavit; *tertio*, ex eo quod omnes prorsus res humanae ordinantur ad finem beatitudinis aeternae quam nobis Christus meritis suis comparavit[5]. Nec obstat quod cuidam de turba Christum interpellanti[6]: *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum haereditatem,* ille responderit[7]: *Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?* Nam, ut advertit Angelicus[8], *iudiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre;* et S. Ambrosius dicit[9]: *Bene terrena declinat, qui propter divina descenderat; nec iudex dignatur esse litium et arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.*

1. Art. 6, n. 7. — 2. 3, Quaest. LIX, art. 4, ad 1^m. — 3. Io., V, 27. — 4. 3, Quaest. LIX, art. 2. — 5. Ibid., art. 4. — 6. Luc. XII, 13. — 7. Ibid., 14. — 8. Ibid. ad 1^m. — 9. In hunc locum Lucae.

Haec autem iudiciaria, sicut etiam regalis potestas, nativo iure Christo debebatur propter divinam personam, scilicet ex eo quod est Unigenitus Dei, et etiam ex eo quod est hominum caput : signanter autem iudiciaria potestas debebatur Christo etiam propter plenitudinem gratiae habitualis in ipso, secundum quam *spiritualis homo iudicat omnia*[1]. Hoc autem non impedit quominus etiam ex meritis Christus adeptus sit regiam et iudiciariam potestatem; nam, sicut gloria corporis debita erat Christo et propter congruentiam divinae personae et propter gloriam animae, et tamen sub merito humilitatis passionis cecidit, ita etiam ex eo quod Dominus Noster pugnavit et vicit et iniuste iudicatus est, merito sibi comparavit regalem et iudiciariam potestatem, quae tamen ex aliis titulis sibi debebatur, maxime propter unionem hypostaticam[2].

8. — Corollarium. — Ex hisce omnibus sequitur iure quodam nativo honores esse decernendos Domino nostro, non modo propter eius in ordine supernaturali dignitatem, sed etiam propter eius in ipso civilis societatis ordine primatum : unde, aut ignorantiae aut malitiae arguendi sunt qui, dum cultus catholici manifestationem intra templorum penetralia permittunt, externo tamen Christi triumpho, in publicis processionibus, exhibendo invident : siquidem, nedum ut hominum Salvator, verum etiam ut omnium gentium rex et dominator, Christus regnat, Christus vincit, Christus imperat.

ARTICULUS III. — *Utrum Christus sit caput omnium hominum.*

1. — Praenotandum. — Inter corpus hominis naturale et corpus Ecclesiae mysticum, haec intercedit differentia, quod in corpore naturali simul sunt omnia membra, in corpore autem mystico omnia membra non sunt simul, *primo* quantum ad esse naturae, *secundo* quantum ad esse gratiae. Quantum ad esse naturae, nam corpus Ecclesiae componitur ex hominibus, non

1. 1, Cor. II, 15. — 2. 3, Quaest. LIX, art. 3.

modo qui sunt, sed qui fuerunt a principio mundi et qui erunt usque ad finem ipsius; quantum vero ad esse gratiae, quia eorum etiam qui sunt in uno tempore, alii iam habent gratiam, aliis ea carentibus, postmodum illam habituris.

2. — Quotuplici modo aliquis Christo uniatur. — Porro, considerantes corpus secundum hunc adspectum, invenimus, ex eis qui sunt membra corporis Christi mystici, seu Ecclesiae, alios esse *actu* ipsi unitos, alios vero tantummodo in *potentia*. Et qui quidem actu Christo uniuntur, aut uniuntur α) secundum charitatem consummatam patriae, quae in Dei visione consistit, aut β) secundum charitatem viae, aut γ) solum secundum fidem, quae unit Christo, non simpliciter, sed ut per ipsam homo consequatur vitam gratiae. Qui autem potentia tantum uniuntur Christo, aut ita sunt in potentia, ut γ) aliquando reducantur in actum, aut ita ut δ) nunquam in actum reducantur.

3. — Errores. — Donatistae saeculo IV, Wicleffus et Ioannes Huss saeculo XIV, Lutherus et Calvinus saeculo XVI, docuerunt Ecclesiam esse universitatem tantummodo praedestinatorum; ex quo sponte sequebatur Christum horum solum esse caput, et non omnium hominum, contra quos sit

4. — PROP. — Christus α) est caput omnium hominum, β) sed diversimode.

Prob. 1ª Pars. — Ex pluribus locis Sacrae Scripturae, in quibus omnium hominum Christus dicitur aut Salvator aut Redemptor. Sic[1]: *Est Salvator omnium hominum, et maxime fidelium;* et rursus[2]: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Atqui esse Salvatorem omnium hominum, aut propitiationem pro peccatis eorum, competit Christo secundum quod est eorum caput. Ergo Christus est caput omnium hominum. Hinc merito damnatae sunt a Martino V (A. D. 1418) sequentes praedictorum haereticorum propositiones : *Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas*[3]. *Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars eius finaliter*

1. 1, Tim. IV, 10. — 2. 1, Io. II, 2. — 3. N. 1. DENZINGER, n. 522.

excidat ab ea, eo quod praedestinationis charitas, quae ipsam ligat, non excidit[1].

5. — **Prob. 2ª Pars.** — Christus dicitur caput, secundum quod influit vitam et motum spiritualem gratiae in membra. Atqui diversimode Christus influit vitam et motum spiritualem gratiae in homines. Ergo diversimode est caput hominum.

6. — **Explicatur.** — *Primo* et principaliter Christus est caput eorum qui actu uniuntur ipsi per gloriam et *charitatem patriae*. Ad quod respiciens Augustinus aiebat[2]: *Quam multae oves foris, quam multi lupi intus, et quam multae oves intus, et quam multi lupi foris*. Et iste gradus comprehendit omnes illos qui sunt in termino immutabiliter, licet a fruitione aliquo tempore forsan impediti fuerint, sicut patres in Limbo.

Secundo. Christus est caput eorum qui sibi actu uniuntur per gratiam et *charitatem viae* : sive sint permansuri, sive sint abscindendi, unde *per baptismum*, quo gratia solet primo infundi, *membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae*, ait Eugenius IV[3]. Unde legimus[4] : *Qui ergo receperunt sermonem eius* (Petri), *baptizati sunt, et appositae sunt die illa animae circiter tria millia*. Hic igitur gradus comprehendit omnes gratiam habentes, sive sint praedestinati sive praesciti, necnon animas in purgatorio quae totaliter extra statum viae non sunt.

Tertio. Christus est caput eorum qui actu sibi uniuntur *per fidem*, cuiusmodi sunt fideles in mortali peccato existentes, qui, licet vita gratiae careant, tamen sunt membra Christi actu, cum percipiant a Christo actum vitae qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliquatiter ab homine. Quod autem fides Christo actu uniat, licet non perfecte, eruitur in hisce Tridentini[5] verbis : *Fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit;* fides enim, licet *sine operibus mortua* sit[6], et ita non perfecte hominem uniat Christo, tamen impedit ne homo, tanquam ramus vita carens, a trunco praecidatur. Quod enim homines sint *vera* membra Ecclesiae, habent ex fide ; quod autem sint *viva* membra,

1. N. 3. Cf. etiam nn. 5, 6, etc. — 2. Tract. XLV, n. 2. — 3. In decreto pro Armenis. — 4. Act. II, 41. — 5. Sess. VI, c. 7. — 6. Iac. II, 20.

habent a charitate. Hoc igitur sensu intelligenda est littera textus[1]: *Qui... subduntur peccatis non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter*, scilicet non viva membra, sed tamen vera. Hoc sensu et ipsi catechumeni ad Ecclesiam pertinent, sicut *concepti qui nondum viderunt lucem*[2].

Quarto. Christus est caput eorum qui ei uniuntur solum in *potentia*, nondum ad actum reducta, quae tamen ad *actum*, secundum ordinem praedestinationis, sit *reducenda*, cuiusmodi sunt infideles, haeretici, schismatici et generatim omnes qui veram fidem aut nunquam habuerunt, aut aliquando habitam respuerunt, qui tamen ad meliorem frugem divina gratia aliquando sunt adducendi.

Quinto, denique, Christus est etiam caput eorum qui in potentia sunt ei uniti, quae tamen *nunquam* reducetur *ad actum*, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati. Et isti etiam ad corpus Ecclesiae quodammodo pertinere dici possunt sub capite Christo, eo quod et ipsi sunt in potentia ut Christus in eos vitam gratiae influat : quae potentia fundatur primo et principaliter in virtute Christi sufficiente ad salutem totius generis humani, secundario autem in arbitrii libertate [3]. Unde iure prohibita est sequens propositio [4]: *Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis, nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti*, in qua sane propositione plura reprehensione digna notari queunt.

7. — **Scholia** — **I.** Quae cum ita sint, dici potest omnes homines aliquo modo concurrere ad aedificationem corporis Christi. *Utitur Ecclesia*, ait S. Augustinus[5], *gentibus ad materiam operationis suae, haereticis ad probationem doctrinae suae, schismaticis ad documentum stabilitatis suae ; iudaeis ad comparationem pulchritudinis suae ; alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit ; omnibus tamen gratiae Dei participandae dat potestatem, sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi.*

1. Ad 2^m. — 2. Iob. III, 16. — 3. Ad 1^m. — 4. Prop. 5. inter 31 prohibitas ab Alexandro VIII, 1690, Denzinger, n. 1162. — 5. De vera Relig., c. 6.

II. A Christi corpore nec Patres Veteris Legis excluduntur. Licet enim sacramentis Veteris Legis deservirent, quae ad Christum comparantur sicut membra ad corpus, iuxta illud [1]: *Qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium*, tamen cum non insisterent istis sacramentis legalibus tamquam rebus, sed solum tamquam imaginibus et umbris futurorum, ideo ad idem corpus pertinebant, ad quod nos pertinemus. Nam idem est motus in imaginem in quantum est imago, et in rem ipsam cuius est imago; ideoque antiqui Patres, cum servarent legalia sacramenta, ferebantur in Christum quem illa repraesentabant, per fidem et dilectionem eamdem, qua et nos in ipsum ferimur [2]; attamen humanitas Christi non physico, sed morali tantum influxu in illis operabatur, scilicet secundum acceptationem divini Beneplaciti.

III. Illi simpliciter extra Ecclesiam sunt, ideoque eorum caput non est Christus, qui ex hoc saeculo recedentes, a vita aeterna penitus arcentur, ut sunt damnati et pueri in Limbo; nam, cum non sint in potentia ut Christo uniantur, ideo totaliter desinunt esse membra Christi, licet forsan aliquando actu eius membra extiterint. Potest tamen dici Christus dominativam potestatem in eos exercere, sicut rex in cives rebelles.

8. — Quaestio. — *Quonam sensu sint intelligenda verba S. Pauli*[3]*:* CHRISTUS DILEXIT ECCLESIAM ET SEIPSUM TRADIDIT PRO EA, UT ILLAM SANCTIFICARET, MUNDANS LAVACRO AQUAE IN VERBO VITAE, UT EXHIBERET IPSE SIBI GLORIOSAM ECCLESIAM NON HABENTEM MACULAM AUT RUGAM, AUT ALIQUID HUIUSMODI, SED UT SIT SANCTA ET IMMACULATA ?

Resp. Hic Ecclesia sumenda est, non prouti est in statu viae, de qua dicitur [4]: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, sed prouti est futura in statu patriae [5]. *Ubicumque*, ait S. Augustinus [6], *commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum quasi iam sit, sed quia praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa.* Unde verba Apostoli sunt hoc sensu intelligenda, quod Christus modo Ecclesiam mundat, illam postea exhibiturus omni macula carentem, conformiter eis

1. Hebr. VIII, 5. — 2. Ad 3[m]. — 3. Eph. V, 25, sqq. — 4. 1, Io. I, 8. — 5. Ad 2[m]. — 6. L. II, Retract., c. 18.

quae habentur[1] : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo ;* unde desponsationis tempus distinguitur a tempore quo Ecclesia, tamquam castissima sponsa, sit Christo exhibenda. Licet et modo Ecclesia immaculata dici valeat, non solum propter excellentissimam doctrinae sanctitatem, sed etiam propter magnam aliquorum hominum in vitae sanctitate praestantiam, quo sensu dicitur in Concilio Toletano VI [2] : *Credimus Ecclesiam Catholicam sine macula et ruga.*— Nec obstat quod etiam viri sancti absque levibus peccatis diu vivere haud valeant, nam, ut S. Augustinus ait[3], *ingredi sine macula non absurde etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.*

9. — Corollarium. — Ex hisce omnibus apparet quanti sit momenti ut unusquisque Christo capiti coniunctissime adhaereat, nisi a vita aeterna gratiae et gloriae praecidi se velit, iuxta ea S. Pauli [4] : *Non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei,* οὐ κρατῶν τὴν κεφαλήν ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ.

ARTICULUS IV. — *Utrum Christus sit caput Angelorum.*

1. — Ratio articuli. — Quod non solum homines sed etiam angeli ad Ecclesiam pertineant, unanimis est omnium Doctorum sententia ; ex quo sponte sequitur eorum etiam Christum aliquo modo caput existere.

At, difficultas ex eo ducitur, quod gratiam et gloriam essentialem angeli non receperunt intuitu meritorum Christi, cum Christi Domini Incarnationis motivum fuerit, ut dictum est[5], reparatio peccati Adae, ideoque liberatio et redemptio generis humani, iuxta illud Symboli : *Qui propter nos homines, et propter*

1. 2, Cor. XI, 2. — 2. Cap. 1.— 3. L. de Perf. Iust., c. 9. — 4. Col. II, 19.— 5. Quaest. I, art. 3.

nostram salutem, descendit de coelo, etc., ut etiam ostendunt omnia loca Divinarum Litterarum, in quibus Christus Salvator *noster* dicitur, hominesque ab ipso sanctificati fratres illius appellantur : unde et dicitur, *nusquam angelos apprehendisse*[1]. Quocirca nec est pro angelis passus aut mortuus, ut etiam innuere videtur S. Paulus[2] : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt,* quibus verbis significatur pro illis tantum Christum mortuum esse qui morti corporis sint obnoxii. Hisce tamen non obstantibus, sit

2. — PROP. — **Christus est caput etiam Angelorum.**

Prob. α) **Auctoritate** S. Pauli[3] : *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis,* καὶ ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας. Et rursus[4] : *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, et omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Nec obstat quod in graeco habeatur ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, *super omnia Ecclesiae* : sensus enim idem est, scilicet quod Christus sit super omnia praepositus in Ecclesia. Quocirca influentia quaedam in angelos Christo deneganda non est, cum Deus proposuerit *instaurare,* seu, ut in graeco habetur, *recapitulare* (ἀνακεφαλαιώσασθαι, quod est *sub capite constituere*) *omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt in ipso*[5]. Immo, fatente eodem Apostolo[6], Deo complacuit *per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis eius sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.*

3. — β) **Ratio theologica.** — Similitudinarie, sive per metaphoram, unum corpus dicitur multitudo ordinata in unum, secundum distinctionem actuum sive officiorum. Atqui ad unum finem, scilicet ad gloriam divinae fruitionis, ordinantur et homines et angeli. Ergo corpus mysticum Ecclesiae constat non modo ex hominibus, sed etiam ex angelis. Atqui, ubi est unum corpus, ibi necesse est ponere unum caput. Ergo totius Ecclesiae est

1. Hebr. II, 16. — 2. 2 Cor. V, 14. — 3. Col. II, 10. — 4. Eph. I, 20, sqq. — 5. Ibid., 10. — 6. Col. I, 20.

unum caput. Porro, caput ille debet esse qui propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius, non modo quantum ad homines, sed etiam quantum ad angelos, et de cuius influentia tum angeli tum homines recipiunt. Atqui talis est Christus. Ergo Christus est caput non solum supra homines, sed etiam supra angelos.

4. — Confirmatur. — Ecclesia, secundum statum viae, est congregatio fidelium viatorum; secundum autem statum patriae, est congregatio comprehendentium. Atqui Christus non solum fuit viator, sed etiam comprehensor: ergo non modo fidelium, eorum scilicet qui in fide ambulant, sed etiam comprehendentium, eorum nempe qui ambulant per speciem, sive per apertam Dei visionem, inter quos sunt et angeli, caput existit, utpote plenissime habens tum gratiam viae, tum gloriam patriae[1].

5. — Corollarium. — Exinde angeli adorationem Christo debent tanquam suo capiti, iuxta ea[2]: *Et adorent eum omnes angeli Dei;* sed et in illius vita mortali ei famulabantur[3]: *Et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei.*

6. — Scholion. — Licet Christus dicatur caput angelorum formaliter ratione animae, tamen realiter est eorum caput, non modo secundum animam, sed etiam secundum corpus, id est, secundum totam suam humanitatem.

Primum constat, quia secundum animam attenditur conformitas naturae inter Christum et angelos, quae conformitas est conditio et ratio cur Christus possit dici angelorum caput. Revera, sicut influentia Christi supra homines est primo et principaliter quantum ad animas, ita et ratione conformitatis animae Christi cum angelis, non quidem in natura speciei, sed tantum in natura generis, Christus angelorum caput evadit; et quidem deficientia huius conformitatis in natura speciei impedit quominus angeli dicantur membra Christi[4].

Secundum etiam patet, quia licet per assimilationem causae ad effectum, res spiritualis agat in res spirituales et res corporalis in corpora, quo sensu dicit Augustinus[5] quod sicut Verbum quod

1. Ad 2^m. — 2. Hebr. I, 6. — 3. Matth. IV. 11. — 4. Ad 1^m. — 5. Tract. XIX, sup. Ioan.

erat in principio apud Patrem vivificat animas, ita Verbum caro factum vivificat corpora, – tamen tota Christi humanitas, ex virtute divinitatis, sicut potest aliquid causare in spiritibus hominum, ita etiam in spiritibus angelicis, propter maximam eius coniunctionem ad Deum, secundum unionem personalem[1].

Nec in hoc adest repugnantia. Nam, si exempli gratia, phantasma sub lumine intellectus agentis potest agere in animam intellectivam, cur reputabitur impossibile quod res aliqua corporea, virtute divinitatis cui hypostatice est coniuncta, in ipsam substantiam separatam agat? Quod enim phantasmati ex naturali vinculo intellectus accidit, hoc profecto humanitas Christi ex divinitatis coniunctione sortitur, immo tanto excellentiori modo, quanto est et divinitas altior et humanitas nobilior et coniunctio intimior, ut non modo humanitas Christi in angelos spirituales agat, sed et effectus ordinis supernaturalis in eis producat, et producat libere, quod phantasmati non competit. Hoc modo etiam videmus ignem materialem purgatorii et inferni agere in animas, et sacramenta spirituales gratias conferre[2].

7. — Quaestio I. — *Quidnam Christus angelis influxerit?*

Resp. Christus non influxit angelis gratiam et gloriam essentialem, ut dictum est, sed plura quae ad actus hierarchicos spectant, ut sunt illuminatio, purgatio, perfectio et directio, necnon aliquid ad praemium accidentale pertinens, scilicet gaudium de hominum salute. Ita S. Thomas[3] dicit Christum, *non influere angelis merendo gratiam, aut orando pro eis, sed in his quae ad actus hierarchicos pertinent;* et rursus ait[4] : *Angeli non sunt viatores quantum ad praemium essentiale, et ideo quantum ad hoc nihil eis meruit* (Christus). *Sunt autem aliquo modo viatores respectu praemii accidentalis, in quantum nobis ministrant: ad quod valet eis meritum Christi.* Quibus similia habet S. Bonaventura[5] : *Ex hoc eodem angelis mysteria multa revelantur, et gaudia multa referuntur, de restauratione sua quae invenitur facta per Christum. Et ideo etiam ipsi accipiunt et motum et sensum : non, inquam, illum qui est de essentia gratiae et gloriae, sed qui est de bene esse et per-*

1. Ad 3^m. — 2. Cf. Caiet. — 3. 3, Dist. XII, q. 2, art. 2. — 4. Q. XXIX de Verit., a. 7, ad 5^m. — 5. 3, Dist. XIII, quaest. ult.

fectione. Ex hoc quoque capite dici potest Christus influere in angelos, quia per ipsum lapsus aliquorum inter eos reparatus est in substitutione hominum, de quorum salute gaudium percipiunt, in Christum ultimo refundendum.

Quod si quando Christus, penes aliquos Patres, uti, verbi gratia, penes S. Bernardum[1] vocatur *angelorum Redemptor*, hoc non secundum humanam, sed secundum divinam naturam intelligendum est, vel ut ait ipsemet Bernardus[2] : *Idem et angeli Salvator et hominum : sed hominis ab Incarnatione, angeli ab initio creaturae*.

Attamen, potest ulterius concedi Christum influxisse in angelos, sicut etiam in Adam in statu innocentiae, etiam gratiam essentialem, ita ut dicatur simpliciter omnium caput quoad totam gratiam et gloriam; *secus*, ait Card. Satolli[3], *divinae praedestinationis ordo universaliter non haberetur*. Quod tamen intelligendum non est, quasi angelorum gratia, secundum primam infusionem, derivanda fuerit ab Incarnationis mysterio, cum huius motivum non fuerit angelorum gratificatio, sed humani lapsus reparatio, et sic non secundum habitudinem causae efficientis et meritoriae, ut diximus; sed quia Deus, in infundendo gratiam angelis, respectum habebat ad Christum, quem angelicarum hierarchiarum caput praedestinaverat ; ideoque Christus dicendus est angelorum caput, etiam quantum ad gratiam et gloriam essentialem, secundum habitudinem causae exemplaris et finalis, quatenus divina voluntas, quae uno simplicissimo actu complectitur omnia in sua scientia contenta, praeordinaverit angelis conferre gratiam ad instar iustitiae Christi, et in finem exaltationis illius[4].

8. — **Quaestio II.** — *Utrum Christus habuerit angelum custodem ?*

Huic dubio ita respondet S. Thomas[5] : *Christus, secundum quod homo, immediate regulabatur a Verbo Dei, unde non indigebat custodia angelorum : et iterum secundum animam erat comprehensor ; sed ratione passibilitatis corporis erat viator : et secundum hoc non*

1. Serm. XXII, in Cantic. — 2. Ibid. — 3. In h. l. — 4. Cf. quae supra diximus, Quaest. I, a. 3, n. 11. — 5. 1, Quaest. CXIII, art. 4, ad 1^m.

debebatur ei angelus custos, tanquam superior, sed magis minister, tanquam inferior; unde dicitur[1], *quod accesserunt angeli et ministrabant ei.*

ARTICULUS V. — *Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis.*

1. — Ratio articuli. — Ex dictis iam constat gratiam Christo, ut est quidam singularis homo, collatam, quae dicitur personalis, esse illammet gratiam qua anima eius iustificata est; gratiam vero quae eius est secundum quod est caput Ecclesiae, et quae dicitur gratia capitis, esse gratiam eius qua iustificat alios; unde modo restat determinandum, utrum duplex ista gratia sit *realiter*, an solum *ratione* distinguenda.

2. PROP. — **Gratia Christi secundum quam est caput Ecclesiae** α) **est eadem secundum essentiam ac gratia eius personalis;** β) **differt tamen secundum rationem.**

Prob 1ª Pars. — I. Auctoritate. — Gratia capitis est qua Christus in homines gratiam influit secundum quod est in ipso gratiae plenitudo, iuxta ea[2]: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Gratiae autem plenitudo est in Christo, secundum quod perfecte fuit in illo gratia personalis, ut dictum est quaestione praecedenti[3]. Ergo gratia capitis non est alia a gratia personali in Christo.

3. — II. Rat. theologica. — Actus quo aliquid est actu secundum eminentiam quamdam, est idem secundum essentiam cum actu quo illud quod taliter existit in actu, agit in alia. Atqui gratia personalis Christi est actus sive forma, qua anima eius est iusta secundum maximam eminentiam. Ergo gratia personalis Christi est eadem secundum essentiam cum gratia capitis, secundum quam alii iustificantur.

Maior probatur. Revera, unumquodque agit in quantum est ens

1. Matth. IV, 11. — 2. Io. I, 16. — 3. Art. 9.

actu. Ergo idem est actus quo est actu et quo agit, sicut idem est calor quo ignis est calidus et quo calefacit. Sed, cum agens sit praestantius patiente, ut habent S. Augustinus[1] et Philosophus[2], ad hoc ut aliquid possit esse principium agendi in alia et quidem univoce, ut in casu praesenti, non sufficit ut sit actu quocumque modo, sed requiritur ut sit actu secundum eminentiam quamdam : unde dictum est quod forma, quae secundum eminentiam quamdam aliquid actuat, est eadem secundum essentiam cum forma qua illud quod est actu per eam, agit in alia.

Minor constat : dictum est enim in anima Christi receptam fuisse gratiam secundum maximam eminentiam : unde ex ista eminentia gratiae quam accepit Christus, competit ei quod eius gratia ad alios derivaretur, quod ad rationem gratiae capitis pertinet.

4. — Prob. 2ª Pars. — Gratia Christi, prout est singularis homo, respicit eius animam in quantum eam formaliter sanctificat; prout vero est capitis, respicit alios sanctificandos. Ergo, secundum rationem, prior ab altera differt.

Revera, cum habitus specificantur ab actibus, si huiusmodi actus tales sint, ut non sint specifice distincti, sed potius unus sit ratio alterius, non diversificant habitum secundum rem, sed solum secundum rationem. Atqui actus gratiae personalis, qui est facere habentem formaliter sanctum, non est specie distinctus ab actu gratiae capitis, qui est facere alios iustos ; imo actus personalis gratiae est ratio actus iustificativi aliorum : exinde non diversificatur re gratia personalis Christi a gratia capitis, sed solum ratione[3].

5. — Scholion. — Cum hoc tamen stat quod realiter distinguitur utraque gratia, scilicet personalis et capitis, a gratia unionis, quod dicitur contra Vasquez, cui visum est Christum, in ratione capitis, sola gratia unionis constitui, ita quod gratia unionis esset idem re ac gratia capitis. Revera, gratia unionis non ordinatur ad aliquem actum, sed ad esse personale ; gratia autem personalis et capitis ad aliquem actum ordinatur, ideoque utraque convenit in essentia habitus, non autem gratia unionis[4].

1. L. XII, super Gen. ad Litt. — 2. III de Anim. t. 19. — 3. Ad 2ᵐ. — 4. Ad 3ᵐ. Cf. Dionys. Cartus. Comment. in Luc. c. II. art. 7. Opp. T. XI.

Hic advertatur S. Thomam nonnisi propter reverentiam aliquorum Doctorum, permittere ut gratia personalis vocetur etiam gratia unionis, non quasi sit ipsa unio personalis, sed eo sensu quo facit congruitatem quamdam ad unionem[1]; secundum quod et gratia unionis et gratia capitis et gratia singularis personae in Christo esset unus idemque habitus realiter, differens tantum ratione. — Caveat tamen novitius, audiens quod gratia personalis facit congruitatem ad unionem, ne intelligat hanc congruitatem antecedenter ad unionem, quasi Christus prius extiterit homo quam esset Filius Dei, sed potius consequenter, et quidem sine medio. Aliquando enim potest aliquid disponere ad perfectionem, aut tanquam medium inter perficiendum et perfectionem ipsam, sicut diaphanceitas quae mediat inter aërem et illuminationem; aut antecedenter sine medio, sicut calor disponit ad ignem; aut denique consequenter, sicut quod facit decentiam et decorem ad formam iam habitam, quo sensu solet dici quod *species Priami digna est imperio*[2]. Porro hoc ultimo sensu personalis gratia Christi facit congruitatem ad unionem.

6. — Difficultas. — Gratia Christi est abundantior quam peccatum primi hominis, ad quod delendum ordinatur, iuxta illud[3]: *Non sicut per unum peccatum ita et donum... Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Atqui in Adam distinguitur peccatum personale a peccato naturae. Ergo etiam in Christo alia specifice est gratia personalis, et alia gratia capitis.

Resp. Non eadem ratio est quod peccatum traducatur ad homines, et quod ad eos perducatur gratia Christi. Nam peccatum originale in Adam, quod quidem est peccatum naturae, derivatum est a peccato actuali eius quod est peccatum personale. Et ratio est, quia persona in ipso corrupit naturam, et natura vicissim corrupit singulas humanas personas quae ex eo oriuntur; nam peccatum primi hominis derivatur ad singulos eius posteros mediante corruptione naturae. Sed gratia Christi, praeterquam-

1. Cf. Quaest. praec., art. 13. — 2. Cf. CAIET., et 3. Dist. XIII, art. 3, quaest. 3. — 3. Rom. V, 16, 17.

quod in anima eius non fuit recepta principaliter ex actuali eius operatione, sed ex Dei immediata operatione, quando derivatur ad homines, non derivatur ad ipsos mediante natura humana, sed immediate per solam actionem personalem ipsius Christi. Ergo non est necesse distinguere in Christo duplicem gratiam, quarum una respondeat naturae, alia personae; cum gratia non per naturam traducatur, sicut peccatum Adae, in quo propterea praeter peccatum personale, etiam peccatum naturae ponitur[1].

ARTICULUS VI. — *Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo.*

1. — Sensus quaestionis. — Proprium hic ponitur secundum quod excludit commune Christo et creaturis, non autem secundum quod excludit commune Christo et Creatori. Nam et Deus est caput Christi, ideoque Ecclesiae; et Spiritus Sanctus, cum sit Ecclesiae cor, ipsius capitis influentiam invisibilem exercet, immediate quidem in anima Christi, illam gratia perfundendo, et mediante eius humanitate in Ecclesiae membris, illa sanctificando. Igitur quaestio est utrum, cum Christo capite, et aliae creaturae adscisci valeant.

2. — Praenotandum. — Porro, ad quaesiti solutionem, distinguendus est duplex modus quo caput influere in membra dicitur. Unus modus est ut caput influat in membra *intrinseco* quodam influxu, prout nempe virtus motiva ac sensitiva a capite derivatur ad caetera membra. Alius autem modus est, ut caput influat in membra secundum quamdam *exteriorem* gubernationem, prout secundum visum et alios sensus, qui in capite radicantur, corpus ipsum dirigatur in suis actibus exterioribus[2].

3. — PROP. — Esse caput Ecclesiae α) secundum interiorem gratiae influxum est proprium Christo; β) secundum autem exteriorem influxum aut gubernationem, possunt et alii dici capita Ecclesiae, γ) differenter tamen a Christo.

1. Ad 1^m. — 2. Hoc sensu plures haeretici *acephali* dicti sunt.

Prob 1ª Pars. — Nam interior gratiae influxus non est nisi a Christo, cuius humanitas, ex hoc quod est divinitati coniuncta, virtutem habet hominem iustificandi. Revera, quidquid homo vel angelus in ordine gratiae praestare potest, hoc totum consistit in exteriori quadam persuasione, non autem in interiori influxu, secundum illud[1] : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et secundum hunc sensum, nos hortatur Paulus[2] ut *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensura uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate*[3].

4. — **Prob 2ª Pars.** — Alii igitur, praeter Christum, possunt habere influxum in Ecclesiae membra, quantum ad exteriorem gubernationem; ideoque et ipsi capita Ecclesiae dici possunt, quemadmodum et reges et principes populorum capita dicuntur, iuxta illud[4] : *Optimates capita populorum.* Et hoc quidem sensu obiurgabatur Saül a Samuele[5] : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es;* eo quod scilicet populi iudaici, qui Ecclesiam Novi Testamenti praefigurabat, rex a Deo constitutus fuerat[6].

5. — **Prob. 3ª Pars.** — At isti non dicuntur capita Ecclesiae eodem censu ac Christus, sed diverso modo — tum ratione extensionis, tum ratione auctoritatis.

Ratione quidem *extensionis*, nam Christus est universaliter caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum, et tempus et statum: alii autem dicuntur capita secundum specialia loca, aut determinata tempora, aut determinatos status. Homines enim dicuntur capita quantum ad specialia loca, ut Episcopi per respectum ad suas ecclesias; aut si capita dicuntur per respectum ad totam Ecclesiam, uti est Summus Pontifex, tamen capita non sunt, nisi secundum determinatum tempus, id est in statu viae, non autem in statu patriae.

Pariter, ratione *auctoritatis* isti differunt a Christo; nam Chri

1. Eph. IV, 29. — 2. Ibid., 15, 16. — 3. Ad 2ᵐ. — 4. Amos, VI, 1. — 5. 1, Reg. XV, 17. — 6. Ad 1ᵐ.

stus Ecclesiae caput existit propria virtute et auctoritate ; alii vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Christi. Hinc Paulus testatur se indulgentiam incestuoso homini concessisse, tanquam Christi vices gerens, ἐν προσώπῳ χριστοῦ : *Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*[1]. Rursus idem Apostolus se exhibet tanquam Christi legatum : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν[2].

6. — Scholion. — Pari ratione aliis a Christo communicabilia exhibentur nomina *pastor* et *fundamentum*, in quantum scilicet ipsi sunt unius pastoris et fundamenti membra, sicuti sunt unius capitis membra. Unde Augustinus ait[3] : *Si praepositi Ecclesiae pastores sunt, quomodo unus pastor est, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris ?* Ideoque, licet pastores plures sint, tamen unus est princeps pastorum : *Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam*[4]. Et quanquam *murus civitatis* (Ecclesiae) *habeat fundamenta duodecim*[5], tamen unus est summus lapis angularis, Christus Iesus[6], fundamenti capitis ad instar, *praeter quod nemo potest aliud fundamentum ponere*[7].

Attamen, licet Christus aliis communicaverit esse caput, pastorem et fundamentum, necnon alia plura nomina quae ipsi primo et per se conveniunt, ut puta, esse Pontificem, Episcopum etc., tamen reservavit sibi esse *ostium*, et tantummodo permisit ut alii a se essent *ostiarii*, iuxta illud[8] : *Amen, amen, dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me, si quis introiverit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* Ad quod alludens Augustinus, ait[9] : *Pastorem esse dedit membris suis, ostium vero nemo nostrum se dicit : hoc sibi ipse proprium tenuit.* Et ratio est, quia in ostio importatur principalis auctoritas, dum ostium est, per quod oves ingrediuntur in domum, et ipse solus Christus est,

1. 2, Cor. II, 10. — 2. Ibid., V, 20. — 3. Tract. XLVI. in Ioan. — 4. 1, Pet. V. 4. — 5. Apoc. XXI, 14. — 6. Eph. II, 20. — 7. 1, Cor. III, 11. — 8. Io. X, 7 sqq. — 9. Tract. XLVII. in Ioan.

per quem *accessum habemus in gratiam istam in qua stamus*[1]; per alia vero nomina praedicta importari potest auctoritas, non modo principalis, sed etiam secundaria[2].

7. — Corollarium. — Ex quibus omnibus apparet simul, quo sensu, et quam recte Romanus Pontifex dictus sit a tota antiquitate unanimi consensione Ecclesiarum Orientis et Occidentis, totius Ecclesiae caput visibile, et quam recte Concilium Florentinum definierit[3]: *Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et verum esse Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput.* Attamen, ex eo quod totius Ecclesiae caput est, nequit inferri illum omnibus eis praerogativis gaudere, quibus Christus ipse gaudebat: siquidem, quantum ad ea quae ad officium supremi in Ecclesia Capitis visibilis spectant, ille iure quodam Christi praerogativas habet sibi communicatas, maxime praerogativam infallibilitatis in iis quae ad fidem moresque pertinent; at plura fuerunt Christo personaliter concessa, eo scilicet quod esset Filius Dei naturalis, quae prorsus incommunicabilia sunt[4], inter quae eminet regia et dominativa potestas, ut dictum est[5].

ARTICULUS VII. — *Utrum diabolus sit caput omnium malorum.*

1. — Ratio articuli. — Quia contrariorum eadem est ratio, pronum est ut, postquam actum fuerit de Christo, capite civitatis Boni, agatur de diabolo, quem sancti Patres consueverunt vocare *Dei simiam*, et qui, utpote Christi ἀνταγωνιστής, caput est civitatis Mali, quem etiam Sacrae Litterae sub nominibus *Draconis, Serpentis, Vulturis*, aut *Lupi rapacis* interdum designant, quasi omnes harum bestiarum characteres ille unus adunet, propter quod et Bestia, per antonomasiam, saepius appellatur. Porro, intentio nostra non est tam ut quaeramus utrum omnium malorum caput diabolus existat, quam ut rationem qua eorum caput est et dicitur, investigemus: nam quod diabolus sit caput omnium malorum, satis constat ex communi omnium Christifidelium

1. Rom. V, 2. — 2. Ad 3^m. — 3. In litt. Sanct. Unionis. — 4. Cf. Card. Bellarmin., de Romano Pontifice, l. V, cc. 1, sqq. — 5. Art. 2, n. 5.

consensu. Ubi, sub nomine diaboli intelligitur *Luciferus*, qui totum ordinem daemoniorum suo imperio quodammodo continet et regit[1].

2. — **Praenotandum**. — Dictum est supra[2], aliquem vocari caput, non solum secundum quod interius influit in membra ed etiam secundum quod ea exterius gubernat, eorum actus dirigendo in aliquem finem. Igitur potest aliquis dici caput alicuius multitudinis, aut secundum utrumque, scilicet, secundum interiorem influxum et secundum exteriorem gubernationem, sicut dictum est de Christo, aut tantummodo secundum exteriorem gubernationem, sicut quilibet princeps vel praelatus caput est multitudinis sibi subiectae.

3. — PROP. — **Diabolus α) convenienter dicitur caput omnium malorum β) secundum exteriorem gubernationem.**

Prob. 1ª Pars. — I. Auctoritate. — Sic quippe legimus[3] : *Ipse est rex super universos filios superbiae.* Rursus[4]: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* Quocirca S. Gregorius[5], super illud[6] : *Memoria illius pereat de terra,* ait : *De unoquoque iniquo dicitur, ut ad caput, id est diabolum, revertatur.* Et rursus[7] : *Certe iniquorum omnium caput diabolus est : et huius capitis membra sunt omnes iniqui. Annon diaboli membrum fuit Pilatus? Annon diaboli membra Iudaei persequentes et milites crucifigentes Christum fuerunt?* Huc etiam faciunt S. Augustini verba, quibus diabolo attribuere videtur quamdam paternitatem in malos[8] : *Fuimus aliquando filii diaboli. Adhuc infidelibus dictum est : Vos a Patre diabolo estis*[9]. *Et omnis infidelitas nostra unde, nisi a patre diabolo? Non ille creando pater, sed nos illum imitando filii.*

4. — **II. Ratione theol.** — Ad rationem capitis pertinet perdu-

1. Cf. Tract. DE ANGELIS, Quaest. LXIII, art. 8; CIV, art. 1. — 2. Art. praec. — 3. Iob. XLI, 25. — 4. Phil. VI, 12. — 5. Iob. XVIII, 17. — 6. L. XIV Mor. c. 11. — 7. Homil. in Evang. — 8. Enar. in Ps. XLIV. — 9. Io. III, 44.

cere aliquem ad proprium finem. Atqui diabolus perducit omnes malos ad proprium finem. Ergo diabolus est caput omnium malorum.

Mai. prob. Ad gubernatorem, sicut ad caput, pertinet, ut eos, quorum caput est et quos gubernat, ad suum finem perducat, sicut ad ducem exercitus pertinet omnes milites dirigere ad victoriam, sicut ad finem ipsius ducis. — *Min. declar.* Finis diaboli est aversio creaturae rationalis a Deo, non quocumque modo, sed secundum quod haec aversio appetitur sub specie cuiusdam libertatis, quomodo praecise diabolus ipse aversus est a Deo ab initio, iuxta illud[1] : *A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : non serviam ;* unde sanctus Petrus de daemonibus, homines tentantibus, ait[2] : *Libertatem illis promittentes.*

5. — Explic. 2ª Pars. — Porro, ad hunc finem inducit homines diabolus, per hoc quod eos ad peccandum allicit ; unde in principio conatus est removere hominem ab obedientia divini praecepti. Quapropter omnes mali, ii scilicet, qui peccatum committunt, cum ad diaboli finem adducuntur sub specie libertatis cuiusdam, sub eius regimine cadunt, ideoque eorum dicitur caput, non quidem quoad interiorem influxum malitiae, cuius diabolus capax non est, cum in voluntatem peccantis agere non valeat, sed quoad exteriorem gubernationem.

Attamen, licet diabolus non habeat virtutem influendi malitiam peccati, cum non possit influere rationali menti[3], tamen malitiam influit exteriori gubernatione, quam exercet, aliquando suggerendo malum quod asseclae sui amplectantur, aliquando tantummodo proponendo ipsis signa suae voluntatis, quod est ipsum peccatum quod ab initio illemet perpetravit : sic enim videmus et quod, ad alicuius ducis sequelam, quidam excitantur inducti, quidam vero propria sponte, nullo suadente, viso tantum vexillo, adducuntur. Quapropter primum illud diaboli peccatum proponitur omnibus malis, ad quod imitandum alii per suggestionem inducuntur, alii autem propria sponte absque aliqua suggestione: nam aliunde non est credendum quod omne peccatum hominis ex diabolo directe procedat, ut dicitur in libro de Ecclesiasticis

1. Hierem. II, 20.— 2. 2, Ep. II, 19. — 3. 1ª 2ªe, Quaest. LXXX, a. 1, sqq.

Dogmatibus[1] : *Non omnes cogitationes nostrae malae semper diaboli instinctu excitantur : sed aliquoties ex motu arbitrii nostri emergunt.* Porro, tum prioris tum alterius generis malorum diabolus caput est, quem utrique imitantur; et ideo dicitur[2] : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

6. — **Scholion.** — Quapropter omnium malorum caput diabolus dici potest, quia omnia mala quae in mundo oriuntur, ipsi tanquam capiti, quodammodo attribui debent. — *Ut brevius loquar*, ait S. Augustinus[3], *omnia mala mundi sua sunt perversitate commissa;* ad omnia enim peccata incitat vel directa suggestione, vel saltem exemplo suo. Ex quo etiam sequitur quod recte *diabolus dicitur iumentum, draco et avis : in eis quos ad luxuriam incitat, iumentum est : in eis quos ad nocendi malitiam inflammat, draco est; in eis quos ad superbiam elevat, avis est; in illis quos pariter luxuria, malitia et superbia polluit, iumentum, draco simul et avis existit*[4]. Sed praecipue caput malorum est, eo quod *homicida fuit ab initio*[5]; homicida quidem Verbi, cum instigaverit Iudaeos ut Christum necarent; homicida angelorum quos ad interitum aeternum perduxit; homicida sanctorum ab Adam et Abel usque ad ultimos iustos, quos vita vel corporis vel animae privari conatur; tandem homicida hominis generaliter, cum omnia mala, quibus homo opprimitur, illius operatione quodammodo proveniunt[6].

7. — **Difficultas.** — Unum caput uni corpori praeficitur. Atqui multitudo malorum non constituit unum corpus, cum multitudo malorum non videtur habere aliquid in quo uniantur, quia malum malo contingit esse contrarium, et oriri ex diversis defectibus. Ergo diabolus non potest dici caput omnium malorum.

Resp. *Conc. mai. Nego min. Nego conseq. et conseq. Dist. prob. min.* Multitudo malorum non habet aliquid in quo uniantur, ex parte

1. C. 82, inter Opp. S. Augustini. — 2. Sap. II, 24, 25. — 3. Serm. Comm. IV. — 4. S. Greg., l. XXXIII, Mor. 14. — 5. Io. VIII, 44. — 6. Cf. Gaume, *Traité du Saint-Esprit*, t. I, c. XII et sqq. Paris, 1890. Quomodo angeli mali evadant interdum ministri divinae iustitiae, require in Tract. de ANGELIS, Quaest. CXII, art. 1, 2. Cf. etiam quae scripsimus in opere *The unseen World*, London, 1905.

conversionis ad commutabilia bona, *conc.;* ex parte aversionis a Deo, *nego.* — Igitur, licet ex parte conversionis ad commutabilia bona, peccata et consequenter peccatores non conveniant, ex parte tamen aversionis a Deo, omnia peccata, saltem mortalia, in una ratione conveniunt[1].

ARTICULUS VIII. — *Utrum Antichristus possit dici caput omnium malorum.*

1. — **Ratio articuli.** — Sicut summum caput civitatis Boni, quod Deus est, habet sub se Christum, Ecclesiae caput, ita et Dei simia, diabolus, quod est caput civitatis Mali, sub se aliud caput habet, nempe Antichristum, qui licet sit diaboli membrum, caput tamen visibile hominum malorum existit[2]. De hoc igitur quaerendum etiam est, non tam utrum sit caput omnium malorum, quam de convenientia huius appellationis, signanter relate ad homines.

2. — PROP. — **Etiam Antichristus convenienter dicitur caput omnium malorum hominum.**

Haec veritas **I.** constat ex **auctoritate** S. Gregorii, qui super illud[3]: *Interrogate quemlibet de viatoribus*, dicit[4] : *Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput* (Antichristum) *verba convertit.* Describitur autem a S. Paulo[5] Antichristus, tanquam *homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Nam mysterium iam operatur* (ἐνεργεῖται, agitur) *iniquitatis; tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum, cuius est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt.*

1. Ad 3[m]. — 2. Ad 2[m]. — 3. Iob. XXI, 29. — 4. L. XV. Mor. c. 36. — 5. 2, Thess. II, 3 sqq.

3.— II. Rat. theol. — Cum in capite naturali tria inveniuntur, scilicet, ordo, perfectio, et virtus, Antichristus non dicitur caput omnium malorum secundum ista tria, sed solum secundum malitiæ perfectionem vel excessum. Nam, quantum ad *ordinem temporis*, Antichristus non dicitur esse caput ceterorum malorum sicut diabolus, cum eius peccatum aliorum hominum peccata, qui ante ipsum vixerunt, non praecesserit, sicut diaboli peccatum praecessit omne aliud peccatum. Similiter, nec quantum *ad virtutem influendi*, Antichristus potest dici caput malorum : nam interius malitiam nequit infundere ; et licet aliquos sui temporis sit ad malum conversurus eos exterius inducendo, non tamen illi qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam inducti, nec etiam eius malitiam sunt imitati : unde secundum haec duo, Antichristus non posset dici caput omnium malorum, sed tantummodo aliquorum.

Restat ergo quod dicatur simpliciter caput omnium malorum hominum, propter malitiae *perfectionem* vel *excessum*, secundum illud dictum Glossae[1] : *Sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis inhabitat, ita in Antichristo omnis malitiae plenitudo.* Nam diabolus non assumet quidem humanitatem eius in unitatem personae, sicut Verbum assumpsit humanitatem Christi, nec intrinsece illum inhabitabit, sicut Trinitas menti illabitur ; sed eminentius ei quam aliis hominibus influet suam malitiam, omne quod iniquum est et perversum ei suggerendo : ita ut omnes mali homines, qui Antichristum praecesserunt, sint quasi figura eius, secundum illud[2] : *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Quapropter, mali homines metaphorice antichristi vocari consueverunt[3] : *Sicut audistis quia antichristus venit, et nunc antichristi multi facti sunt;* et iterum[4] : *Hic est antichristus qui negat Patrem et Filium ;* rursusque[5] : *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem : hic est seductor et antichristus.*

4. — Scholion. — Sed, licet sint hoc modo plures antichristi secundum extensionem, tamen unus est secundum proprietatem

1. Super illud 2, Thess. II, 4. *Ostendens*, etc. — 2. 2 Thess. II, 4. — 3. 1, Io. II, 18. — 4. Ibid., 22.— 5. 2 Io., 7.

vocabuli et veluti κατ' ἐξοχήν: ille nempe, in quo diabolus malitiam suam perfectissime reproductam inveniet, et propterea rectissime dicitur omnium malorum caput; quia sicut aliquis dicitur propositum suum ad caput ducere, cum illud perfecerit, ita et diabolus in Antichristo suam malitiam imprimet, quasi illam ducens ad caput[1].

5. — **Corollarium.** — Ex hoc deduci potest quod, adveniente, in temporum plenitudine, Antichristo, non propterea cessabit diabolus esse caput multitudinis malorum: nam *in ipso erit caput omnium malorum, scilicet diabolus, qui est rex super omnes filios superbiae*, ait Glossa[2]: quocirca diabolus et Antichristus non erunt duo capita, sed unum; Antichristus enim non dicitur esse caput, nisi in quantum plenissime invenitur in eo impressa diaboli malitia[3].

6. — **Quaestio.** — *Utrum Antichristus habiturus sit angelum custodem?*

Respondet Angelicus Doctor[4]: *Sicut praesciti et infideles et etiam Antichristus non privantur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturae humanae divinitus concesso, scilicet custodia angelorum; per quam, etsi non iuventur quantum ad hoc quod vitam aeternam bonis operibus mereantur, iuvantur tamen quantum ad hoc quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus et sibi ipsis, et aliis nocere possent. Nam et ipsi daemones arcentur per bonos angelos ne noceant quantum volunt: et similiter Antichristus non tantum nocebit, quantum vellet.*

1. Ad 1^m et 3^m. — 2. Loc. cit. — 3. Cum per hoc potissime antichristus eiusque asseclae sint, sub fine mundi, fideles pellecturi in ruinam, quod se Christi virtute praeditos sint ostensuri, iuxta illud (Matth. XXIV, 24): *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*, hinc patet quantum fidelibus, in agone contra vaferrimum hostem tunc pugnaturis profutura sit recta de Incarnatione cognitio, iuxta principia S. Theologiae, quae fidei nostrae columen praesidiumque rite vocatur. — 4. 1, Quaest. CXIII, art. 4, ad 3^m.

QUAESTIO IX

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Cum Christus sit Deus perfectus, hinc dubitari nequit quin in ipso divina et increata scientia fuerit, de qua agitur in prima Parte[1]. Igitur tota nunc disputatio versatur circa scientiam quae humanae eius naturae competerit, nec solum quantum ad illius actum, sed etiam quantum ad proprie dictum habitum unum vel multiplicem, prout infra determinandum veniet. Eo autem specialius pertractanda haec quaestio est, quo minus apparet necessitas ponendi in Christo aliam scientiam praeter divinam, cum haec eminentissime contineat quidquid quacumque creata scientia potest contineri.

Nec facilior apparet solutio consideranti distinctionem scientiae creatae in illam quae est propria beatorum in patria, quae scientia *beata* appellari solet, et illam quae angelis naturaliter competit, quae *indita* seu *infusa* vocatur, illamque quae homini viatori connaturalis est, quae *acquisita* dicitur : maxime cum non desint, sive inter antiquiores sive inter recentiores doctores, quos inter recensendi potissime sunt Schell[2], et Loisy[3] quibus visum est

[1] 1. Quaest. XIV. — 2. Totus est hic auctor in imminuenda, circa Christi scientiam, doctrina Scholae, quam accusat quod verbo Dei inspirato praetermisso, suas speculationes ita sit prosecuta, ut gratis exaggeraverit Dei influxum in anima Christi, cum detrimento illius propriae activitatis. *Die scholastische Denkweise*, scribit, *hat keinen Sinn für das Werden, sondern nur für den Besitz, nicht für den Erwerb, nur für die inhaltliche Fülle, die ruhende Beschaffenheit, nicht für die That, nicht für die Art ihrer Verwirklichung* (Katholische Dogmatik, I. B., p. 113. Paderborn, 1889). Quapropter scientiam acquisitam Christi exagerat ille prae beata et infusa, ausu praecipiti decernens rationes de his rebus a Schola adductas, flocci esse faciendas. — 3. Doctrinam suam hac de re compendio exposuit hic auctor in opusc. *L'Évangile et l'Église* (Parisiis, 1902), eamque in alio opusc.

denegandam esse animae Christi aut universaliter scientiam creatam, aut saltem aliquam ex recensitis scientiis, scilicet vel infusam vel beatam, dum alii, lugenda confusione, istas scientias permiscuerint.

Contra quos, non modo generaliter praefatae omnes scientiae vindicandae erunt (IX), sed etiam specialiter determinandum veniet de natura, de indole, et de extensione scientiae beatae (X), scientiae infusae (XI), necnon scientiae acquisitae (XII).

2. — Ordo quaestionis. — Ubi, primo generaliter ostenso quod aliqua scientia, praeter divinam, in Christo adfuerit (1), secundo singillatim investigabitur utrum sit admittenda tum scientia quae est hominis propria in termino, sive secundum visionem Dei (2), sive secundum visionem angeli (3), tum scientia quae est viatoris propria, quae vocatur acquisita (4).



Hinc quatuor quaeruntur:

Primo. Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam.

Secundo. Utrum habuerit scientiam, quam habent beati, vel comprehensores.

Tertio. Utrum habuerit scientiam inditam vel infusam.

Quarto. Utrum habuerit aliquam scientiam acquisitam.

Autour d'un petit livre (Parisiis, 1903), confirmavit. Doctrinae inibi contentae fundamentum duplex est : scilicet subiectivismus Kantii et evolutionismus Spencer. Vix dici potest quam exitiabiles sacrae theologiae sint qui hodie in philosophia circumferuntur errores.

ARTICULUS 4. — *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam.*

1. — Status quaestionis. — Quaestio haec generalis est, et indeterminate respicit scientiam quae divinae scientiae contradividitur, nempe creatam, non curando modo de hac vel illa scientia, sed relinquendo subsecuturis articulis ut de hac vel illa scientiae creatae specie agatur. Pro cuius quaestionis solutione recolendum venit quod scientia est habitus faciens scire, id est cognoscere, non quocumque modo, sed ex propriis rei principiis. Rem enim scire dicimur, quando rei causam cognoscimus, et quod illius causa est, et quod non contingit aliter se habere. Unde scientia solet dici: *Cognitio certa et evidens ex certis principiis deducta.* — Militat praesens articulus praesertim contra illos qui, cum Bucero, negant animam Christi fuisse a principio perfectam, et illos qui, cum Erasmo, hoc in dubium vertunt.

2. — PROP. — In Christo necesse est ponere scientiam creatam.

Dubitari non potest, ait Petavius[1], *quin haeretica sit opinio, nullam in Christo creatam et humanam esse scientiam arbitrari, ac totidem Scripturae testimoniis et Conciliorum decretis, Patrumque sententiis damnata sit et confixa, quot adversus arianos et appollinaristas ac monophysitas, necnon monothelitas illis in libris*[2] *attulimus.*

Suadetur prop. — **I. Generaliter** ex illo S. Ioannis[3]: *Vidimus* (eum) *plenum gratiae et veritatis:* iamvero, veritas non est in intellectu, nisi secundum aliquam scientiam. Resultat autem universaliter haec propositio ex principio quod in Concilio CP. III legitur[4]: *Omnia duplicia unius eiusdemque Domini Salvatoris Nostri I.C. secundum evangelicam traditionem asserimus, id est, duas eius naturas praedicamus, divinam scilicet et humanam, et unamquamque proprietates naturales habere confitemur, et habere divinam omnia quae divina sunt, et humanam omnia quae humana sunt, absque*

1. De Incarn., l. XI, c. 1, n. 2. — 2. Scilicet citati operis de Incarnatione. — 3. Cap. I., 14. — 4. Act. IV, in Ep. Agath. Pp. ad Imp.

peccato. Quocirca, de Christi scientia edisserens S. Ambrosius, ait[1] : *Vestem autem* (Christi), *quae non erat consuta, sapientiam eius coelestem possumus approbare, quia erat desuper contexta. Nostra enim sapientia, hoc est humana, consuitur. Assuitur enim cum liberos damus ad studia grammaticis, tradimus philosophis; eruditos eos, ut sapientia in illis quae non erat acquiratur. Domini autem sapientia non assuta est, non quaesita. Non enim didicit a magistro, sicut ipsi Iudaei dicunt*[2] : *Quomodo hic litteras novit, cum non didicerit? Et ipse dicit : Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me : hoc est quod ait : desuper contexta.* Quae utique verba possunt intelligi de creata Christi scientia, cuius origo quodammodo divinitus agnoscenda est.

3. — II. Prob. rat. theol. — α) Ex eo quod anima Christi fuit perfecta.— Siquidem Verbum assumpsit humanam naturam integram, id est non solum corpus, sed etiam animam, et quidem perfectam animam rationalem. Porro, perfectio animae rationalis consistit in scientiae possessione. Revera, anima, secundum se considerata, est in potentia ad intelligibilia cognoscenda : est enim, ut ait Aristoteles[3], tanquam tabula in qua nihil est scriptum : δεῖ δ'οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον, ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ. Attamen possibile est in tali anima aliquid scribi per intellectum possibilem, seu possibile est talem animam reduci de potentia ad actum. Atqui quod est in potentia, est imperfectum, usque dum reducatur in actum. Ergo si anima Christi nullam scientiam creatam habuerit, necesse fuit ut imperfecta manserit in potentia existens. Sed Christus animam rationalem imperfectam non assumpsit, cum, illa mediante, totum humanum genus erat ad perfectionem adducendum : primum autem in unoquoque genere, est causa eorum quae sunt in illo genere. Ergo anima Christi debuit esse perfecta per aliquam scientiam, *quae essel propria perfectio eius.*

Quod caute addit S. Doctor. Certum est enim in Christo fuisse scientiam divinam, et per hanc scientiam illum cognovisse omnia

1. Serm. in Ps. XXI. Apud Petav. de Inc., l. XI, c. IV, n. 9. — 2. Io. VII, 15. — 3. III de Anima, c. 4.

operatione increata quae est ipsa Dei essentia, nam Dei intelligere est eius esse, ut alibi ostenditur[1]: sed iste actus non potuit esse animae Christi, cum esset actus alterius naturae, et in Christo ea quae sunt naturarum inconfusa maneant, nec consequenter talis actus constituit aut sequitur habitum scientiae in creata anima Christi. Unde, si in Christo non fuisset aliqua alia scientia praeter divinam, Christus nihil cognovisset, et ita eius anima imperfecta remansisset[2], cum tamen debuerit esse perfectior quam anima cuiuscumque hominis, sine ulla hominum imperfectione. Unde dicit S. Ambrosius[3]: *Deus in carne perfectionem naturae assumpsit humanae; suscepit sensum hominis, non sensum carnis inflatum.*

4. — ***Notandum.** — Ubi iuvat advertere quod, licet species intelligibilis Dei, quae est ipsa Dei essentia, possit fieri species intelligibilis intellectus creati[4], tamen actus intelligendi qui Dei est, nequit ullimode fieri actus intelligendi animae Christi, quia intelligere est operatio vitalis, de cuius ratione est ut sit ab eo cuius est operatio, sicut vivere actualiter est a vivere substantialiter, et appetere et velle sunt eius qui appetit et vult. Et licet, in creatis rebus, actus unius naturae possit communicari alteri, sicut calefacere communicatur ferro ab igne, tamen in Deo hoc nequit esse, cum in ipso actus et natura incommunicabiles sint. Unde ipsamet personalitas Dei communicatur humanae naturae, non ut actus, sed ut terminus subsistentiae[5].

5. — *β)* **Ex eo quod habet animam intellectivam.** — Habens animam intellectivam scientia carentem frustra habet illam. Atqui Christus non habuit frustra animam intellectivam. Ergo habuit animam rationalem donatam aliqua scientia creata. — *Maior* fundatur in eo quod, cum unaquaeque res sit propter suam operationem, et operatio animae intellectivae sit intelligere secundum scientiam habitam, si quae anima scientia prorsus careat, operari non poterit secundum illam, ideoque frustra erit talis anima assumpta. Nec scientia divina sufficiebat, quia per illam non poterat formaliter operari anima humana Christi: ideoque frustra omnino fuisset assumpta a Verbo anima, si operationem

1. 1, Quaest. XIV, art. 4. — 2. Cf. ad 1^m. — 3. L. de Incarn., c. 7. — 4. 1, Quaest. XII, art. 2. — 5. Cf. Caiet.

non potuisset habere secundum principia sua formalia, et consequenter si non habuisset scientiam : omnis enim res est propter suam operationem [1].

6. — γ) **Ex eo quod aliqua scientia pertinet ad naturam animae humanae.** — Quod si alicui videatur exinde posse concludi : ergo frustra sunt parvulorum animae, cum nulla scientia donantur, et consequenter nullius sunt operationis intellectivae capaces, negandum est consequens : nam nunc summus scientiam largissime, secundum quod significat quamcumque cognitionem intellectus humani : atqui scientia illa, per quam naturaliter cognoscimus prima principia, pertinet ad animae humanae naturam : per quam scientiam quasi naturaliter insitam, veluti seminalium principiorum ad instar, pueruli anima in actum prodire possit, statim ac organa fuerint sufficienter disposita. Igitur haec saltem scientia naturalis erit Christi animae attribuenda, cum non possit esse imperfectior anima caeterorum hominum [2].

7. — **Difficultas.** — Lux maior offuscat lucem minorem. Atqui scientia divina Christi esset, relate ad scientiam hanc creatam, sicut lux maior relate ad lucem minorem. Ergo scientia Christi offuscaret, et ita inutilem redderet talem creatam scientiam in ipso.

Resp. *Dist. mai.* Eiusdem ordinis, *conc.;* diversi ordinis, *nego. Dist. min. in eodem sensu. Nego conseq. et conseq.* — Principium in maiori enunciatum valet tantum, quando duo lumina accipiuntur eiusdem ordinis, sicut lumen solis offuscat lucem candelae, cum utrumque accipitur in ordine corporis illuminantis ; non vero si duo lumina sint in diverso ordine, ita quod maius sit in ordine illuminantis, minus vero in ordine illuminati, tunc enim minus lumen non offuscatur, sed magis augetur per lumen maius, sicut lumen aëris per lumen solis augetur et splendescit. Porro lumen scientiae creatae, relate ad lumen scientiae divinae,

1. Ad 1^m. — 2. Circa Christi scientiam, legi potest quod oratorio stylo conscripsit Monsabré, Confer. XLV. Quadrages. 1880, ubi refutat modernorum incredulorum errorem, negantium Christum condidisse symbolum veritatum dogmaticarum et moralium.

habet rationem illuminati, cum Verbum sit *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [1]; ideoque lumen scientiae creatae non offuscatur, sed magis splendescit in anima Christi per lumen scientiae divinae [2].

8. — ***Quaestio.** — *Utrum possit dici, ut quidam asserunt, quod in Christo sit quaedam scientia unionis ?*

Resp. *Affirmative,* dummodo hoc recte intelligatur. — Rectus autem intellectus est ut scientia unionis ponatur in Christo ex parte unitorum, id est et quantum ad naturam divinam, et quantum ad naturam humanam, et quidem tum obiective, tum subiective. *Obiective* quidem, prout respicit talia obiecta, scilicet in casu prout respicit humanam naturam et divinam naturam hypostatice unitas, ita ut cum eadem sit Dei et hominis hypostasis, ea quae Dei sunt attribuantur homini, et Deo ea quae hominis sunt, sicut in eo quod dicebat Christus [3] : (Ego) *principium, qui et loquor vobis ; subiective* vero, secundum quod utraque natura, cum propriam habeat operationem, suo modo attingit ea quae ad mysterium Incarnationis spectant, et sic Christus melius quam quilibet alius cognoscit istud altissimum mysterium.

Falsus autem intellectus scientiae unionis esset si quis vellet ponere ex parte unionis ipsius aliquam scientiam, quasi quamdam unitatem conscientiae, in qua aliqui moderni cum Günther dicunt constitui unitatem personalem ; unio enim hypostatica est ad esse personale, scientia vero non convenit personae, nisi ratione alicuius naturae ; unde hoc sensu nequit admitti scientia unionis [4].

ARTICULUS II. — *Utrum Christus habuerit scientiam quam habent beati vel comprehensores.*

1. — Ratio articuli. — *Beata* dicitur illa scientia quae proprie et formaliter beatorum est, sive comprehensorum in patria, qua scilicet beati formaliter beatificantur, et consistit in aperta Dei visione immediatissima et facie ad faciem, per participationem di-

1. Io. I, 9. — 2. Ad 2^m^. Cf. q. V, a. 4, ad 2^m^. — 3. Io. VIII, 25. — 4. Ad 3^m^.

vini luminis, iuxta ea[1] : *In lumine tuo videbimus lumen*, non autem per aliquam mediam speciem intelligibilem aut Dei imaginem vicariam. Et utrum haec fuerit in anima Christi dubitatur, maxime propterea quod ipse, ut Deus, visionem suaemet divinae essentiae perfectissime habuerit. — Pro cuius difficultatis solutione recolendum est quod divinitas est unita humanitati Christi secundum personam, inconfusis manentibus naturis, ita quod, cum unitate personae, remanet distinctio naturarum : quod advertitur, ne putetur non potuisse lumen divinum ab eius divinitate in illius animam participari, eo quod habuerit in se divinitatem substantialiter manentem [2].

2. — PROP. — **Scientia beata, quae in Dei visione consistit, excellentissime Christo homini convenit.**

Prob. α) **Auctoritate.** — **I.** Imprimis adduci potest locus iste Ioannis [3] : *Vidimus* eum *plenum gratiae et veritatis ;* quem locum Melchior Canus [4], comparans cum hoc alio loco [5] : *De plenitudine eius nos omnes accepimus,* ait : *Accepit igitur Christus gratiam et veritatem, ut ex eo gratia in omnes et veritas emanarent. Habuit itaque maximam et perfectissimam gratiam ac veritatem. Quia enim sol lucem habuit, ut inde omnia lucem acciperent, habuit nimirum maximam et perfectissimam lucem. Quare, sicut perfectissima lux omnes lucis effectus edere potest, perfectissimaque iustitia omnes effectus iustitiae, sic Christi gratia et veritas omnes habebant gratiae et veritatis effectus. Unde Dionysius ait*[6], *solem, quia universalis causa generationis est, ad ea omnia suam virtutem extendere, quae sub generationem cadunt. At effectus praecipuus gratiae et veritatis consummatae, est videre Deum.*

II. Rursus, de semetipso Christus dicit[7] : *Scio eum, et sermonem eius servo,* οἶδα αὐτόν, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ. Quae verba praeclarum sensum exhibent. Nam, contra Iudaeos, Christum increpantes quod ille sermonem suum servaturis immortalitatis praerogativam collaturum se promisisset, ipsemet arguit sermones suos servari debere, eo quod illos ex Patris sui notitia

1. Ps. XXXV. 10. — 2. Ad 3^m. — 3. C. I., 14. — 4. De Locis theol., l. XII, c. 14, ubi argumenta ex S. Scriptura Patrumque sententiis congerit. — 5. Io. I, 16. — 6. C. 4 de div. nomin. — 7. Io. VIII, 55.

proferret. Atqui nequit sufficienter Patris notitia haberi, scilicet ad Novam Legem condendam, nisi haec a divinae Essentiae visione hauriatur. Ergo Christus qui, ut homo, suam divinam missionem manifestabat, ut homo quoque divinae Essentiae visione perfrui debuit. Quocirca, si dicenda est visio divinae Essentiae divinitus concessa Moysi et Paulo, illi quidem quia fuit primus Iudaeorum doctor, huic autem, quia fuit primus doctor gentium [1], multo magis hoc dicendum de eo est, qui simpliciter constitutus a Deo fuit *Doctor iustitiae* [2]. Sed illis quidem nonnisi transeunter illa visio fuit concessa [3]; quod autem habitualiter Christus ea gaudere debuerit, evincet sequens

3. — β) **Rat. theol.** — Cum homo elevatus fuerit a Deo ad ordinem vitae aeternae, sequitur quod proportionatus finis hominis elevati sit visio divinae Essentiae, seu scientia beata: est enim huius finis capax creatura rationalis, in quantum est ad imaginem Dei condita, scilicet secundum capacitatem recipiendae gratiae. Igitur omnes homines sunt in potentia ad hunc finem, et consequenter ad scientiam beatam. Atqui quod est in potentia, oportet quod, si reducitur, reducatur in actum per id quod est actu : sicut oportet ea quae calefiunt reduci in actum per aliquid quod sit actu calidum. Sed omnes homines reducuntur ad finem beatitudinis aeternae per Christi humanitatem, secundum illud '*Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*; quibus verbis illemet nostrae salutis auctor (ἀρχηγός *inventor, auctor, architectus*) dicitur esse, quem pro nobis Deus pati decreverat. Ergo oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens non modo conveniret homini Christo, sed etiam ipsi conveniret excellentissime, et sic modo habituali et permanenti, et non solum transeunter : causa enim est semper causato potior.

4. — ***Confirmatur.** — **I.** Oportuit ut anima Christi, utpote qui erat caput hominum et angelorum, in ultimo fine humanae naturae perfecte constitueretur, ut sic esset in ea perfecte beatitudo

1. 2, 2^{ae} Quaest. CLXXV, art 3, ad 1^{m}. — 2. Ioel. II, 23. — 3. S. Thom., l. c., ad 3^{m}. — 4. Hebr. II, 10.

creata. Atqui scientia beata seu visio beatifica est ea quae beatos constituit, secundum illud [1] : *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* Unde, sicut ex ipsa unione, homo ille fuit beatus beatitudine increata, ea ratione qua est Deus, et qua in ipso *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [2], sic etiam ex eadem unione debuit habere beatitudinem creatam excellentissimo modo, per quam constitueretur in ultimo fine humanae naturae. Quocirca, verba Psalmi [3] : *Beatus quem elegisti et assumpsisti,* applicata Christo, possunt intelligi tum de beatitudine increata, quae in ipso est qua ratione est Deus, tum etiam de beatitudine creata animae illius per visionem beatificam [4].

II. Sicut de ratione puri instrumenti, quale est, verbi gratia, organum artis aut semen plantae, est ut non habeat actu quod instrumentaliter efficit, ita de ratione instrumenti, quod est causa sui, qualis est servus qui libero arbitrio suorum motuum causa existit, est, ut, quatenus dominium sui habet admixtum, illud actu habeat quod in aliis efficit. Atqui, Christus, ut homo, tale est instrumentum Dei, ut sit liber, libere Deo cooperetur et nos efficiat beatos. Ergo necesse fuit ut et ipse actu beatus esset, et non solum beata esset causa principalis, scilicet Deus [5].

III. Sicut Deus statim produxit primas creaturas absque alia praecedente dispositione vel operatione creaturae, quia per haec prima individua, natura propagari debebat ad posteros, ita, cum per Christum beatitudo erat ad alios derivanda, iuxta ea [6]: *Qui multos filios in gloriam adduxerat,* ideo statim a principio suae conceptionis, anima eius fuit beata absque aliqua operatione meritoria praecedente [7].

Ex hoc patet quam contraria sit doctrinae catholicae eorum sententia, qui ponunt Christum a quodam ignorantiae statu ad sui conscientiam, necnon ad statum plenioris cuiusdam scientiae gradatim fuisse progressum, aut saltem nonnisi post suam ascensionem divinae Essentiae visione fuisse donatum : quod utique fidei refragari dicendum est, cum *omnes theologi defi-*

1. Io. XVII, 3. — 2. Col. II, 9. — 3. LXIV, 5. — 4. Ad 2^m. — 5. CAIET. — 6. Hebr. II, 10. — 7. 1, 2^ae Quaest. V, art. 7, ad 2^m.

niunt, ait Melchior Canus[1] : *Christum ab instanti conceptionis, Dei essentiam vidisse*[2].

5. — Difficultas. — Non potest poni in aliquo subiecto duplex forma eiusdem rationis. Atqui scientia beata, quae in Dei visione consistit, est eiusdem rationis ac scientia divina, cum utraque sit supra facultatem hominis naturalem. Ergo non est ponenda in anima Christi scientia beata.

Resp. *Conc. mai. Nego min. Nego conseq. et conseq.* — Ad rationem autem dicitur quod, licet tum scientia divina, tum etiam scientia beata sint supra hominis naturam, tamen eiusdem rationis non sunt. Revera, scientia divina, aut increata, est supra naturam hominis ex duplici capite : scilicet, tum quia homo nequi propria virtute ad eam pervenire, tum quia secundum suam naturam homo non est ulla ratione capax eius, cum haec scientia sit ipsamet divina Essentia. Sed scientia beata, licet sit supra naturam hominis primo modo, non tamen ita est secundo modo ; quia licet homo propria virtute ad eam pervenire non possit, unde etiam naturalis dici non potest, tamen, secundum suam naturam, est capax eius, quia divina Essentia visa, etsi non contineatur intra latitudinem obiecti proportionati animae rationalis purae et in statu viae, est tamen intra latitudinem obiecti adaequati seu extensivi eiusdem animae : cuius signum est quod homo ad imaginem Dei factus, et sic gratia elevatus, et supra sensus positus, potest videre divinam Essentiam, cuius tamen brutum nullimode capax est. Ergo ex uno tantum capite scientia beata est supra hominis naturam ; ex utroque autem scientia divina ; ex neutro vero scientia, verbi gratia, experimentalis, de qua postea[3] agetur.

1. Loc. cit. — 2. Istas monstruosas positiones passim invenire est in libris A. Loisy. Sic quippe recens scribebat : *Jésus a vécu sur la terre dans la conscience de son humanité... La divinité du Christ est un dogme qui a grandi dans la conscience chrétienne, mais qui n'avait pas été expressément formulé dans l'Évangile. Autour d'un petit livre*, p. 117. Mos est huius auctoris, quem etiam multi hodie sequuntur, ut dum protestatur se a metaphysicis et theologicis considerationibus abstinere velle, illas de facto ubique permisceat, in rerum fidei perniciem. — 3. Ad 3^m.

ARTICULUS III. — *Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.*

1. — Ratio articuli. — Ex dictis articulo praecedenti patet, per scientiam beatam, animam Christi vidisse divinam Essentiam immediate, id est nulla mediante specie quae esset imago vel similitudo sive ipsius divinae Essentiae, sive eorum quae in divina Essentia cognoscuntur : quaecumque enim species posset fingi, creata cum esset, non valeret adaequare divinam Essentiam quae est tota semetipsa, sive in ordine reali sive etiam in ordine cognitionis [1], unde in praefata visione, divina Essentia unitur beatae menti, sicut intelligibile intelligenti [2].

Quae cum ita sint, modo quaeritur utrum anima Christi habuerit, praeter istam scientiam, etiam aliam scientiam a Deo quidem infusam, quae tamen ab illa distinguatur, non quidem ex parte obiecti materialis, nec ex parte principii infundentis, sed formaliter quantum ad statum, talem scilicet scientiam quae statui angeli naturaliter competit. Quod aliqui cum Durando agnoscere noluerunt, hac potissime ducti ratione, quia haec nova scientia superflua videretur, stante scientia beata : quibus tamen statim respondetur habitum cognoscitivum comprehensoris, ut comprehensor est, alium specifice esse ab habitu cognoscitivo angeli, ut angelus est : unde hic habitus, illo stante, superfluus dici non potest.

Consulto diximus superius visionem beatificam non compleri per speciem quae esset similitudo ipsius divinae Essentiae ; si enim secus esset, inutilis prorsus evaderet scientia indita, cum haec ipsa compleatur per speciem quae est similitudo rerum cognitarum ; sed forma visionis beatificae, quae est ipsamet divina Essentia, non excludit alias formas inferiores, cum illa superexcedat proportionem cuiuslibet creaturae, hae autem sint naturae animae rationalis proportionatae. Dum igitur scientia beata illa est qua anima cognoscit Verbum et res in Verbo imme-

1. Cf. 1, Quaest. XII, art. 2. — 2. Ad 3^m.

diate per divinam Essentiam animam excedentem, scientia indita sive infusa, e contra, illa est per quam anima cognoscit res in propria natura per species intelligibiles divinitus infusas, humanae menti proportionatas.

2. — PROB. — **Praeter scientiam beatam est etiam in anima Christi scientia infusa sive indita.**

Prob. — α) **Auctoritate** S. Pauli dicentis quod in Christo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*, ἐν ᾧ εἰσὶν πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ γνώσεως ἀπόκρυφοι[1], ex quibus verbis sic argumentari licet : thesaurus dicitur divitiae non sparsae sed congregatae; Deus autem divitias suae Deitatis in semetipso continens, participationem illarum sparsit super omnia opera sua, iterum illas congregans in sua bonitate ; earumque cognitio, ut sunt in Deo, pertinet ad sapientiam, ut sunt autem sparsae in mundo, ad scientiam. Igitur, sicut in Christo, ut Deus est, sunt omnes isti thesauri sapientiae et scientiae, ita etiam modo homini congruo, in ipso, ut homo est, invenitur cognitio undequaque plena divinarum atque humanarum rerum. Atqui unum cognitionis genus, praeter scientiam beatam, de qua hucusque egimus, est cognitio infusa. Dicuntur autem isti thesauri absconditi esse in Christo, quia ad illos percipiendos, homines viatores pervenire non valent, tum propter debilitatem intellectus, tum propter ipsum viae velamen. — Ex quo etiam apparet non arbitrarie, ut volunt aliqui, sed iuxta divinarum Scripturarum normam, hanc, sicut et alias scientias, in Christo Domino poni ; assignante Ioanne rationem huius multiplicis scientiae, quia nempe erat Unigenitus Dei : *Vidimus gloriam... quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*[2].

3. — β). **Rat. theol.** — Anima Christi fuit perfectissima secundum cognitionis actum. Atqui ad perfectionem cognitionis in

1. Col. II, 3. — 2. Ex hisce apparet haud rite concludere Schell huius scientiae existentiam cum iis quae Scripturae de Christo tradunt difficile componi. *Die Berichterstattung der Evangelisten wie das Verhalten Christi*, scribit ille (op. cit. p. 111), *wäre eigentlich nur auf die Schaustellung eines menschenähnlichen Lebens und Leidens angelegt, und wurde von dem Zweck bestimmt, den Eindruck zu machen, als ob Christus wahrer Mensch gewesen wäre und als solcher gelebt, gewirkt und gelitten hätte.*

anima requiritur ut habeat scientiam inditam seu infusam. Ergo anima Christo habuit scientiam inditam seu infusam.

Ad cuius evidentiam considerandum est quod homo, secundum intellectum possibilem, est in potentia ad omnia intelligibilia, reducitur autem in actum per species intelligibiles, quae sunt quaedam formae completivae illius. Ergo ad perfectam cognitionem in aliqua anima habendam, oportet ut imprimantur a Deo species intelligibiles ad omnia ad quae intellectus possibilis est in potentia. Quod autem anima Christi perfecta esse debuerit, non modo secundum sua essentialia principia, sed etiam quantum ad omnem suam operationem, superius ostensum est. Ergo per Verbum Dei, species intelligibiles impressae sunt animae Christi Verbo personaliter unitae, ad omnia intelligenda, ad quae intellectus possibilis est naturaliter in potentia, in quo scientiae infusae seu inditae ratio consistit.

4. — Explicatur argumentum. — Hic tamen sedulo notandum est argumentum a S. Thoma propositum non concludere intentum, nisi sumatur sub luce doctrinae in praecedenti articulo traditae. Ex eo enim quod intellectus humanus est in potentia ad species intelligibiles, intellectus autem Christi perfectissimus fuit, proprie non sequitur intellectum Christi debuisse speciebus per se infusis informari, cum illius perfectio sufficienter fuisset obtenta ex eo quod intellectus eius possibilis fuisset instructus speciebus a sensibilibus rebus, ope intellectus agentis, congruo aetatis tempore, abstractis ; perfectio enim hominis, qua homo est, aliquid amplius non requirit[1].

Quod si instetur, dicendo quod Christus, utpote hominum magister, non debuit esse inferioris conditionis ab Adam, qui, cum futurus esset primum humani generis principium in ordine instructionis, recepit a Deo scientiam infusam rerum ab homine cognoscendarum, secundum illud[2]: *Omne... quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius*[3], respondemus quod dato etiam quod Christus habuisset huius scientiae supellectilem divinitus infusam, tamen huiusmodi scientia non fuisset indita per

1. Cf. Quaest. XI, art. 1, ad 2^m. — 2. Gen. II, 19. — 3. Cf. 1, Quaest. XCIV, art. 3.

se, sed per se acquisibilis, indita autem per accidens ; et sic, dum excluderet scientiam acquisitam per se, non suppleret profecto scientiam infusam per se. Itaque, nec hominis perfectio, nec magistri conditio absolute exigebat in Christo talem scientiam infusam, qualem hic ponimus, scilicet infusam per se.

Quapropter dicendum est quod, cum Christus fuerit comprehensor, animam habuit non amplius subditam sensibus, sed beatorum conditionis participem, qui sunt *sicut angeli Dei in coelo*[1], in eo praecise quod eorum animae post resurrectionem habent, sicut angeli, gradu tamen inferiori, influxum specierum intelligibilium a Deo. Est tamen, etiam ex hoc capite in beatis et in Christo differentia : nam beati post resurrectionem hunc influxum specierum habent ex vi anteactae separationis ; remanente tunc in ipsis, sicut etiam in damnatis remanet, specierum influxu, quem nova conditio animae a corpore separatae naturaliter exigebat[2], dum in Christo Domino iste specierum influxus per scientiam inditam oriri non potuit ex conditione animae separatae, cum ponatur in eo statim ab ipsa eius animae creatione, sed orta est ex superexcedente refulgentia luminis gloriae, ut modo dictum est. Non habuit enim Christus vitam animalem, secundum quam de necessitate competit animae modus intelligendi qui est per conversionem ad phantasmata[3], sed habuit vitam perfectissime spiritualem, secundum quam anima veritatem potest speculari sine tali conversione ; nam, sicut vita animalis incoepit in Adam, ita vita spiritualis corporis incepit in Christo, secundum illud[4] : *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificántem*[5].

Attamen Christi perfectio non est unica causa ponendi in eo scientiam infusam, quae utique fuisset otiosum ornamentum, nisi operationem habuisset congruam fini Incarnationis. Finis autem iste erat salus nostra merito illius procuranda, quam quidem actu suo statim ab exordio suae conceptionis promeruit, iuxta illud[6] : *In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus,*

1. Matth. XXII, 30. — 2. 1, Quaest. LXXXIX, a. 1. Cf. Op. *Dell' anima umana separata del corpo, suo stato, sua operazione,* c. III, § 7, 2ª Ed. Romae, 1901. — 3. 1, Quaest. LXXXIV, art. 2. — 4. 1, Cor. XV, 45. — 5. Cf. 1, Quaest. XCV, art. 1, ad 1ᵐ. — 6. Hebr. X, 7.

voluntatem tuam; huius autem meriti principium fuit non scientia beata, quae ad hoc non refertur, sed potius scientia infusa [1].

5. — Corollarium. — Igitur ex hac parte convenit anima Christi cum spiritibus angelicis, in quibus a Verbo Dei in principio creationis rerum impressae sunt species intelligibiles; et sicut in Angelis, secundum Augustinum [2], duplex ponitur cognitio, una scilicet *matutina*, per quam cognoscunt res in Verbo, alia autem *vespertina*, per quam cognoscunt res in propriis naturis per species sibi inditas, ita in anima Christi praeter scientiam beatam, qua cognoscit Verbum et res in Verbo, est etiam scientia infusa per quam cognoscit, per species proportionatas humanae menti, res in propriis naturis, tum quae naturaliter cognoscibiles sunt, tum quae tantummodo per revelationem cognosci possunt: esset enim imperfecta anima Christi, nisi cognosceret omnes res per actus sibi commensuratos.

Advertendum tamen est hanc scientiam, relate ad angelos, magis proprie dici inditam; quia, ut advertit Caietanus [3], comes est naturae, tanquam illius naturalis proprietas, eâdemque actione a Deo imprimitur, qua ipsa eorum natura creatur; in Christo autem potius dicenda est infusa, cum alia actione, utique ex parte effectus, Deus creaverit eius animam, alia autem infuderit ipsi scientiam, quamvis simul tempore.

6. — *Scholion. — Cognitio per species infusas aeque perfecta non est ac cognitio per immediatam Dei praesentiam, et ideo habet, relate ad hanc, rationem cuiusdam imperfecti, non tamen imperfecti, quod sit cum illa beatifica visione incompossibile. Revera, cognitio per species inditas, si quidem includeret aliquid oppositum cognitioni beatae, non posset simul cum illa admitti, quemadmodum simul cum visione beatifica nequit admitti fides, quae in sui ratione includit oppositum manifestae visionis. Unde, quod solet dici quod cognitio perfecta excludit cognitionem imperfectam, intelligitur quando cognitio imperfecta includit oppositum cognitionis perfectae, sicut visio aenigmatica fidei includit oppositum manifestae visionis facici [4].

1. Cf. infra Quaest. XVIII, art. 4, § 3, et Quaest. XIX, art. 3, n. 7. — 2. L. IV. Super. Gen. ad litt., cc. 22, 24, 30. — 3. H. l. — 4. Ad 1^m.

7. — Difficultas. — Cognitio quaecumque, alia a cognitione beata, comparatur ad illam sicut dispositio ad perfectionem. Atqui habita perfectione, non est ulterius necessaria dispositio. Ergo praesente scientia beata in anima Christi, non est necessaria scientia indita.

Resp. *Dist. mai.* Quae dispositio se habet ad perfectionem, quasi effectus ab ipsa procedens, *conc.*; quasi via ad illam ducens, *nego. Dist. min.* Dispositio quae sit via ad perfectionem ducens, *conc.*; quae sit effectus a perfectione procedens, *nego. Nego conseq. et conseq.* — In Christo, scientia infusa non fuit via ad beatitudinem, sed potius quasi effectus a beatitudine promanans, non quidem ut esset, sed ut per beatitudinem confirmaretur. Vocatur enim scientia indita, quia fuit animae Christi data statim ab exordio sui, ideoque simul causata cum scientia beata, sed non formaliter per hanc scientiam, cum anima Christi potuisset absolute scientiam inditam habere, non habita scientia beata : sed praesentia scientiae beatae in ipsa scientiam inditam confirmavit in essendo. Porro, quod taliter se habet relate ad perfectionem, scilicet sicut effectus a causa, praesente causa, non cessat sed remanet, sicut praesente igne, calor non cessat sed remanet, imo confirmatur in essendo, quasi talis formae effectus. Est tamen differentia, quia calor disponit materiam ad suscipiendam formam ignis ; sed scientia indita non disposuit animam Christi ad scientiam beatam, cum utramque in initio simul acceperit, et aliunde forma ordinis naturalis, qualis est scientia indita, nequeat esse sufficiens ratio ad suscipiendam formam ordinis supernaturalis, quale est lumen gloriae ad scientiam beatam requisitum.

Sed dato etiam quod omnis alia cognitio, comparata ad scientiam beatam, fuisset sicut dispositio ad perfectionem, tamen non propterea evacuanda esset per praesentiam scientiae beatae. Revera, opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam quae per demonstrationem acquiritur ; et tamen, acquisita iam scientia, potest remanere cognitio quae est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam quae est per causam. Nam ex hoc quod aliquis cognoscit rem ex propriis principiis, magis potest cognoscere signa probabilia ex quibus procedit syllogismus dialecticus : et ita fuisse dicendum est in

Christo [1]. — Ubi lector advertat quam caute S. Thomas dicat quod, praesente scientia per demonstrationem acquisita, remanet *cognitio* per syllogismum dialecticum parta. Scilicet, non amplius dicit remanere *opinionem* sed *cognitionem*, quia in eo qui rem aliquam iam scit, non potest remanere formido errandi, quae in opinione importatur [2].

8. — Advertendum. — Ultimo monemus, ne aequivocatio fiat, quod quidem alibi [3] iam fusius declaravimus, lumen istud divinitus infusum non esse nisi communem rationem intelligendi ea quae Deus hac scientia manifestat, quemadmodum et lumen intellectus agentis non est nisi communis ratio intelligendi ea quae divinitus revelantur; unde et haec scientia in Christo dicenda est distincta fuisse per diversos habitus, scilicet secundum diversitatem obiectorum formalium illius scientiae, ut inferius declarabitur [4].

ARTICULUS IV. — *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.*

1. — Ratio articuli. — Scientia hic *acquisita* dicitur, quasi potens sensuum exercitatione acquiri, secundum quam intellectus agens abstrahit species intelligibiles ex phantasmatibus ope sensuum apprehensis, unde etiam *experimentalis* vocatur. Dubitatur autem utrum ista scientia in Christo debeat admitti, potissime propterea quod, cum per scientiam inditam eius anima fuerit repleta speciebus intelligibilibus omnium rerum, non videtur remansisse locus aliis speciebus acquisitis. Unde et ipse Angelicus, in commentario in tertium librum Sententiarum [5] negaverat in Christo fuisse vere scientiam acquisitam, admittens in ipso usum phantasmatum tantummodo quoad applicationem scientiae infusae.

2. — Distinctio inter scientiam infusam et scientiam

1. Ad 2[m]. — 2. Caiet. — 3. Tract. de Deo Uno. Quaest. I, art. 3, n. 6. — 4. Quaest. XI, art. 6, ad 3[m]. — 5. Q. III, art. 3, ad 5[m].

acquisitam. — Porro, praemonere necesse est in quonam consistat formale discrimen inter scientiam infusam per se, et scientiam per se acquisitam. Nam, et scientia per se acquisita potest a Deo infundi animae, sicut Deus infudisse perhibetur apostolis donum linguarum, et Adae rerum cognitionem; sed quia per se est acquisibilis, ideo, si quando infunditur, non dicitur infundi per se, sed per accidens.

Porro discrimen duplex invenitur: aliud ex parte causae efficientis, aliud vero ex parte obiecti formalis. Ex parte quidem causae efficientis, discrimen in eo est quod scientia infusa habet pro efficienti proportionato solum Deum, scientia autem acquisita naturae vires; licet Deus, prima causa cum sit, possit immediate et hanc infundere, sicut potest per se effectus causarum secundarum sine ipsis producere. At vero alius discrimen inter utramque scientiam ex parte obiecti formalis desumendum est, ita quod obiectum formale scientiae per se acquisitae sit quidditas rei materialis, abstracta a phantasmatibus singularium; obiectum vero formale scientiae per se infusae sit quidditas non solum rei materialis, sed etiam rei immaterialis, ut est quidditas angeli, ideoque huiusmodi obiectum non est abstractum a phantasmatibus, nec secundum phantasmatum proportionem mensuratum; et generaliter complectitur omne ens, sive universale, sive singulare, materiale vel immateriale, proprietates et accidentia, imo et supernaturalia, tamen citra Deum, ut fusius in quaestione undecima explicabitur[1]; dum obiectum formale scientiae per se acquisitae complectitur solum universale in materia, ideoque non singulare, non Angelum, non supernaturalia, etc.

Ratio vero intelligendi ea quae per scientiam infusam sciuntur, est proportio ad lumen superius infusum; ratio autem intelligendi ea quae per scientiam acquisitam noscuntur, est proportio ad lumen intellectus agentis. *Alia ratio*, ait S. Doctor[2], *est de habitu acquisito et de habitu infuso; nam habitus scientiae acquiritur per comparationem humanae mentis ad phantasmata, unde secundum eamdem rationem non potest alius habitus iterato acquiri: sed habitus scientiae infusae est alterius rationis, utpote a superiori descendens in*

1. Ex hoc patet quam sit extensum obiectum scientiae inditae. — 2. Ad 3^m.

animam, non secundum proportionem phantasmatum, et ideo non est eadem ratio de utroque habitu. At notandum est, quod iam antea[1] innuimus, hanc non esse nisi *communem* rationem: ideoque utramque scientiam subdividi secundum distinctionem obiecti formalis *sub quo*. Nam, verbi gratia, in ipsa scientia infusa per se, alia est cognitio Dei ex effectibus, alia autem cognitio eius secundum specialem revelationem, puta quantum ad Trinitatis mysterium in speculo: quae distinctio etiam proportionaliter currit in ipsa scientia acquisita. — Quisnam autem fuerit proprie ambitus utriusque scientiae in Christo, suo loco declarabitur[2].

3. — Sententiae. — Igitur, stante hac distinctione utriusque scientiae, cum scientia acquisita potuerit infundi in anima Christi, vel acquiri ope sensuum, S. Doctoris intentio in praesenti articulo est, ut probet Christum habuisse scientiam acquisitam actu, et non solum acquisibilem, ut patet ex potissimo argumento in textu, quod nempe si Christus non acquisivisset scientiam modo recitato, caruisset propria operatione intellectus agentis, cuius est abstrahere species a phantasmatibus, ideoque caruisset suo proprio fine, cum finis cuiuscumque potentiae sit propria eius operatio. Quod contra S. Bonaventuram, Scotum et Suarez dicitur, qui, admittentes quidem huius scientiae in Christo existentiam, illam tamen posuerunt in eo ortam fuisse ex Dei infusione, quemadmodum Adae ponitur infusa in sui creatione: unde esset acquisibilis quidem, sed non acquisita.

4. — PROP. — In Christo fuit etiam scientia experientia acquisita.

Prob. α) Ex verbis S. Pauli[3]: *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam*, ὢν υἱός, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν τὴν ὑπακοήν, ubi pro *didicit*, Glossa habet: *expertus est*: quasi experientiam obedientiae ex propria passione Christus acquisierit, discens quam grave sit obedire in actu, cum ipse in gravissimis et difficillimis circumstantiis obediverit. Igitur Christus, licet ab aeterno sciverit simplici notitia quid sit obedientia, tamen experimento illam in tempore discere voluit.

1. Art. praec. n. 8. — 2. Quaest. XI, a. 1, et Quaest. XII, a. 1. — 3. Hebr. V, 8.

5. — β) **Rat. theol.** — Cum Christus fuerit perfectus homo, ideoque cum non caruerit aliquo eorum quae in nostra natura plantavit, oportuit ut, praeter intellectum possibilem, haberet etiam intellectum agentem. Porro, unumquodque est propter propriam operationem : frustra enim est illud quod propria operatione destituitur. Propria autem operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas a phantasmatibus ; ideoque, sicut intellectus possibilis est quod est omnia fieri, ita intellectus agens est quod est omnia facere. Ergo, cum nihil frustra in Christo fuerit, ideo necesse est ut ipse habuerit species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptas, in quo, ut dictum est, consistit ratio propria scientiae acquisitae, vel experimentalis. Quapropter, verus admittendus est, secundum hanc scientiam, in Christo profectus [1], licet secundum scientiam infusam nullus profectus admittatur, cum huius scientiae causa agens Deus sit, qui, utpote infinitae virtutis, non successive, sed totum simul operari potest [2].

6. — ***Solvitur dubium.** — *Obiicienti* vero quod nec in Adam in initio creationis suae, nec in beatis in patria, intellectus agens est frustra, cum tamen nec Adam tunc abstraxerit species a phantasmatibus, nec in caelo beati abstrahant, *responderi* cum Billuart [3] potest, quod *vis rationis D. Thomae non fundatur in hoc quod intellectus Christi absolute foret frustra, sed frustra, respective ad connaturalem modum operandi, iuxta communem cursum et statum in quo Deus eum produxit ; id enim dicitur frustra, quod caret actu sibi debito pro statu et tempore. Cum ergo Adam fuit creatus in statu perfectionis, illi pro hoc statu non erat debitus actus abstractionis a phantasmatibus, quo cresceret et proficeret in scientia, adeoque nec frustra in ipso fuit intellectus agens, utpote qui non caruit actu sibi debito pro hoc statu. Idem dicendum de beatis qui non sunt in statu acquirendi scientiam, nec crescendi secundum corpus :* unde nec vis augmentativa est in eis frustra.

7. — ***Confirmatur.** — **I.** Anima Christi debuit perfici secun-

1. Luc. II, 52.— 2. Cf. Quaest. XII, art. 2, ad 1^m.— 3. Sum. S. Thom. Dissert. XII, a. 1, Parisiis, t. III, p. 17.

dum omnem suum respectum. Atqui mens humana duplicem habet respectum : unum ad superiora, alium vero ad inferiora. Ergo anima Christi debuit perfici secundum hunc duplicem respectum. Et ideo, secundum respectum ad superiora, anima Christi fuit plena per scientiam inditam ; secundum respectum vero ad inferiora, id est ad phantasmata, quae sunt apta movere mentem humanam per virtutem intellectus agentis, anima Christi debuit etiam repleri : non quasi prima plenitudo non sufficeret humanae menti secundum seipsam, sed quia oportuit illam perfici etiam secundum respectum ad phantasmata, scilicet secundum acquisitionem scientiae a phantasmatibus ope sensuum, et secundum intelligentiam rerum per conversionem ad phantasmata [1].

II. Debuit scientia in Christo poni, quae esset connaturalis eius animae, non modo ex parte subiecti recipientis, sed etiam ex parte causae agentis. Atqui scientia connaturalis animae humanae, ex parte causae agentis, est illa quam homo acquirit ex phantasmatibus sensibilium ope intellectus agentis. Ergo, praeter scientiam beatam, per quam ipsa Dei essentia videtur, quae connaturalis est solius Dei, et scientiam infusam, quae animae humanae attribuitur secundum lumen desuper infusum et quae connaturalis est naturae angelicae, debuit esse in anima Christi etiam scientia acquisita.

8. — Corollaria. — I. Ex dictis sequitur aliter dicendum esse de scientia infusa Christi et de scientia infusa Adae. Nam, cum Adam, utpote generis humani pater, illud erudire debuerit in naturalibus, pro iis quae secundum huius vitae statum homini competunt, sicut corporis quantitatem secundum debitam speciei exigentiam habuit, ita et animae connaturale scientiae complementum accepit secundum naturae capacitatem [2]. Christus autem, cum esset generis humani principium in ordine mysteriorum Dei et regni caelestis, ea omnia a principio sibi indita habere debuit in ratione gratiae et virtutum, necnon in ratione scientiae, quae requirebantur ut idoneus esset Doctor, non quidem relate ad scientias naturales, quas docturus non venerat, sed relate ad

1. Ad 2^m. — 2. I, Quaest. XCIV, art. 3.

arcana Dei mysteria. Idcoque statim a principio scientia infusa formaliter et per se fuit donatus, et relictus ut suo tempore scientias naturales proprio labore acquireret ; Adam vero non huius specici scientiam infusam habuit, sed inferiorem, correspondentem scilicet illi quae homini naturaliter in statu viae competit, quam tamen peccando amisit, nec per poenitentiam recuperavit.

II. Ergo scientia acquisita ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est animae humanae connaturale ; scientia infusa, secundum lumen desuper infusum, qui modus cognoscendi est proportionatus naturae angelicae ; scientia beata, per quam Dei essentia videtur, secundum lumen proprium et connaturale solius Dei. *Quemadmodum enim sensibilis obiectorum illustratio, nec frustra, nec sine adspectus illecebra, multipliciter contingit aut arte figuratur, modo irradiante sole, modo lucente luna, nunc sub aurorae ignibus, nunc sub crepusculo, ita etiam haud inutiliter, imo nec sine maxima convenientia factum est ut omnes scientiae creatae, suis quaequae radiis et modis, non excepta scientia acquisita, in mente Christi circa pleraque eadem obiecta illustranda convergerent*[1].

9. — Recapitulatio. — In summa libet sic argumentari. Ipsa ratio tum scientiae acquisitae, tum scientis, tum denique modi sciendi postulat ut in Christo fuerit scientia acquisita formaliter. Nam si ista fuisset infusa in Christo, generata in ipso fuisset per miraculum, et sic non per se, sed per accidens : atqui generatio per se, praestat generationi per accidens ; rursus, ipse sciens non se ipse movisset ad hanc scientiam, sed potius motus ab alio fuisset, quod tam perfectum non est ; denique sic aliquis modus cognitionis adipiscendae Christo defuisset.

10. — Difficultates. — **I.** Incumbere studio litterarum est conditio necessaria ad habendam scientiam acquisitam perfecto modo. Atqui Christus studio litterarum non institit ; legimus enim[2] : *Mirabantur Iudaei, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* Ergo Christus non habuit scientiam acquisitam perfecto modo. Christus autem, quod habuit, perfectissimo modo

1. Al. Ad Paquet, de Incarn. p. 135. Quebeci, 1899. — 2. Io. VII, 15.

habuit, secus nullo modo habuit. Ergo Christus nullimode habuit scientiam acquisitam.

Resp. *Dist. mai.* Pro nobilissimo ingenio, *nego;* secus, *conc. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Duplex est modus acquirendi scientiam: alius inveniendo, alius autem addiscendo. Atqui modus prior, qui est per inventionem, praecipuus est; alter vero, qui est per disciplinam, secundarius, iuxta illud Hesiodi recitatum a Philosopho[1]:

> Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ,
> . . . . . .
> Ἐσθλὸς δὲ αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
> *Optimus ille quidem longe est, qui ex se omnia novit,*
> . . . . . .
> *Ille bonus rursus, qui dictis paret amici.*

Et primum quidem ad summa ingenia pertinet, unde et divinum quid praeseferre videtur; aliud autem ad mediocrem animi virtutem, cui opus est magna laboris assiduitate. Porro decuit Christum Dominum habere scientiam acquisitam optimo modo, non solum propter sui dignitatem, sed maxime eo quia dabatur omnibus a Deo in Doctorem: *Laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiae*[2]. Unde magis per inventionem quam per disciplinam, decuit Christum acquirere proprio marte scientiam[3].

II. Virtutes naturaliter acquisibiles fuerunt infusae in Christo[4]. Ergo a pari scientia naturaliter acquisibilis.

Resp. *Nego paritatem.* Siquidem, haec scientia ponitur fuisse in Christo per experientiam acquisita, ne dicatur intellectus agens in ipso caruisse propria operatione, quae est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas a phantasmatibus; unde, licet *potuisset quidem intellectus agens pro lubitu animae operari ad illustrandum phantasmata quae inservirent scientiae infusae, quandocumque placuisset ali scientia ista, convertendo se ad phantasmata, ... nihilominus, quia in Christo praesupponitur completis-*

1. L. I, Ethic., c. 4. — 2. Ioel. II, 23. — 3. Ad 1^m. — 4. Cf. quae supra diximus, q. VII, art. 2, n. 7.

sime scientia infusa pro quocumque intelligibili, semel negata principali operatione intellectus agentis quoad scientiam genere suo acquisitam, iners et frustra delituisset[1]. At, quia Christus, secundum humanam naturam, perfectissimus fuit, ideo ab initio suae conceptionis virtutes habere debuit, quibus ordinaretur per respectum ad bonum naturali rationi conforme ; nec huiusmodi virtutum defectus satis compensátus fuisset exercitatione ad illarum acquisitionem explicanda, cum hae virtutes non possent aliunde suppleri; dum, e contra, defectus scientiae acquisitae satis compensatus fuit propria intellectus agentis exercitatione in illius acquisitione explicata, cum iam per scientiam infusam Christus haberet omnem cognitionem, quam per lumen intellectus agentis, decursu temporis, sibi comparaturus erat.

11. — **Scholion**. — Desinat profundissima haec quaestio in verbis Aligherii[2], quibus introducit S. Thomam attribuentem scientiae plenitudinem divinitus collatam tum Adae, tum Christo, quod tamen modo longe dispari intelligendum est, ut supra fuit explicatum.

Tu credi che nel petto onde la costa
Si trasse per formar la bella guancia,
Il cui palato a tutto il mondo costa,
Ed in quel che forato dalla lancia
E poscia e prima tanto sodisfece,
Che d'ogni colpa vince la bilancia,
Quantunque alla natura umana lece,
Aver di lume, tutto fosse infuso
Da quel Verbo che l'uno e l'altro fece.

1. Satolli in h. l. — 2. Parad. Cant. XIII, vers. 37, sqq.

QUAESTIO X

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — *Quo plura, altiora, ac magis dearticulata sunt ea quae circa aliquod intelligibile ponuntur,* praemonet Card. Satolli[1], *eo magis propriam uniuscuiusque considerationem prosequi oportet.* Cum igitur circa unumquodque intelligibile obiectum, multiplex extiterit in anima Christi scientificus habitus, isque perfectissima ac distinctissima ratione, sequitur ut de unoquoque specialis instituatur investigatio, ut illius natura, extensio, conditiones propria cognitione stabiliantur. — Ubi recolendum est hic tantum agi de creata Christi scientia, minime vero de increata, seu divina; quia autem primum locum, in ordine creati, tenet scientia beata, ideo de hac primum agendum est, quae scilicet in Dei visione consistit. Nec omnia hic tradenda sunt, quae ad hanc scientiam absolute spectant: hoc enim alterius loci est[2]; sed ea tantum dicenda proponuntur, quae ad animam Christi proprie pertinent.

2. — Ordo quaestionis. — Ubi duo erunt singillatim expendenda: alterum, de scientia beata animae Christi in seipsa inspecta (1-3), alterum de eadem considerata per respectum ad scientiam beatam aliorum (4). Absolute vero eadem scientia in Christo est inspicienda, nedum quoad illius obiectum principale, quod Deus est (1), sed etiam quoad obiectum secundarium, scilicet cognoscibilia in Verbo, tum in se (2), tum per respectum ad terminum (3).

1. In h. l. — 2. 1, Quaest. XII.



Hinc quaeruntur quatuor.

Primo. Utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam Essentiam.

Secundo. Utrum in Verbo cognoverit omnia.

Tertio. Utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita.

Quarto. Utrum videat Verbum, sive divinam Essentiam, clarius qualibet alia creatura.

ARTICULUS. I. — *Utrum Christus comprehenderit Verbum sive divinam Essentiam.*

1. — Ratio articuli. — Salva manente naturarum distinctione, et iam praesupposito quod in genere cognitionis, anima Christi prae caeteris creaturis excelluerit, et ita specialem prae ipsis cum Trinitate conformationem habuerit[1], primum quod inquirendum venit, est utrum visio Verbi tam perfecte Christi animae competerit, ac Deo ipsi de se visio competit, et sic utrum illius visio visionem quam Deus de se ipse habet adaequaverit, scilicet divinam Essentiam comprehendendo comprehensione proprie dicta. Siquidem duplex datur comprehensionis genus: *aliud* quo id, quod dicitur comprehendi, includitur in comprehendente; *aliud* vero, quo comprehensum habetur, attingitur, et quodammodo tenetur: quo sensu comprehensio opponitur insecutioni[2]. Et iam planum est Christi animam, si quidem

1. Ad 1^m; — 2; 1, Quaest. XII, art. 7, ad 1^m.

Verbum viderit, illud sibi praesens habere et quasi tenere debuisse, quemadmodum omnes beati illud possident, absque ullo amissionis periculo. Quapropter quaestio tota est de comprehensione proprie dicta.

2. — Error. — Fertur Augustinus de Roma, Archiepiscopus Nazarenus, docuisse ab anima Christi videri Deum tam clare et intense, sicut Deus ipse videt se : quam sententiam Concilium Basileense[1] reprobavit. Sit igitur

3. — PROP. — Anima Christi nullo modo comprehendit divinam Essentiam.

Prob. Nullum infinitum potest esse finito finitum. Atqui anima Christi est finita, Deus autem infinitus : in unione enim duarum naturarum proprietas utriusque inconfusa permansit, ita quod *increatum manserit increatum, et creatum manserit intra limites creaturae*, ut ait Damascenus[2]. Ergo Essentia divina nequit esse finita animae Christi. Atqui quod comprehenditur est finitum comprehendenti, quod ita exprimit S. Augustinus[3] : *Quod se comprehendit, finitum est sibi.* Ergo anima Christi non potuit comprehendere divinam Essentiam.

4. — Difficultas. — Magis est divinam naturam uniri hypostatice animae Christi, quam videri ab ipsa. Atqui natura divina tota unitur hypostatice animae Christi. Ergo in visione comprehenditur ab anima Christi.

Resp. *Trans. mai. Dist. min.* Natura divina unitur hypostatice animae Christi, tota quidem sed non totaliter, *conc.;* totaliter, *nego. Nego conseq. et conseq.* — In unione quae est secundum esse personale, licet natura divina, sive Verbum, uniatur tota naturae humanae Christi, non tamen totaliter, seu non sic quod haec comprehendat Dei Verbum : non enim fuit tota virtus Divitatis ab humana natura circumscripta, quasi *ita Deus sit infusus carni, ut curam gubernandae universitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam collectamque transtulerit*, ut argumentabatur S. Augustinus[4]. Pariter anima Christi, sicut anima beatorum, quanquam totam Dei Essentiam videat,

1. Sess. XXII.— 2. L. III, Orthod. fid., cc. 3 et 4. — 3. L. XXXIII. q. q. 14.— 4. Ep. ad Volus.

non tamen eam comprehendit, quia eam non videt totaliter, id est ita perfecte, sicut visibilis est[1]. — Transmisimus autem *maiorem*, quia unio hypostatica et visio beatifica ad diversos ordines spectant : ideo non secundum omnem respectum, prior alteri praestat.

5. — ***Scholion**. — Cum hac tamen doctrina stat quod possit dici *Filius hominis comprehendere divinam Essentiam*. Nam, cum propter unionem hypostaticam, omnia quae dicuntur de Filio Dei secundum divinam naturam, dicuntur etiam de Filio hominis propter identitatem suppositi, vere potest dici quod Filius hominis, vel etiam homo, est comprehensor divinae Essentiae, sicut dici potest quod Filius hominis est creator ; sed hoc dicitur de illo secundum divinam naturam, non autem secundum humanam naturam, ideoque nequit concedi quod anima Christi comprehenderit Verbum. — Quod autem Augustinus dicit, nempe, quod illud quod *convenit Filio Dei per naturam, convenit Filio hominis per gratiam*[2], non debet intelligi sic quod gratia sumatur pro gratia habituali, sed pro gratia unionis, id est pro unione hypostatica, secundum quam attenditur idiomatum communicatio[3].

6. — ***Testimonium S. Isidori**. — Circa sancti Isidori verba ab Angelico adducta in prima difficultate : *Trinitas sibi soli nota est et homini assumpto*[4], notandum est sensum esse Trinitatem solum a se cognosci perfecte, et ab homine Christo, qui quidem alius est a Patre et a Spiritu Sancto, non tamen a Verbo. Licet intelligi quoque possint illa verba hoc sensu, quod Christus, etiam ut homo, Trinitatem perfectius cognoscat quam quicumque alius beatus, ut infra ostendetur[5], citra tamen comprehensionem.

At vero alia est in novissimis codicibus Hispalensis Doctoris lectio, huius videlicet tenoris : *Sola enim Trinitas sibi integre nota est, et humanitas a Christo suscepta, quae tertia est in Trinitate persona*[6]. Quod quidem ita accipiendum est, ut pronomen rela-

1. Ad 2^m. — 2. Habet. implic. in l. I de Trin., c. 13. — 3. Ad 3^m. 4. Quae citantur ex l. I, de Summo Bono, sive Sententiarum, c. 3. — 5. Art. 4. — 6. L. I. Sent. c. 3, n. 2. Opp. T. VI, p. 120. Romae, 1802.

livum *quae* referatur non ad humanitatem sed ad personam, et quidem iuxta leges grammatices, quae sinit relativum inter substantiva diversi generis positum, posse cum utrolibet convenire, sicut cum idem Isidorus[1] dicit : *Inimicos Dei persequuntur tenebrae, qui intelliguntur Daemones*. Tertia autem dicitur Christus persona, quia est una ex tribus personis.

Caeterum, quod Isidorus non relineat quod anima Christi comprehenderit divinam Essentiam, evincitur ex eo quod de ipso S. Thomas alibi[2] refert, nempe, animam Christi non aequare Verbum sive in scientia, sive in aliquo alio.

ARTICULUS II. — *Utrum anima Christi in Verbo cognoverit omnia.*

1. — Errores. — Cum iam Ariani contendissent Christum, ut Deus est, plura ignorare, aliqui haeretici, ex Eutychianis saeculo VI orti, dictitabant Christum, ut homo est, aliqua nescire, ut, verbi gratia, horam iudicii, quam ignorantiam ipsum assumpsisse dicebant, non secus ac dolorem et mortem, unde *agnoitae* vel *agnoetae* (ab ἀγνοέω *ignorare*) dicti sunt. Contra quos vindicanda est, in praesenti articulo, universalitas cognitionis in anima Christi, per respectum ad ea quae in Verbo vidit, quam quidem cognitionem in articulo subsequenti extendi usque ad infinita, debitis tamen adhibitis distinctionibus, ostendetur.

2. — Quotuplici sensu sumi possit ly omnia. — Porro, praemonendum est ly *omnia* posse accipi dupliciter : *uno modo* proprie, *alio modo* large. Proprie quidem, ut distribuat pro omnibus quae actu sunt secundum quodcumque tempus, sive praesens, sive praeteritum, sive futurum, quaecumque etiam illa sint, scilicet sive cogitata, sive dicta, sive facta, et quidem quocumque modo. Large vero, ut extendatur non modo ad ea quae sunt actu secundum quodcumque tempus, sed etiam ad omnia quaecumque sunt in potentia nunquam reducta aut reducenda in actum; et quidem, sive illa sint in sola potentia Dei, sive sint non solum in

1. Ibid. l. II, c. 15, n. 4.— 2. Q. XX, de Ver., art. 4, arg. 9.

potentia Dei, sed etiam in potentia creaturae. Quae distinctio sufficientissime distinguit omne ens cognoscibile, et maxime attenditur cum distinguitur scientia Dei in scientiam visionis, qua Deus cognoscit omnia quae quocumque modo *actu* sunt, et scientiam simplicis intelligentiae, qua intelligit ea quae sunt tantum *in potentia*, sive sua, sive creaturae.

3. — PROP. — **Anima Christi in Verbo cognoscit** α) **omnia quae sunt actu quocumque modo**; β) **necnon ea quae sunt in potentia creaturae**; γ) **non autem ea quae sunt in potentia Dei.**

Prob. 1ª Pars. — Unusquisque intellectus creatus in Verbo cognoscit non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius Verbum videt; nulli tamen intellectui beato deest quin cognoscat in Verbo omnia quae ad ipsum spectant. Atqui ad Christum et ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia quae sunt actu quocumque modo: nam, primo, omnia ei subiecta sunt; et, secundo, ipse est a Deo constitutus omnium iudex, iuxta illud[1]: *Potestatem dedit ei* (Pater) *iudicium facere, quia Filius hominis est*. Ergo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus, et etiam hominum cogitatus, quorum ipse iudex constituitur. — Unde, quod dicitur[2]: *Dignus est Agnus qui occisus est accipere... sapientiam*, Glossa intelligit de omnium rerum cognitione. Praeterea, id quod legitur[3]: *Ipse enim sciebat quid esset in homine*, potest intelligi non solum quantum ad scientiam Christi divinam, sed etiam quantum ad scientiam animae eius quam habet in Verbo; de qua Christi universali scientia Petrus testimonium reddens, aiebat: *Domine, tu omnia nosti*[4].

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Anima Christi in Verbo comprehendit omnis creaturae essentiam, et consequenter potentiam et virtutem, ideoque omnia quae sunt in potentia creaturae, cum virtus quaelibet cognoscatur per cognitionem omnium in quae potest.

5. — **Prob. 3ª Pars.** — Cognoscere omnia quae sunt in potentia Dei esset comprehendere omnia quae Deus potest facere, quod

1. Io. V, 27. — 2. Apoc. V, 12. — 3. Io., II, 25. — 4. Ibid., XXI, 17.

esset comprehendere divinam virtutem et consequenter divinam Essentiam. Atqui anima Christi nequit comprehendere divinam Essentiam. Ergo non potest scire in Verbo omnia quae in Dei potentia sunt.

6. — Corollarium. — Exinde, scientia beata Christi, licet perfectissima, tamen cedit scientiae divinae ex duplici capite: *primo*, quantum ad numerum scibilium, seu secundum extensionem, et *secundo*, quantum ad modum cognoscendi, seu secundum intensionem cognitionis eorum quae actu sciuntur. Deus enim suam comprehendit Essentiam, ideoque cognoscit non modo omnia quae sunt actu secundum quodcumque tempus, ad quod pertinet scientia visionis, sed etiam quaecumque ipse facere potest perfectissime rimatur, secundum quod attenditur scientia simplicis intelligentiae. Igitur anima Christi, licet attingat omnia quae Deus in seipso per scientiam visionis cognoscit, non tamen attingit ea quae Deus in seipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentiae : ideoque plura scit Deus in seipso quam anima Christi in Verbo.

Sed et quantum ad ea scibilia, in quibus cognoscendis anima Christi cum Deo convenit, quae sunt ea quae pertinent ad scientiam visionis, quanquam scientia animae Christi parificetur scientiae quam habet Deus in seipso quantum ad numerum scibilium, tamen scientia Dei in infinitum excedit scientiam animae Christi quantum ad claritatem cognitionis: lumen enim increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quodcumque receptum in anima Christi: unde scientia divina supergreditur scientiam animae Christi, non modo quantum ad numerum scibilium, sed etiam quantum ad modum cognoscendi seu cognitionis claritatem[1].

Et quia ea quae actu sunt, sunt simpliciter, ea vero quae sunt in potentia, sunt secundum quid tantum, ideo anima Christi potest dici cognoscere simpliciter omnia in Verbo, licet secundum quid non cognoscat omnia.

7. — Quaestio. — *Quisnam sit sensus horum verborum*[2]*:* De die

1. Ad 2[m] et 3[m].— Marc. XIII, 32.

AUTEM ILLO VEL HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI IN COELO, NEQUE FILIUS, NISI PATER.

Resp. Hisce verbis potest dari sensus falsus duplex, itidemque sensus verus duplex; demum sensus unus dubius.

I. Primus sensus *falsus* est quem sequebantur Arius et Eunomius, qui, licet scientiam in anima Christi admitterent, tamen ponebant Filium, quantum ad divinam cognitionem, esse Patre minorem, ideoque, eumdem, ut Deus est, ignorare diem iudicii: quod quidem stare nequit, quia per *Verbum Dei facta sunt omnia*[1]; at, inter alia, sunt etiam facta per ipsum omnia tempora; aliquid autem non potest ignorari ab eo per quem est factum. — Alius sensus falsus est ut intelligatur de scientia animae Christi, ut Agnoitae faciebant; quod etiam nequit sustineri, quia omnia quae actu aliquando sunt, anima Christi in Verbo cognoscit, cum omnium iudex existat.

II. Sensus *verus* primus est, ut ly *scire* sumatur pro *facere scire*[2]; ita ut sensus sit quod Filius nesciat diem et horam iudicii, quia non facit scire: interrogatus enim super hoc ab Apostolis [3]: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* noluit hoc eis revelare, dicens[4]: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Qui loquendi modus non est infrequens in Scripturis: ita enim ratione contraria legimus [5]: *Nunc cognovi quod times Deum,* id est *cognoscere te feci.* Et hoc sensu Pater dicitur scire, quia cognitionem huiusmodi Filio tradit; unde in hoc ipso quod dicitur: *nisi Pater*, datur intelligi quod Filius cognoscit quantum ad divinam naturam quam habet communem cum Patre. Sed hoc etiam quantum ad humanam naturam extenditur, quia, ut Chrysostomus argumentatur[6], si *Christo homini datum est ut sciat qualiter oporteat iudicare, multo magis datum est ei scire quod minus est, scilicet tempus iudicii.* — Alius sensus *verus* est quem sequitur Origenes[7], ut hoc dictum exponatur de Christo secundum corpus eius, quod est Ecclesia, quae tempus iudicii ignorat.

1. Io., I, 3. — 2. — Quasi significatione coniugationis *hiphil* penes hebraeos. — 3. Act. I, 6. — 4. Ibid. 7. — 5. Gen. XXII, 12. — 6. Hom. LXXVIII, in Matth. — 7. Tract. XXX, in Matth.

III. Denique, sensus *dubius* est quem quidam sequuntur, ut scilicet hoc dictum intelligatur de filio Dei adoptivo, non de Filio naturali, ita ut sensus sit quod nullus fidelium diem aut horam iudicii cognoscat. Obstat tamen exegetica vocis notio; quia, cum dicitur *Filius*, ὁ υἱός, de uno specialissimo filio est sermo, non de hominibus in communi[1]

ARTICULUS III. — *Utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita.*

1. — Praenotanda. — Cum Christus in Verbo cognoverit omnia quae sunt actu, itidemque omnia quae sunt in potentia creaturae, rursum instituitur quaestio, utrum hac scientia illius anima infinita comprehenderit. Ad quod solvendum, recolendum primo est scientiam non esse nisi de ente, eo quod ens et verum convertuntur. Porro, dupliciter aliquid dicitur ens: uno modo *simpliciter*, quod scilicet est ens in actu; alio modo *secundum quid*, quod est ens in potentia. Rursus, cum unumquodque cognoscitur secundum quod est actu et non secundum quod est in potentia, scientia primo et principaliter respicit ens actu, secundario autem respicit ens in potentia: quod quidem non secundum seipsum cognoscibile est, sed secundum quod cognoscitur illud in cuius potentia existit.

2. — PROP. — **Anima Christi α) non cognoscit infinita simpliciter, β) sed tantummodo secundum quid; γ) non tamen per modum infiniti, sed quasi finite.**

Prob. 1ª Pars. — Cognoscere aliquid simpliciter est cognoscere illud secundum quod est actu. Atqui non sunt infinita in actu, etiamsi accipiantur omnia quaecumque sunt in actu secundum quodcumque tempus. Nam, primo, eorum quae sunt absque generatione et corruptione, est certus numerus; eorum pariter quae generantur et corrumpuntur est etiam determinatus numerus; immo, si nec principium daretur motus nec finis, sicut

1. Ad 1ᵐ.

in hypothesi quod mundus fuisset ab aeterno [1], necdum essent infinita actu seu permanenter, sed tantummodo potentia, sive successive.

3. — **Prob. 2ª Pars.** — Cognoscere aliquid secundum quid, est illud cognoscere secundum quod est in potentia. Atqui anima Christi in Verbo cognoscit omnia quae sunt in potentia creaturae; in potentia autem creaturae sunt infinita; ergo anima Christi cognoscit infinita secundum quid, quasi quadam scientia simplicis intelligentiae, non autem scientia visionis.

4. — ***Confirmatur.** — Anima Christi cognoscit totam suam potentiam et omnia in quae potest. Atqui potest in emundationem infinitorum peccatorum, iuxta illud [2]: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

5. — **Prob. 3ª Pars.** — Ad huius partis evidentiam, sciendum est quod infinitum, de quo hic agitur, est infinitum *privative*, non autem infinitum *negative* acceptum.

Revera, infinitum aliud est secundum rationem formae, et dicitur infinitum negative, aliud autem secundum rationem materiae, et dicitur infinitum privative. Infinitum negative est id quod est forma vel actus non limitatus per materiam vel per subiectum in quo recipiatur; infinitum autem privative ex hoc dicitur, quod non habet formam quam natum est habere [3]. Primo modo Deus dicitur infinitus; et tale infinitum est maxime cognoscibile propter perfectionem actus, licet a potentia finita creaturae comprehensibile non sit; et tale infinitum anima Christi cognoscit, licet non comprehendat. Alio modo consideratur infinitum in quantitate, et tale est *cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere*, ut dicit Philosophus [4]. Porro, tale infinitum ex sui ratione est ignotum: est enim quasi materia cum privatione formae; omnis autem cognitio est per formam vel actum. Igitur impossibile est quod cognoscatur huiusmodi infinitum, scilicet quod se tenet ex parte materiae, usquedum cognoscitur per modum ipsius infiniti: modus enim talis infiniti est ut accipiatur pars

1. Cf. 1, Quaest. XLVI, art. 2. — 2. 1, Io. II, 2. — 3. 1, Quaest. VII, art. 1. — 4. L. IV, Physic., t. 63.

eius post partem, ideoque parte accepta post partem, semper remanet aliquid extra, seu semper est aliquid extra accipere; ideoque anima Christi nequit cognoscere infinita per hunc modum, quia infinitum sic simpliciter est ignotum.

6. — *__Corollarium.__ — Ergo anima Christi cognoscit infinita in Verbo, non per modum infiniti, sed quasi finite illa comprehendendo. Revera, sicut materialia possunt accipi ab intellectu immaterialiter et multa unite, ita infinita possunt accipi ab intellectu non per modum infiniti, sed quasi finite: in quantum intellectus cognoscit infinita non discurrendo per singula, sed in aliquo uno, puta in aliqua creatura, in cuius potentia existunt infinita, et principaliter in ipso Verbo [1].

Porro anima Christi, licet attingat Deum, tamen illum comprehendere minime valet; infinitum autem quod est in potentia creaturae et attingit et comprehendit. Cuius differentiae ratio est quia, cum proprium obiectum intellectus sit *quod quid est*, ad quod pertinet ratio speciei, Deus autem sit simpliciter infinitus secundum rationem essentiae, creaturae autem non habeant infinitatem ex parte rationis essentiae, ideo Deus ab anima Christi, quae finita est, comprehendi nequit: creaturae autem ab ipsa comprehenduntur, cum finitae sint in sua essentia.

Revera, haec est differentia inter infinitum simpliciter et infinitum secundum quid, quod illud, secundum essentiae rationem, est infinitum, hoc autem finitum. Nec hoc ipsi repugnat quod secundum quid sit infinitum et secundum quid finitum: sicut in quantitatibus possumus imaginari superficiem, quae sit secundum longitudinem infinita, secundum latitudinem autem finita; ita, si essent infiniti homines numero, haberent quidem infinitatem secundum quid, id est secundum multitudinem, licet secundum essentiae rationem haberent finitatem, eo quod omnium essentia esset limitata sub ratione unius speciei: pariter infinita illa quae sunt in potentia creaturae, secundum essentiae rationem infinitatem non habent, ideoque ex hac parte possunt comprehendi ab anima Christi.

Ned hoc mirum esse debet consideranti quod etiam intellectus

1. Cf. I, Quaest. XIV. art. 12, ad 1^m.

noster intelligit universale, verbi gratia, naturam generis vel speciei, quae quodammodo habet infinitatem, in quantum potest de infinitis praedicari [1].

7. — **Quaestio.** — *Utrum scientia Christi, qua cognoscit infinita in potentia creaturae, adaequet scientiam simplicis intelligentiae Dei relate ad eadem obiecta?*

Resp. *Negative.* Licet anima Christi cognoscat infinita in potentia creaturae scientia simplicis intelligentiae, ut dictum est, tamen Deus plura scit secundum hunc scientiae modum, quam anima Christi.

Revera, infinitum omnibus modis nequit esse nisi unum: sicut si, per hypothesim, esset corpus infinitum, deberet esse ad omnem partem dimensionatum, et sic non possent esse plura corpora infinita. Si autem aliquid sit infinitum uno modo tantum, non repugnat esse plura talia infinita, sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem protractas in aliqua superficie secundum latitudinem finita: profecto, tale infinitum multiplicari non repugnat; et ita potest tali infinito aliquid maius dari: non enim est substantia quaedam, sed accidit rebus quae dicuntur infinitae; et cum proprietas debet multiplicari secundum subiecta, quaedam autem infiniti proprietas sit quod ipso non sit aliquid maius, si accipiamus unam lineam infinitam, in illa non est aliquid maius infinito: et similiter quaecumque alia linea infinita sumatur, non est aliquid maius infinito in illa linea, et ita in unaquaque partes sunt infinitae, et sic omnibus illis partibus infinitis non est aliquid maius in unaquaque linea. Cum hoc tamen stat quod in alia linea et in tertia, plures erunt partes, etiam infinitae, praeter istas: quod manifestatur in numeris, in quibus species numerorum parium sunt infinitae, et similiter species numerorum imparium, et tamen numeri pares et impares plures sunt quam soli pares vel soli impares.

Quapropter, cum infinito simpliciter et quoad omnia nihil sit maius, dato quod anima Christi comprehenderet Verbum, scientia Dei de Verbo non posset esse maior quam scientia animae

1. Ad 2^m.

Christi : sed infinito secundum quid non est aliquid maius in illo ordine ; potest tamen accipi aliquid maius extra hunc ordinem : ideoque, licet sint infinita in potentia creaturae, tamen plura sunt in potentia Dei quam in potentia creaturae, puta quod de pane fiat Corpus Christi, quod certe anima Christi, essentiam creaturae panis comprehendens nequit cognoscere, absque speciali revelatione, secus enim comprehenderet divinam omnipotentiam, penes quam nihil est impossibile[1].

Unde licet anima Christi sciat infinita scientia simplicis intelligentiae, non tamen scit infinitorum infinita, ideoque plura scit Deus secundum hunc scientiae vel intelligentiae modum : nam se habet divina Essentia in cognitione infinitorum relate ad animam Christi, sicut si esset aliquis habens unam speciem intelligibilem, qua sola intelligeret omnes numeros tum pares tum impares, relate ad alium, qui una specie comprehenderet tantum numeros pares, cui tamen iam inesset ex hac parte infinita scientia.

8. — ***Scholion.** — Ad pleniorem huius rei intelligentiam, et simul ut diluatur apparens antilogia inter id quod hic tradit Angelicus, scilicet animam Christi non cognoscere infinita simpliciter, quia non sunt infinita in actu, et doctrinam articuli duodecimi quaestionis XIV primae partis, ubi scribit quod Deus scit infinita etiam scientia visionis, placet transcribere verba Cardinalis Caietani[2] : *Occurrit hoc in loco dubium ad hominem, quo pacto stet doctrina haec cum ante dicta. Dictum quippe in praecedenti articulo est animam Christi scire quaecumque scit Deus scientia visionis : et in Prima Parte*[3], *Auctor determinat Deum scientia visionis cognoscere infinita, et reprehendit ac confutat rationem hic allatam de finito stata generationis et corruptionis. Unde videtur Auctor suae oblitus doctrinae et ponere contraria, dum dicit animam Christi nescire infinita in actu, et negat infinita actu secundum quodcumque tempus ; et ex alia parte dicit animam Christi scire omnia quae scit Deus scientia visionis, et dicit illa esse infinita in actu, si sumantur omnia quae sunt, erunt et fuerunt in actu, quia cogitationes et affectiones creaturarum rationalium, quae perpetuae sunt, in infinitum multiplicabuntur.*

1. Luc. I, 37. — 2. In hunc loc. — 3. Quaest. XIV, art. 12.

Ad hoc dicitur quod utrumque dictum est verum diversimode intellectum. Nam dictum hoc in loco verificatur de simpliciter entibus in actu, quae sunt solae substantiae quae sunt actu quandoque : quae constat esse finita, secundum fidei sententiam decernentis mundum incoepisse et generationem desituram. In Prima autem Parte sermo de simpliciter vel secundum quid entibus in actu quandoque est : quae etiam patet esse infinita, quia in infinitum actus intellectus multiplicabuntur, etsi non in tempore hoc continuo, in tempore tamen discreto.

Et quod haec sit Auctoris mens, patet ex tribus. — Primo, quia ab ente incipit corpus articuli, et ad ens simpliciter devenit, distinguendo illud contra ens secundum quid, quod dicitur et de ente in potentia et de accidentibus. Sed solum ens in potentia explicavit, quia solum ens in potentia erat ad distinctionem modi cognoscendi necessarium. — Secundo, quia ex statu generationis et corruptionis probat : qui non comprehendit accidentia universaliter, sed omnes substantias et quaedam tantum accidentia ; ut patet de actibus nobis futuris post iudicium. — Tertio, quia in articulo praecedenti expresse ad omnia existentia secundum quodcumque tempus adiungit etiam hominum cogitatus ; insinuans per hoc quod per existentia secundum quodcumque tempus intelligit hic ea sola quae simpliciter existunt, quae sunt solae substantiae.

Est igitur doctrina Auctoris quod omnia cognita scientia visionis possunt dici et infinita et finita : finita quidem, si ly omnia distribuit pro entibus simpliciter ; infinita vero, si ly omnia distribuit tam pro entibus quam accidentibus entium. Et propterea utrumque est verum : scilicet quod scientia visionis animae Christi est infinitorum : et quod non est infinitorum.

ARTICULUS IV. — *Utrum anima Christi videat Verbum seu divinam Essentiam clarius qualibet alia creatura.*

1. — Sensus quaestionis. — Non potest hic sensus esse de maiori vel minori perfectione claritudinis in visione Verbi, seu divinae Essentiae ex parte medii : una enim est ipsamet divina

Essentia, per quam omnes beati vident immediate Verbum; et perfectio cognitionis, quantum est ex parte cogniti, attenditur penes medium, patet non posse esse in diversis cognitionem clariorem vel minus claram ex hoc capite; sicut e contrario videmus quod perfectior habetur cognitio quae est per medium syllogismi demonstrativi, cognitione quae habetur per medium syllogismi dialectici.

Igitur perfectio hic consideratur quae est ex parte cognoscentis: et quod dari possit gradus in tali perfectione patet: per hanc enim gradationem *stella a stella differt in claritate*[1], et etiam inter homines, per unum idemque medium, unus perfectius cognoscit aliquam conclusionem quam alius. Quae quidem perfectio in visione divinae Essentiae attenditur secundum potentiam vel habitum: non quidem primo et per se secundum potentiam quae sit secundum ordinem naturae, sed secundum habitum, qui est secundum ordinem gratiae.

Revera, cum visio divinae Essentiae superexcedat naturalem potentiam cuiuscumque intellectus creati, et solum compleatur per hoc quod Deus intellectum ita elevat, ut tantae gloriae sit capax, magis debet perfectio visionis beatificae ex parte cognoscentis dimetiri ex potentia Dei ipsius secundum donum divinae gratiae quam secundum potentiam naturalem quamcumque creaturae: visio enim divinae Essentiae excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturae, et solum correspondet potentiae eius obedientiali. Si secus esset, de necessitate sequeretur quod substantiae angelicae deberetur, naturae debito, maior in visione divinae Essentiae gradus, prae gradu cuiuscumque alterius beati, incluso etiam Christo, cum potentia rationalis animae, qualis est etiam potentia animae Christi, sit infra potentiam intellectivam angeli: sed talis positio repugnat principiis fidei, qua docemur mensuram visionis beatificae accipi debere per comparationem ad lumen gloriae, quod et ipsum mensuratur secundum gratiae quantitatem. Cum hoc tamen utique stabit quod, stante eodem gradu luminis gloriae in homine et in angelo, perfectius iste quam ille Deum videret[2].

1. I, Cor. XV, 14. — 2. Ad 1^m et 2^m. Cf. Cajet.

Cum igitur formalis ratio visionis divinae Essentiae sit lumen gloriae, quod est habitus supernaturalis elevans intellectum ad percipiendam divinam Essentiam, quod lumen participatum derivatur in beatos a fonte Verbi Dei, iuxta illud[1]: *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis*, iam patet quod ille perfectius divinam Essentiam videt, qui maiori gaudet huiusmodi lumine participato. Hinc sit

2. — PROP. — **Anima Christi prae caeteris perfectius videt divinam Essentiam.**

Prob. Quod propinquius coniungitur Verbo, plenius alia quacumque creatura recipit ab ipso Verbo influentiam luminis in quo Deus videtur. Atqui anima Christi propinquius coniungitur Verbo, quam quaecumque alia natura. Ergo plenius quacumque alia creatura recipit a Verbo influentiam luminis ad videndam divinam Essentiam. Hinc dicitur[2]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* ubi *plenitudo veritatis*, quae profecto in visione divinae Essentiae perfectissime consistit, Christo ea ratione tribuitur, qua Unigenitus a Patre praedicatur, id est propter ipsam unionem hypostaticam.

3. — **Confirmatur.** — Qui constituitur totius Ecclesiae caput, super omnem beatorum spirituum hierarchiam in caelesti gloria elevatus, perfectius videt Deum quam quilibet intellectus creatus. Atqui Christus constituitur totius Ecclesiae caput, et super omnem caelestem hierarchiam elevatur; ait enim Paulus[3]: (Constituit Deus Christum) *ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; et omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Hinc, quia id quod primum est in unoquoque ordine est quodammodo causa aliorum in isto ordine, ideo civitatis Hierosolymae lucerna dicitur esse ipse Agnus Dei[4]: *Claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.*

4. — *Quaestio. — *Utrum possibile fuerit a Deo creari animam Christi cum maiori lumine gloriae, et consequenter cum perfectiori visione divinae Essentiae?*

1. Eccl. I, 5. — 2. Io. I, 14. — 3. Eph. I, 21, 22. — 4. Apoc. XXI, 23.

Resp. In omnibus huiusmodi problematibus constanter prae oculis habendum est quod tradit S. Thomas, nempe distinctionem esse faciendam inter divinam potentiam, absolute consideratam, cuius obiectum est quidquid non involvit repugnantiam, et divinam potentiam consideratam per ordinem ad finem divinorum operum. Et utique, primo modo, divina potentia nequit concludi ad certum determinatumque effectum ; sed dato quocumque effectu, semper potest maior effectus de infinitate divinae potentiae fieri, unde, in casu nostro, cum, absolute loquendo, sunt infiniti gradus medii possibiles inter modum quo Deus videt Verbum suum et modum quo anima Christi videt ipsum Verbum, ideo, absolute loquendo, fingi potest maior perfectio in visione divinae Essentiae, quam sit perfectio animae Christi.

Verum seclusa ista, quae veluti a priori est, consideratione, et habito respectu ad finem divinorum operum, dicendum est quod, sicut non potest esse maior gratia quam gratia Christi, stando scilicet intra ordinem praesentem divinae Providentiae, cum gratia Christi, propter unionem animae eius ad Verbum, summum gratiae attingat et quoad intensionem et quoad virtutem, ita etiam stando intra eumdem ordinem, non potest dari perfectior visio divinae Essentiae, quam visio animae Christi ; non quasi a divina potentia non valeat fieri aliquid maius, sed quia nequit esse sublimior gradus luminis gloriae in anima Christi[1].

1. Ad 3^m. Cf. Cajet. — Praetermitti hic haudquaquam debet mentio operis cuiusdam viri protestantici, ex quo plures scriptores catholici moderni suas de Christi scientia deductiones desumpsisse videntur. Operi titulus est : *Dissertations on subjects connected with the Incarnation*, by Charles Gore. M. A. Can. Westmonast. London, John Murray, 1895. In hoc libro non solum Christi humana scientia limitatur, sed etiam in Verbum incarnatum, ut sic, refunditur ignorantia, eo quod incarnando se, et seipsum exinaniendo et pauperem pro nobis faciendo, conditiones humanae naturae Verbum acceperit, licet in seipso pergat esse omniscius : quasi in Verbo discerni debeat officium cosmicum a sphaera Incarnationis. In quo placet referre verba P. M-J. Lagrange, O. P. (Revue biblique, 5me année, page 454) : *L'unité de personne se comprend mal avec la juxtaposition de la science et de l'ignorance. L'âme humaine du Christ ignorait-elle donc la personne divine à laquelle elle s'est unie* (melius dixeris : *qui se l'était unie*) ? *Comment pouvait-elle la connaître en dehors de la vision béatifique? L'union personnelle, si elle n'exige pas absolument, comporte*

Potest igitur fieri aliquid maius gloria animae Christi ; sicut si Verbum assumpsisset angelum, hic, stante eodem lumine gloriae, perfectius videret divinam Essentiam ; sed non esset hoc comparandum cum gratia et gloria animae Christi, cum iam fieret transitus ad alium ordinem.

5. — Scholion. — Demum sciscitanti utrum anima Christi possit aliquid de novo videre actu in Verbo, licet absolute possit concedi, quia posse semper plura cognoscere actu ultra omnem numerum determinatum non requirit perfectionem infinitam, tamen de facto negandum est fieri aliquam novam revelationem Christo, qui statim ab initio fuit in perfecto et ultimo statu comprehensionis sibi convenientis[1].

cependant, comme une suite, cette union des intelligences, et c'est peut-être pourquoi le sentiment catholique s'est prononcé là-dessus avec tant d'unanimité. Non placent tamen quae mox addit clarissimus auctor: *Si les théologiens ont de graves raisons d'affirmer en Jésus la vision béatifique et la science infuse, il est clair que quant à l'étendue de ces diverses sciences, leurs déductions doivent céder à une affirmation claire de l'Écriture. Si saint Mathieu affirme clairement (XXIV, 36) que le Fils ne sait pas l'heure du jugement, le nier sous prétexte que le Christ savait tout, c'est aller contre le principe de saint Thomas; il faut se rendre à l'autorité de l'Écriture. Mais conclure de cette nescience particulière avant la Résurrection que le Christ n'avait pas dès lors la vision béatifique, c'est un autre paralogisme, car ne peut-on voir l'essence de Dieu sans pénétrer les secrets de sa volonté?* Equidem hoc de aliis sanctis sustineri potest, non autem de Christo, quem Ioannes dicit plenum gratiae et veritatis : ceterum, quomodo intelligi debeat citatus Matthaei locus superius (p. 426) declaratum est.

1. Cf. Dionysius Cartus., in 3 Sent., Dist. XIV. Quaest. II, p. 257. Opp. T. XXIII. Tornaci, 1905.

QUAESTIO XI

DE SCIENTIA INDITA VEL INFUSA ANIMAE CHRISTI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Licet scholastici Doctores communiter conveniant in attribuenda animae Christi scientia infusa, non tamen omnes de ea uno sensu loquuntur, nec conveniunt in assignando eius discrimine formali a scientia acquisita. De ista igitur scientia modo quaeritur, quam in Christo reponendam esse suaderi supra diximus, ex eius omnimoda perfectione. Ubi vix advertere opus est hic agi de scientia *per se* infusa, non autem de scientia infusa *per accidens*, ut ex superius traditis patet: in hoc autem differt modus cognoscendi obiectum per scientiam infusam, a modo illudmet cognoscendi per scientiam beatam, quod in ista obiectum cognoscitur in Verbo; in illa vero cognoscitur in seipso immediate per species divinitus immissas supra phantasmatum proportionem.

2. — Ordo quaestionis. — Porro, sex sub praesenti quaestione clauduntur, ita distributa, ut primo de obiecto illius scientiae agatur (1); secundo vero de illius formali ratione, tum in modo operandi, et hoc quidem, sive absolute (2-3), sive respective (4), tum etiam in essendo (5-6). In modo quidem operandi, absolute, ut sciatur quomodo Christus illa scientia sit usus, relate ad phantasmata (2), necnon quantum ad discurrendi et conferendi modum (3); respective vero, ut determinetur quisnam praestet in scientia indita, Christusne an angelus. Demum, de causa formali huius scientiae in essendo inquirendum erit, tum ut sciatur quid in se sit (5), tum ut veritas determinetur per respectum ad primam entis proprietatem, quae est unitas (6).



Hinc, circa hoc quaeruntur sex:

Primo. Utrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia.

Secundo. Utrum hac scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata.

Tertio. Utrum haec scientia fuerit collativa.

Quarto. De comparatione huius scientiae ad scientiam angelicam.

Quinto. Utrum fuerit scientia habitualis.

Sexto. Utrum fuerit distincta per diversos habitus.

ARTICULUS I. — *Utrum secundum scientiam inditam vel infusam, Christus omnia sciat.*

1. — Duplex in creatura potentia. — Quia anima Christi est pura creatura, de ipsa est loquendum quantum ad eius potentialitatem, sicut de alia quacumque creatura. Porro, est in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideranda duplex potentia passiva: alia per comparationem ad agens naturale, alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem, altiorem actu in quem reducitur per agens naturale. Et prior quidem potentia vocatur potentia *naturalis*, altera vero potentia *obedientialis*. Quapropter,

cum quaeritur utrum Christus per scientiam inditam omnia cognoverit, sensus est utrum ea omnia sciverit, ad quae cognoscenda est in potentia nedum naturali, sed etiam obedientiali.

2. — PROP. **Anima Christi per scientiam inditam perfecte cognoscit omne aliud a Deo.**

Prob. — I. Auctoritate. — Cognitio quae est α) omnium divinorum, β) omnium immaterialium, γ) omnium conclusionum, δ) omnium agibilium, universaliter comprehendit omne cognoscibile. Atqui anima Christi istam quadruplicem cognitionem inditam habuit, testante Isaia [1], ubi quod dicitur: *Replebit eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus scientiae et consilii*, accipi ita debet, secundum Angelicum, ut ad *sapientiam* pertineat cognitio omnium divinorum, ad *intellectum*, cognitio omnium immaterialium, ad *scientiam*, cognitio omnium conclusionum, ad *consilium* autem, cognitio omnium agibilium. Ergo Christus rerum omnium cognitionem sibi per Spiritum Sanctum habuit inditam.

Ad hanc quoque scientiam possunt utique referri verba [2]: *Diffusa est gratia in labiis tuis;* et alia [3]: *Mirabantur in verbis gratiae quae procedebant de ore eius;* necnon ista [4]: *Numquam sic locutus est homo sicut hic homo;* denique sequentia [5]: *Scient omnes Ecclesiae quia ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Hoc autem Isaias iamdiu prophetaverat, cum dixerat [6]: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.*

3. — **II. Ratione theol.** — Perfectio animae Christi postulabat ut potentia intellectus possibilis eius esset reducta in actum; potentia quidem naturalis omnis; potentia vero obedientialis non omnis, sed quantum est ad actum naturalem animae proportionatum. Atqui reduci debuit per scientiam divinitus infusam, ut dictum est: unde secundum hanc scientiam anima Christi primo quidem cognovit quaecumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quaecumque per-

1. Cap. XI, 2. — 2. Ps. XLIV, 3. — 3. Luc. IV, 22. — 4. Io. VII, 46. — 5. Apoc. II, 23. — 6. L. 4.

tinent ad scientias humanas; secundo vero omnia illa quae per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Igitur omnia ista per scientiam inditam non modo cognovit anima Christi, sed etiam longe perfectius et plenius caeteris, propter maiorem copiam, necnon maiorem perfectionem specierum intelligibilium in ipso immissarum.

4. — **Scholia** — **I.** Excipitur tamen ab hac scientia cognitio divinae Essentiae facialis, quae nec naturaliter, nec per revelationem haberi potest, sed solum per scientiam divinam, cum per nullam speciem Dei cognitio facialis comparari valeat.

II. Scientiâ istâ potest dici Christus cognovisse infinita, habito respectu ad potentiam naturalem illius animae; siquidem extenditur ad illa omnia in quae potest in actum reduci per intellectum agentem, qui est proprie activus relate ad intellectum possibilem [1], nempe ad ea quae sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem, quae infinita sunt; si autem attendatur anima Christi secundum potentiam obedientialem, tunc non est dicenda cognovisse infinita istâ scientiâ; haec enim non ad omnia absolute se extendit ad quae anima Christi reduci potest, nam talis potentia in qualibet creatura inexplebilis est, sed tantummodo ad ea quae erant proportionata animae Christi [2].

5. — **Corollaria** — **I.** Ergo anima Christi per hanc scientiam cognovit etiam substantias separatas per proprias earum species intelligibiles. Revera, talis est conditio animae humanae in statu huius vitae, scilicet dum est corpori quodammodo obligata, ut sine phantasmate intelligere non valeat, ideoque nec attingere possit substantias separatas per proprias species intelligibiles earum: sed post huius vitae statum, anima separata poterit aliqualiter substantias separatas per seipsam cognoscere [3], ut maxime patet de animabus beatorum quae cum angelis communicant. Porro Christus, etiam ante passionem, non solum fuit viator, sed etiam comprehensor; et, qua talis, non habuit opus

1. Ad 1^m. — 2. Cf. Cajet, in h. l. — 3. Cf. 1, Quaest. LXXXIX, art. 1 et 2.

ut cum phantasmatibus intelligeret, sicut opus non habebunt beati, etiam post resurrectionem : ideoque potuit cognoscere substantias separatas, eo modo quo cognoscit eas anima separata, imo perfectiori ratione, cum anima separata imperfecte tantum eas cognoscat.

Nec obstat quod phantasmata se habent ad intellectum humanum sicut colores ad visum, ideoque sicut visus non potest cognoscere ea quae sunt omnino absque colore, ita et intellectus nullo modo potest cognoscere ea quae sunt omnino absque phantasmate, nam comparatio instituta intelligenda est tantummodo secundum statum praesentis vitae, non autem universaliter et per se[1].

II. Per hanc scientiam cognovit etiam Christus mysteria ordinis supernaturalis, et quidem longe perfectius quam quaelibet creatura; quae etiam usque ad comprehensionem novit, in eo quidem quod entia sunt, et sic quasi materialiter, non autem in eo quod *talia* entia sunt, seu formaliter qua mysteria, ab ipsa quidditate Dei specificata.

6. — Quaestio. — *Utrum anima Christi per hanc scientiam cognoverit etiam singularia?*

Resp. *Affirmative.* Nam, licet cognitio singularium non pertineat ad perfectionem animae intellectivae secundum cognitionem speculativam, tamen ad cognitionem eius pertinet secundum cognitionem practicam, quae absque cognitione singularium non perficitur, cum in singularibus sit operatio: unde et ad prudentiam requiritur memoria praeteritorum, cognitio praesentium et providentia futurorum, ut ait Tullius[2]; ideoque, cum Christus habuerit plenitudinem prudentiae secundum donum consilii, et non solum prudentiae monasticae, sed etiam politicae, imo regalis, imo monarchicae totius universi, hinc debuit etiam habere cognitionem omnium singularium, praesentium, praeteritorum et futurorum[3] tam necessariorum quam contingentium, ideoque cogitationes et volitiones liberas omnes cognovit, non quidem in seipsis quia nondum sunt, nec in sua causa, quia indifferens est, sed per divinam revelationem; ista omnia autem cogno-

1. Ad 2^m. — 2. In Rhet., l. II de Invent. — 3. Ad 3^m.

scere debuit, quae ipsi ut iudici subduntur. Qua in re videtur hic S. Doctor ea correxisse quae alibi [1] dixerat, cum singularium cognitionem exceperat ab hac scientia animae Christi[2].

Huiusmodi autem species intelligibiles virtutem habent repraesentandi non modo naturam specificam sed etiam singularia illius una cum suis omnibus accidentibus, propterea quod effluunt immediate a divina Essentia, quae, una existens, est similitudo perfectissima uniuscuiusque rei, ita quod nihil omnino irrepraesentatum relinquant, sive actu sit, sive iam fuerit, sive nondum existat [3].

ARTICULUS II. — *Utrum Christus hac scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata.*

1. — Ratio dubitandi. — Potissimum dubitationis hac de re momentum desumitur ex eo quod cum phantasmata, secundum auctoritatem Philosophi[4], ad animam intellectivam humanam comparentur sicut colores ad visum, potentia autem visiva non possit exire in actum nisi convertendo se ad colores, ideo videretur adserendum quod anima intellectiva Christi non potuerit exire in actum, etiam secundum scientiam inditam, non convertendo se ad phantasmata.

2. — Praemittendum. — Ad cuius evidentiam, sciendum est quod ista similitudo non debet attendi quoad omnia: revera, finis

1. 3, Dist. XIV; necnon de Verit. Quaest. XX, art. 6. — 2. Huc facit opportuna animadversio Dionysii Cartusiani, qui commentans illud Lucae IV : *Et ut revolvit librum, invenit*, etc., scribit : *Christus non solum per divinam et increatam scientiam, sed etiam per scientiam suae animae a principio creationis eius ei inditam, distinctissime novit cuncta creata, quantumlibet parva et magna : ideo constat quod scivit quot folia, quot rigae, quot verba continebantur in libro, et ubi quilibet passus staret. Unde primo ictu reperit passum quem voluit, non utique fortuito sed deliberate*. T. XI, Monstrolii, MDCCCC, art. IX. p. 471. — 3. Cf. Caiet., et Quaest. XIV, art. 11. Circa huiusmodi scientiam inditam, cf. quae diximus in Op. Dell'anima umana separata dal corpo, cap. III, § IX, sqq. Romae, 1901. — 4. L. III de Anima.

potentiae visivae est cognoscere colores, finis vero potentiae intellectivae manifestum est quod non est cognoscere phantasmata, sed species intelligibiles, quas abstrahit a phantasmatibus et in phantasmatibus speculatur, secundum statum praesentis vitae.

Quod tamen hic dicitur, finem potentiae intellectivae esse cognoscere species intelligibiles, non debet ita sumi, quasi finis intellectus sit apprehendere species prouti huiusmodi species sunt res quaedam, sed formaliter ut sunt species seu ut sunt imagines, quarum formalis ratio est repraesentare res quarum sunt species; ita ut sensus sit quod finis potentiae intellectivae non est cognoscere phantasmata, utique ut sunt repraesentationes singularium, sed species, ut sunt repraesentationes τοῦ *quod quid est:* quidditas enim rerum in materia, et non earum singularitas est proprium obiectum intellectivae potentiae animae nostrae.

Quapropter, inducta similitudo attendi debet quantum ad id quod respicit utraque potentia, non autem quantum ad id in quod utriusque potentiae conditio terminatur, nam, secundum diversos status, nihil prohibet rem aliquam ex diversis ad suum finem tendere. Unde, cum finis proprius potentiae visivae sit color, ideo visus non potest aliquid cognoscere sine colore; cum vero finis proprius intellectus absolute nec sit phantasma, nec sit cognoscere per phantasma, sed cognoscere per speciem intelligibilem, hinc intellectus non potest quidem intelligere absque specie intelligibili; at, absque phantasmate intelligere poterit, si inveniri possit in tali statu, in quo finem suum, qui est cognoscere per species intelligibiles, absque hac conditione attingere valeat; dum iam novimus hanc esse praesentis vitae conditionem, ut anima conversione ad phantasmata indigeat[1].

3. — Error. — In quo errasse invenitur *Durandus*, ponens Christum indiguisse conversione ad phantasmata in usu scientiae infusae, eo quod, iuxta illum, haec scientia erat perfectio animae Christi secundum quod erat viator: viatoris autem conditio naturalis, est phantasmatum indigentia ad usum scientiae quam habet.

4. — PROP. — Christus potuit uti scientia indita quin converteret se ad phantasmata.

1. Ad 1^m. Cf. Petav. De Incarnat. l. XI, c. IV.

Prob. Christus ante passionem utrumque statum in se adunavit, scilicet viatoris et comprehensoris. Porro, viatoris conditiones praecipue habuit ex parte corporis, in quantum fuit passibilis; comprehensoris autem conditiones maxime habuit ex parte animae intellectivae. Iamvero, haec est in comprehensoribus animae intellectivae conditio, secundum quod angelis porificatur, ut nullo modo subdatur suo corpori aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur; unde post resurrectionem, ex anima ad corpus gloria redundabit, iuxta illud[1]: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale;* et rursus[2]: *Oportet... corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Atqui, praecise ex hoc anima hominis viatoris indiget converti ad phantasmata, quod est corpori obligata et quodammodo subiecta, ab eoque dependens: unde et animae beatae, ante et post resurrectionem, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata. Quapropter, Christi quoque anima, quae plene habuit facultatem comprehensoris, potuit uti scientia indita, quin se ad phantasmata converteret.

5. — ***Confirmatur.** — Anima Christi in illo statu cognovit quaedam quae per phantasmata cognosci non possunt, nempe substantias separatas: potuit ergo intelligere non se convertendo ad phantasmata.

6. — **Corollarium.** — Licet igitur anima Christi fuerit, secundum quid, eiusdem conditionis ac anima nostra, secundum nempe inferiores potentias, unde dicitur[3]: *In similitudinem hominum factus,* tamen habuit statum superiorem statu animae nostrae, statum scilicet beatorum et angelorum, quem non in re, sed solum in spe nos habemus[4]. Unde, nec ex parte originis huius scientiae, quam utique desuper infusam habuit, nec ex parte Christi, qui fuit perfectus comprehensor, nec denique ex parte ipsiusmet scientiae infusae, cuius obiectum formale est lumen desuper infusum, necesse habuit Christus convertere se ad phantasmata: igitur omni ex parte fuit ab hac necessitate solutus.

7. — **Scholia** — **I.** Cum hoc tamen stat quod utique anima

1. 1, Cor. XV, 44. — 2. Ibid., 53. — 3. Phil. II, 7. — 4. Ad 2^m.

Christi potuit intelligere, reflexo et libero actu, convertendo se ad phantasmata; id enim homini semper permittitur in statu coniunctionis animae cum corpore: ideoque sensus non fuerunt frustra in ipso, sicut nec in beatis post resurrectionem frustra erunt, cum illud frustra dicitur quod non attingit finem propter quem est[1]. Licet, ex alio etiam capite, sensus debeant dici non fuisse frustra in Christo, quia non dantur homini solum ad scientiam intellectivam, verum etiam ad necessitatem vitae animalis; sicut, verbi gratia, oculi inserviunt ad vitanda noxia vel ad quaerenda utilia: ideoque, dato etiam quod Christus sensibus ad intelligendum non fuisset usus, tamen adhuc isti inutiles non fuissent[2]. Praeterea, *unaquaeque potentia suo more, et perfectione sibi debita, pro statu hominis, proprio officio et motu* (exercetur)[3].

II. Hic autem notari oportet quod haec libera conversio ad phantasmata non consistit formaliter in hoc quod anima Christi potuerit uti phantasmatibus concomitanter cum scientia infusa: secus posset etiam dici quod in scientia beata Christus potuerit convertere se ad phantasmata, quod tamen non admittitur; nec in hoc consistit quod usus scientiae inditae pendeat ab applicatione phantasmatum, sicut accidit in nobis per respectum ad scientiam acquisitam; sed haec libera conversio consistit in eo quod anima, informata huiusmodi speciebus, imperare potest phantasmatibus, ut ex ipsis, tanquam ministris suae cognitionis, species abstrahat, in quibus illudmet speculari valeat, quod per species sibi inditas contemplatur.

ARTICULUS III. — *Utrum haec scientia fuerit collativa.*

1. — Praenotandum. — Dupliciter potest aliqua scientia esse collativa, id est discursiva: *uno modo* quantum ad acquisitionem scientiae, *alio modo* quantum ad usum. Primo modo collativa est, verbi gratia, scientia in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum ignotum per aliud notum, sicut effectus per causas, aut viceversa; alio vero modo, collativa est scientia in illis qui, rem

1. L. II, Phys., t. 62. — 2. Ad 3^m. — 3. SATOLLI, in h. l.

iam scientes, tamen concludunt effectum ex causis suis, non quidem ut de novo addiscant, sed volentes uti illa scientia quam iam habent, ut id quod iam aliunde cognoscunt, cognoscant per actum quem de novo faciunt.

2. — PROP. — **Scientia indita in Christo fuit collativa,** α) **non quantum ad acquisitionem.** β) **sed quantum ad usum.**

1ª **Pars** ex eo patet, quod scientia Christi indita fuit in ipso divinitus infusa, et non per investigationem rationis acquisita. Quapropter non indiguit Christus hoc medio, ut ad cognitionem omnium rerum deveniret, cum nihil prorsus ignoraverit[1]. Consequenter in Christo non ponitur consilium, quod est cum dubitatione, nec electio, quae in sui ratione tale consilium includit, secundum quod dicitur *appetitus praeconsiliati;* unde et Damascenus ait[2]: *In Christo non dicimus consilium neque electionem*[3].

3. — **Prob. 2ª Pars.** — Christus potuit ex uno aliud concludere sicut sibi placuit; de qua re plura exempla habemus; sicut, verbi gratia, cum quaesiisset Dominus a Petro a quibusnam reges terrae tributum vel censum accipiant, a filiisne an ab alienis, Petrus vero respondisset quod ab alienis, *ergo,* conclusit Christus, *liberi sunt filii*[4]. Et ex hac parte potest etiam poni usus consiliandi, non de necessitate, sed libero actu[5].

4. — **Confirmatur** ex differentia quae est inter cognitionem puri hominis et cognitionem propriam angeli, cuius proprietates Christus condividebat. *Inferiores intellectus, scilicet hominum,* ait Angelicus[6], *per quemdam motum et discursum intellectualis operationis, perfectionem ut cognitione veritatis adipiscuntur, dum scilicet ex uno cognito in aliud cognitum procedunt. Si autem statim in ipsa cognitione principii noti inspicerent quasi notas omnes conclusiones consequentes, in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in angelis; quia statim in illis quae primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quaecumque in eis cognosci possunt. Et ideo dicuntur*

1. Ad 2ᵐ. — 2. L. III. Orthod. fid., c. 14. — 3. Ad 1ᵐ. — 4. Matth. XVII, 25. — 5. Ad 1ᵐ. — 6. 1. Quaest. LVIII, art. 3.

intellectuales, quia etiam apud nos, ea quae statim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur, unde intellectus dicitur habitus primorum principiorum. Animae vero humanae, quae veritatis notitiam per quemdam discursum acquirunt, rationales vocantur: quod quidem contingit ex debilitate intellectualis luminis in eis. Si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, sicut angeli, statim in primo aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehenderent, intuendo quidquid ex eis syllogizari posset.

Cum igitur Christus habuerit propriam operationem animae rationalis, cuius est conferre et discurrere de uno in aliud, sequitur illum uti potuisse, etiam secundum scientiam inditam, collatione et discursu, non quidem ad scientiam ipsam acquirendam, sed ut ex principiis deduceret conclusiones quas iam noverat. — *Alia collatio est*, ait iterum Angelicus[1], *secundum quam homo, ea quae habitu tenens, in actum ducens, ex principiis considerat conclusiones, sicut ex causis effectus: et talis collativa scientia fuit in Christo.*

5. — ***Corollarium.** — Unde, ex hoc capite, distinguitur scientia indita Christi et beatorum a scientia indita angelorum; quia licet comprehensores angelis conformentur[2], tamen in angelis scientia ista discursiva esse non potest, sed tantummodo intuitiva, ut habetur in libro *de divinis Nominibus*[3], dum uti collatione et discursu est connaturale animabus beatorum: cognoscunt enim tam intuitive quam abstractive per species infusas. Quapropter, stante conformitate inter beatos et angelos quantum ad donum ipsum scientiae inditae necnon quantum ad dona aliarum gratiarum, manet quoad collationis usum differentia inter utrosque[4].

Hic tamen advertendum est angelos etiam aliquando dici syllogizare, non tamen quoad acquisitionem scientiae, aut etiam quoad usum aut exercitationem, ut scilicet unum *ex* alio deducant, sed tantum quoad speculationem, unum *in* alio considerando. — *Angeli*, ait S. Thomas[5], *syllogizare possunt, tanquam syllogismum cognoscentes, et in causis effectus vident et in effectibus causas; non tamen ita quod cognitionem veritatis ignotae acquirant syllogizando ex causis in causata et ex causatis in causas.*

1. 3, Dist. XIV, a. 3, quaestiunc. 3. — 2. Matth. XXII, 30. — 3. C. 7. — 4. Ad 3^m. — 5. 1 Quaest. LVIII, art. 3, ad 2^m.

ARTICULUS IV. — *Utrum haec scientia in Christo fuerit maior scientia angelorum.*

1. — Praenotandum. — Distinctio huic problemati necessario praemittenda est ut scientia indita animae Christi dupliciter consideretur: *uno modo* ratione principii influentis, scilicet secundum id quod habuit a causa influente, seu a lumine divinitus infuso; *alio modo* ex subiecto recipiente, nempe secundum id quod ipsi competit ex modo cognoscendi.

2. — PROP. — **Scientia indita animae Christi fuit multo excellentior quam angelorum scientia, α) attento illo quod habuit a principio influente, β) non vero attento illo quod habuit ex subiecto recipiente.**

Prob. 1ª Pars. — Cum anima Christi propinquius se habuerit ad Verbum quam angeli, ideo ex eius influentia recepit lumen abundantius quam ipsi: vi cuius maior fuit in ipso quam in angelis cognitorum multitudo; unde dictum est supra[1] quod anima Christi hac scientia cognoverit infinita. Maior quoque fuit scientiae certitudo; eo quod lumen spiritualis gratiae, quod est inditum animae Christi, perfectiori ratione ad scientiae certitudinem confert, quam lumen angelis inditum. Unde, ex hac parte, non cessit scientia indita Christi scientiae inditae angelorum; ideoque, si quando dicitur Christus angelis minor, hoc non est intelligendum ex parte influxus scientiae in ipso, sed potius propter minorem humanae naturae perfectionem, iuxta illud[2]: *Eum autem qui modico* (βραχύ τι) *quam angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum,* ex quo apparet, propter solam mortis passionem, Christum dici quadantenus angelis minorem, non autem propter scientiam, attento scilicet principio influente; nam, attento modo cognoscendi, Christus angelis cessit[3].

3. — Prob. 2ª Pars. — Cum anima humana sit ordine naturae

1. Art. 1, n. 4. — 2. Hebr. II, 9. — 3. Cf. Comment. S. Thom. in h. l.

infra naturam angelicam,[1] cum autem perfectio perfectibili proportionari debeat, oportet ut etiam scientia indita animae Christi sit infra scientiam qua perficitur natura angelica; ideoque, quantum ad modum cognoscendi, scientia animae Christi est inferior scientia angelica. Accedit quod scientia animae Christi est quodammodo collativa et discursiva, quod, utpote compositionem importans, minoris perfectionis signum est, quod de scientia angelorum dici nequit[1]. Sed et illi permittitur conversio ad phantasmata, non autem huic, quod pariter inferioritatem arguit, cum, quanto aliqua scientia est immaterialior, tanto est potior: immaterialior autem ea est, cui non licet ad phantasmata converti[2].

Nec mirum hoc esse debet parumper consideranti quod, cum anima humana sit, naturae ordine, infra naturam angelicam, perfectio quoque animae humanae inferior esse debet perfectione naturae angelicae: perfectio enim, ut dictum est, perfectibili proportionatur. Quapropter, scientia quae est perfectiva animae Christi, inferior ex hoc capite fuit scientia perfectiva naturae angelicae[3]; unde et angelus recipit species in maiori universalitate, dum anima humana separata, secundum conditionem naturae suae, exigit species magis dearticulatas, ut infra[4] fusius explicabitur.

4. — Scholion. — Simpliciter tamen loquendo, dicenda est scientia indita Christi fuisse perfectior scientia angelorum, non solum quia plura ipse cognovit, cum etiam futura, angelis impervia, sciverit, sed maxime quia clarius et certius, utique modo suae naturae congruo, quam ullus angelorum, ea cognovit[5].

ARTICULUS V. — *Utrum haec scientia fuerit habitualis.*

1. — Quid sit habitus. — Habitus est qualitas quaedam simplex, perfectiva alicuius subiecti in ordine ad se vel ad operationem[6]. Est igitur accidens, ideoque ens et bonum non simpliciter, sed secundum quid: unde statim excluditur quod sit

1. Ad 2[m]. — 2. Ad 3[m]. — 3. Ad 1[m]. — 4. Art. 6. — 5. Cf. 3, Dist. XIV, art. 3, quaest. 2. Sic passionis suae circumstantias Christus perfectius cognovit quam angeli unquam cognoverunt. — 6. Vide supra, p. 309.

nobilior simpliciter et dignior subiecto cui inest ; nam subiectum, quod est substantia, est bonum et ens simpliciter, cum in suo esse et in sua bonitate subsistit : habitus vero bonus est, non quia ipse habeat esse et bonitatem, sed quia eius subiectum est ens et bonum : ideoque ex eo quod mox concludetur inditam scientiam vel aliquid aliud, esse habitum in anima Christi, nunquam erit fas concludere esse aliquid creatum tali anima nobilius vel dignius : tota enim bonitas vel nobilitas talium formarum cedit in bonitatem subiecti [1].

2. — PROP. — **Scientia indita animae Christi fuit habitualis.**

Prob. Modus connaturalis animae humanae est, ut recipiat scientiam per modum habitus. Atqui Christi scientia fuit in ipso, modo connaturali. Ergo fuit in ipso per modum habitus.

3. — **Explicatur.** — Ad *maiorem*, dicitur quod, cum receptum est in recipiente per modum recipientis, modus vero connaturalis animae humanae non est ut semper sit intelligens in actu aut semper in potentia, sed quandoque sit in actu, quandoque autem in potentia, ideo talis scientia indita in anima Christi esse debuit, ut ipse aliquando esset actu intelligens, aliquando vero intelligens in potentia. Porro, medium inter puram potentiam et actum completum est habitus : et sicut connaturalis est actus et connaturalis potentia, ita et medium, scilicet scientia habitualis, connaturale sit oportet, id quod sanctus Doctor significat, cum dicit : *Eiusdem generis sunt medium et extrema*.

4. — **Confirmatur.** — Quia anima Christi est eiusdem speciei cum anima nostra, ideo etiam scientia indita Christi fuit univoca cum scientia nostra, non quidem secundum speciem infimam sed secundum rationem veluti genericam, sicut homo est animal univoce cum bruto. Atqui scientia nostra est in genere habitus. Ergo et habitualis fuit scientia indita animae Christi.

5. — **Corollarium.** — Exinde patet differentia inter scientiam beatam et scientiam inditam in anima Christi : nam per illam, cognitio eius non fuit habitualis, sed actualis, respectu omnium

1. Ad 3^{m}.

quae hoc modo cognovit : erat enim scientia illa perfectissima simpliciter, simpliciterque excedens modum naturae humanae ; per istam vero, cognitio eius fuit perfectissima, non simpliciter, sed in genere proprio, id est secundum modum proportionatum humanae naturae sic acceptae : siquidem per ipsam cognovit res per species divinitus inditas ; ideoque non fuit simpliciter perfectissima, sed perfectissima in genere humanae cognitionis ; ideoque illa semper fuit in actu, non autem ista [1].

6. — **Difficultas.** — Per scientiam inditam, Christus, ut dictum est, novit omnia, imo infinita. Sed non potuit actu omnia ista considerare cogitando unum post aliud : infinita enim non est enumerando pertransire. Igitur frustra fuit in ipso scientia habitualis quorumdam quod est inconveniens.

Resp. *Nego conseq. et conseq.* — Nam, aliquid non dicitur frustra, nisi quando habens illud eo non utitur loco et tempore quo uti deberet. Porro, cum habitus sit quo quis agit cum voluerit, constat quod habitus reducitur in actum ad voluntatis imperium. Voluntas autem indeterminate se habet ad infinita : igitur habitualis cognitio infinitorum ad hoc fuit in Christo, ut voluntas eius uteretur habitu ad quodcumque obiectum, secundum quod ipsi placeret : quod quidem ad dignitatem huius scientiae in Christo maxime pertinet, cum nunquam ex hac parte exhauriatur eius sciendi capacitas. Et ita, infinitas cognitorum habitualiter non est frustra, licet non omnia ea, quae habitui subiacent, reducantur in actum ; dummodo enim in actum reducatur id omne quod ad debitum finem voluntatis congruit, secundum quod negotiorum exigentia, et loci temporum opportunitas postulant, illa cognitio finem suum assequitur [2].

7. — **Scholion.** — Porro, quia Christus nec corpore, nec phantasmatibus indigebat, ideo dici potest quod, ab initio conceptionis suae, semper in actuali usu fuerit scientiae infusae, et in actuali contemplatione quorumdam obiectorum illius, quanquam corporales sensus quiescerent, vel alio essent intenti [3].

1. Ad 1^m. — 2. Ad 2^m. Cf. Caiet. — 3. Et hoc quidem sensu intelligi potest quod legitur (Cant. V, 2) : *Ego dormio, et cor meum vigilat.*

ARTICULUS VI. — *Utrum haec scientia fuerit distincta per diversos habitus.*

1. — Ratio dubitationis. — Summa excellentia huius scientiae in anima Christi, quam in genere suo perfectissimam diximus[1], praesentis quaesiti materiam subministrat, cum videretur distinctio huius scientiae per diversos habitus illius perfectioni officere : quanto enim aliquid est perfectius, tanto magis unitum invenitur [2].

2. — Praenotamen. — Ad quod solvendum recolendum est, quod distinctio specifica habituum scientificorum ultimo sumenda est ex obiecto formali *sub quo*. In casu vero obiectum formale seu medium sub quo est lumen divinitus infusum, non quidem secundum quod est communis ratio intelligendi ea quae divinitus revelantur, sic enim non diversificat scientiam, quemadmodum lumen intellectus agentis, quod est communis ratio intelligendi ea quae naturaliter cognoscuntur, de se non diversificat scientias naturales, sed secundum quod est propria ratio uniuscuiusque speciei intelligibilis, in qua intellectus speculatur veritatem, ita quod iste scientificus habitus in Christo dici debet esse unus vel multiplex, secundum quod propria species singularum rerum sit una vel multiplex [3]. Habitus tamen non significat speciem intelligibilem tantum, aut seriem ordinatam specierum, sed qualitatem qua intellectus prompte faciliterque valeat, cum ipsi libuerit, uti huiusmodi speciebus.

3. — PROP. — Scientia indita animae Christi fuit distincta secundum diversos habitus.

Prob. Dictum est supra[4] scientiam animae Christi esse perfectissimam, et angelorum scientiam excedere quantum ad id quod in ea consideratur ex parte Dei influentis, esse tamen infra scientiam angelicam, quantum ad modum subiecti recipientis ; siquidem, modus connaturalis animae humanae est ut recipiat species in minori universalitate quam angeli, ita quod per diversas species

1. Art. praec. n. 5. — 2. Ad 1^m. — 3. Ad 3^m. — 4. Art. 4.

intelligibiles, diversas naturas specificas cognoscat [1]. Atqui diversae species intelligibiles sunt totidem diversa media formalia, in quibus res videntur scientiâ inditâ, sicut etiam in nobis diversa media constituunt diversa scibilium genera : unde e converso, ea quae reducuntur in unum genus, cognoscuntur eodem habitu scientiae, iuxta illud [2] : *Una scientia est quae est unius generis subiecti.* Quapropter, cum distinctae scibilium rationes pertinent ad distinctos habitus, ideo scientia indita animae Christi fuit distincta secundum diversos habitus, imo secundum plures distinctos habitus quam scientia angelorum, cum esset per species magis particulares. Quae tamen species in infinitum multiplicari non debent, eo quod per unam eamdemque speciem intelligit anima Christi et naturam specificam et proprietatem, necnon singularia in ista specie [3].

4. — ***Confirmatur.** — Hoc quidem agnoscere omnino necesse est, attenta conditione Christi secundum animam, cum sine istis propriis speciebus singularum rerum, non potuisset cognoscere cognitione propria unumquodque. Unde illum locum Zachariae [4] : *Super lapidem unum septem oculi sunt, ecce ego caelabo sculpturam eius,* interpretatur S. Doctor, quasi in Christo sint plures habitus scientifici, intelligens, per lapidem, Christum, per oculos autem, huiusmodi scientificos habitus.

5. — ***Corollarium.** — Exhinc constat non recte locutum fuisse Scotum, cum posuerit [5] in anima Christi perfectissimas species fuisse infusas, quemadmodum ponimus in ipso gratiam collatam fuisse in summo. Ex eo enim quod gratia Christi summa fuerit et consequenter gloria et visio beatifica, non potest deduci idem esse dicendum de scientia infusa. Illa enim non sunt connaturalia nisi soli naturae divinae ; haec autem connaturalis est et angelis et animabus nostris in statu separationis ; ideoque illa modificari et dearticulari non debuerunt iuxta naturalem modum animae humanae, sed ista sic modificari et dearticulari debuit in anima Christi, ut, licet scientiam angelica scientia perfectiorem habuerit propter excellentissimum lumen, tamen per

1. Ad 1^m. — 2. L. I, Poster., t. 42. — 3. Cf. Caiet. — 4. Cap. III, 9. — 5. 3, Dist. XIV. Quaest. ult.

plures habitus haec fuerit distincta[1]. — Ubi etiam patet S. Thomam tacite hic seipsum retractare : quandoquidem antea [2] dixerat species infusas animae Christi non fuisse minus universales speciebus angelicis. Reprimenda quidem est vox ponens os in coelum ; non tamen debiti humanae naturae limites praetergrediendi sunt.

6. — **Difficultas.** — Fides nostra derivatur a scientia Christi, iuxta illud [3] : *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum.* Atqui unus est habitus fidei de omnibus credibilibus. Ergo unus fuit in Christo habitus scientiae.

Resp. *Dist. mai.* A scientia divina *conc.* ; a scientia indita, *nego*, *Conc. min. Nego. conseq. et conseq.* — Fides nostra non innititur scientiae inditae Christi, sed primae veritati ; ideoque Christus est auctor fidei nostrae secundum divinam scientiam, quae unus simplicissimus habitus est, non autem secundum scientiam inditam, quae secundum diversos habitus distinguitur [4].

7. — **Scholion.** — Quae cum ita constiterint de scientia tum beata tum indita animae Christi, patet quam erronee recens quidam auctor contenderit fieri utcumque potuisse ut Dominus Noster nonnisi gradatim conscius fieret se esse Messiam, de qua tamen re, addit ille, quidquam certi decernere haud valemus[5]. Pariter, longissime a veritate aberrant qui ponunt cum eodem auctore Ecclesiam, ut nunc est, citra Christi intentionem, vi circumstantiarum, evolutam fuisse, eius quoque definitiones, pro temporum opportunitate latas, Christi praevisionem effugisse, quasi in Domino Nostro nil nisi humanum sit agno-

1. Cf. Caiet. in h. loc. — 2. 3, Dist. XIV, q. 1, a. 3, sol. 4. — 3. Hebr. XII, 2. — 4. Ad 2^m^. — 5. *Deux questions inégalement claires, ou inégalement obscures, sont ici à distinguer : celle de ce que Jésus croyait être et a déclaré qu'il était ; celle du travail intérieur qui l'avait amené à cette conclusion. Sur le premier point, la discussion critique des sources évangéliques peut fournir des indications suffisamment certaines. Sur le second, on ne peut faire que des conjectures, d'après ce que l'on sait du premier.* A. Loisy, *L'Évangile et l'Église*, II. *Le Fils de Dieu*, Paris, 1902. P. 49. Cf. Dom. Palmieri, S. I. Osservazioni sulla recente opera *l'Évangile et l'Église*, Roma, 1903.

scendum ; qua argumentandi ratione ingravescentia damna in biblica exegesi cum magno fidei animarumque detrimento induci necesse est[1].

1. Cf. Leonis XIII, Ep. Encycl. PROVIDENTISSIMUS DEUS, 17 nov. 1893, in qua notanda sunt verba sequentia : *De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus* (In Is. Prol.), *ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi : ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur.* Debetur carentiae considerationis, sub luce S. Scripturae et Theologiae, scientiarum tum beatae, tum inditae in Christo, aliquorum descriptiones, de vita pueri Iesu in civitate Nazareth, quibus similitudo inter eum et iuvenes israelitas plus aequo augetur. Tale quid passim invenitur in pluribus modernis scriptoribus, non solum protestanticis, sed etiam catholicis. Rectius longe et theologo dignius est quod scribit MONSABRÉ (XXXVIIme conf. *L'intelligence de Jésus*), cuius verba digna sunt quae hic recenseantur : *Les anges possèdent une science originellement empreinte dans le vif de leur substance, une science infuse, par laquelle ils connaissent les choses selon leur propre nature. Cette science n'est pas due à l'intelligence humaine, cependant je m'étonnerais que le Christ en fût privé. Maître des hiérarchies célestes, il a le droit de commandement sur chacun des esprits dont elles se composent, et il n'en est aucun qui ne reconnaisse humblement son souverain pouvoir. Puis-je penser qu'il manque au roi ce que j'admire dans ses sujets? Et puisque toute la puissance intellectuelle de l'âme humaine peut être perfectionnée par des formes intelligibles que Dieu imprime, puisque sa force obédientielle se prête docilement aux plus larges effusions, dois-je soupçonner la générosité du Verbe de Dieu, et croire qu'au jour de ses noces immaculées avec la nature humaine, il a oublié dans la corbeille de son épouse bien-aimée le joyau dont il a paré les anges dès les premiers instants de leur vie : la science infuse?* Ceterum quanta sit necessitas huius scientiae infusae pro explicandis actibus voluntatis in Christo, supra (p. 353) innuimus.

QUAESTIO XII

DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI ACQUISITA

PROLOGUS

1. — Ratio quaesticnis. — Cum nulla fuerit in anima Christi potentia quae modo naturae congruo non perficeretur, pronum est ut, cum iam actum fuerit de scientia indita, quae ponitur propria eius perfectio per respectum ad intellectum possibilem de propria illius perfectione per comparationem ad intellectum agentem nunc peragatur, scilicet de scientia acquisita sive experimentali, secundum quam natura rerum sensibilium experimento, sive per inventionem sive per disciplinam, a nobis dignoscitur. Quae quaestio magni facienda est, maxime cum ontologorum placita indirecte impetat, quibus videtur nostram de rebus cognitionem, aut naturaliter esse ingenitam, aut formaliter hauriri per conversionem ad ideas aeternas.

2. — Divisio quaestionis. — Porro duo sub hac quaestione ita clauduntur distributa, ut primo determinandum veniat de ista scientia quantum ad obiecta cognita (1); secundo vero quantum ad ipsum cognoscentem (2-4), et quidem per respectum ad huius scientiae sive productionis modum (2), sive causam (3-4), quae demum causa duplex fingi potest, nempe homo (3), et angelus (4).



Hinc quaeruntur quatuor :

Primo. Utrum secundum hanc scientiam cognoverit omnia.

Secundo. Utrum in hac scientia profecerit.

Tertio. Utrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto. Utrum acceperit aliquid ab angelis.

ARTICULUS I. — *Utrum secundum hanc scientiam Christus cognoverit omnia.*

1. — Ratio articuli. — Iam dictum est poni debere in anima Christi scientiam acquisitam, propter convenientiam intellectus agentis, ne scilicet eius actio otiosa maneret, cum proprium illius sit facere intelligibilia in actu ; sicut etiam ponitur in eo scientia infusa, propter perfectionem intellectus possibilis : intellectus enim agens est quo est omnia facere, intellectus vero possibilis est quo est omnia fieri, ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς[1]. Porro, ista scienti est, cuius aut acquisitio pendet a phantasmatibus, aut saltem usus, in eo scilicet qui hanc scientiam, de se quidem acquisibilem, tamen per accidens infusam habeat, sicut fuit in Adam, ut dictum est[2], licet in Domino Nostro non habita fuerit per infusionem, sed per acquisitionem. Ut autem latitudo obiecti huius scientiae, quod quidem hic intenditur, in Christo determinetur, sit sequens

2. — PROP. — **Anima Christi per scientiam acquisitam cognovit α) omnia illa quae possunt sciri per actionem intellectus agentis, β) non autem omnia simpliciter.**

Prob. 1ª Pars. — Nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam eius. Atqui anima Christi fuisset imperfecta quantum ad scientiam acquisitam, si non cognovisset omnia quae per actionem intellectus agentis cognosci possunt : ipsi enim additio fieri potuisset. Ergo anima Christi, per scientiam acquisitam cognovit omnia illa, ad quae est in potentia per actionem intellectus agentis. Unde, si relate ad universum materiale primo formatum, dictum est[3] : *Perfecti sunt caeli et terra et omnis*

1. L. III de An., t. 17. — 2. Quaest. IX, art. 4. — 3. Gen. II, 1.

ornatus eorum, multo magis omnis animae Christi ornatus perfectus fuisse dicendus est cum ipsa caelo et terra melior longe extiterit, ita quod omnium notitiam acquisierit, quorum rationes per abstractionem a rebus sensibilibus possint educi ope intellectus agentis, qui quodammodo infinitam habet virtutem.

3.—Prob. 2ª Pars.—Cum quantitas scientiae attenditur secundum scibilia, si Christus secundum scientiam acquisitam omnia scivisset, sequeretur quod in eo scientia acquisita esset aequalis scientiae infusae et scientiae beatae, quod est inconveniens. Quapropter, secundum hanc scientiam, anima Christi non simpliciter cognovit omnia, sed illa omnia et singula, quae per lumen intellectus agentis sunt cognoscibilia.

4. — Quaenam Christus per hanc scientiam non cognoverit. — Quapropter, per hanc scientiam Christus, *primo,* non cognovit *directe,* singularia, sive praeterita, sive praesentia, sive futura, quae tamen cognovit scientia indita[1]; cuius ratio est quia intellectus noster intelligit abstrahendo speciem intelligibilem a materia individuali; principium autem singularitatis in rebus materialibus est praecise materia individualis; ideoque, cum id, quod a materia individuali abstrahitur, sit universale, planum est intellectum nostrum, non esse cognoscitivum directe nisi universalium; et singularia non cognoscere nisi indirecte, et quasi per quamdam reflexionem, eo quod etiam postquam species intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata, in quibus species intelligibiles intelligit[2].

Nec, *secundo,* anima Christi per huiusmodi scientiam cognovit essentias substantiarum separatarum; cuius ratio est, quia intellectus noster, secundum statum praesentis vitae naturalem respectum habet ad naturas rerum materialium, ideoque nihil intelligit, nisi convertendo se ad phantasmata, et sic substantias immateriales, quae sub sensu et imaginatione non cadunt, primo et per se non intelligimus[3].

Pariter, *tertio,* anima Christi, secundum hanc scientiam, non

1. Ad 3ᵐ. — 2. 1, Quaest., LXXXVI, art. 1. — 3. Ibid. Quaest. LXXXVIII, art. 1.

cognovit seipsam per suam essentiam, sed solum per actum suum, quia, ut dictum est, connaturale est ipsi, secundum praesentis vitae statum, quod ad materialia et sensibilia respiciat; ideoque anima non cognoscit seipsam per essentiam suam, sed secundum quod fit actu per species a sensibilibus abstractas[1]; et quia per hoc quod anima nostra cognoscit seipsam, pertingit ad cognitionem aliquam habendam, non quidem perfectam, sed subobscuram de substantiis incorporeis[2], ideo anima Christi, cognoscendo se, potuit devenire in aliqualem cognitionem substantiarum separatarum. Quas utique melius cognovit quam nos; eo quod, cum perfectissimus, in genere suo, esset actus illius intellectus, ideo animam suam melius cognovit quam nos animas nostras cognoscamus, et consequenter angelicas substantias perfectius attigit.

5.— Scholion. — Licet Christus per hanc scientiam omnia quodammodo cognoverit, non tamen propterea necesse fuit quod anima eius habuerit experientiam omnium rerum, aut quod omnia sensibilia fuerint illius sensibus subiecta. Nam, ex virtute luminis intellectus agentis, potest homo procedere ad intelligendos effectus per causas, causasque per effectus, et similia per similia, et contraria per contraria, et caetera huiusmodi. Unde sufficiebat animae Christi, ut cognitionem aliquorum per experimentalem notitiam haberet, quin omnia absolute experiretur, ut in plurium rerum cognitionem sic deveniret.

Revera, cum potentissimo et acutissimo ingenio polleret, et excellentissima esset in eo vis rationis, quae etiam in sua investigatione directionem et praesidium nancisci poterat ex scientia beata et ex indita, ideo, visis quibusdam sensibilibus, potuit de caeteris argumentari; sicut visis corporibus coelestibus, potuit comprehendere eorum virtutes et etiam effectus quos producunt in istis inferioribus, etsi sensibus eius non subiacerent; et pari ratione, visis quibuscumque aliis, in aliorum notitiam facile potuit devenire[3]. Si enim viso aliquo corpore, aut humi cadente, aut per aerem oscillante, quibusdam maioris ingenii viris interdum prorsum fuit

1. 1, Quaest. LXXXVII, art. 1. — 2. Ibid. Quaest. LXXXVIII, art. 1. ad 1^m. — 3. Ibid. Ad 1^m et 2^m.

ut leges sive de gravitate sive de pendulo deducerent, nullum extare dubium potest quin Christus eos omnes antecellere debuerit, extensione scitorum et veritate illationum.

6. — **Corollarium.** — Hinc inferre possumus Christum, visis herbis, plantis arboribusque, botanicae normas classificationesque facili negotio per semetipsum assecutum fuisse, quod et in minerali, necnon in animali regno ipsum obtinuisse diffitendum non est. Sed et mathematicarum rerum, necnon philosophicarum et theologicarum profundissimam attigit cognitionem, ad supremas usque conclusiones perductam, quousque scilicet humanae menti naturaliter pervium sit. Nec Christi intellectum ea quae ad oeconomiam socialem pertinent, visis populorum conditionibus, effugerunt; nec artium generosa suppellex, nec denique omnigenae humanae cognitionis copia ipsi defuit, ita ut qui *speciosus forma* (erat) *prae filiis hominum* [1], fuerit quoque sapientissimus omnium, antiquos sapientes longe superans, et in omni humanae cognitionis genere sensuum experimento acquirendae, nulli secundus.

Quanquam et possit rationabiliter coniici angelos, qui Christo esurienti corporis cibum subministraverunt, ei quoque spirituali cibo scientiae acquisitae indigenti, opportune singularia sensibilia ministrasse, ex quibus ipse suo ingenio scientiam adipisceretur. Nec in hoc inconveniens habetur : miraculum enim quod importatur, suaderi videtur a simili et minus necessario de subministratione cibi corporalis, unde et catholice sustineri potest [2].

7. — **Advertendum.** — Quibus omnibus prae mente habitis, facile cavebitur, cum de scientia animae Christi, etiam acquisita, sermo incidit, quominus aliquid indignum de tanto Magistro proferatur, et clare apparebit omnino non esse probandam illorum scriptorum positionem, quos inter multi etiam catholici adnumerantur, qui aut in dubium vertunt, utrum, verbi gratia, Dominus Noster alicuius extranei idiomatis notitiam habuerit, aut huius in eo cognitionis originem ita ex eius cum hominibus relationibus repetunt, ut subintelligendum relinquant, hisce deficientibus, nullam futuram fuisse in ipso huiusmodi scientiam.

1. Ps. XLIV, 3. — 2. Caiet.

Cui rei aliqui ex eis qui exegeticis studiis incumbunt, nimis parum attendisse videntur [1].

ARTICULUS II. — *Utrum Christus in hac scientia profecerit.*

1. — Praenotanda. — Duplex fingi potest in scientia profectus: *unus* secundum essentiam, prout ipse habitus scientiae augetur, *alius* vero secundum effectum, prout scilicet aliquis, secundum eumdem et aequalem scientiae habitum, prius minora aliis demonstrat, et postea maiora atque subtiliora: unde exhibita quaestio in hoc duplici sensu debet agitari.

Porro, hic est sermo formaliter de scientia acquisita; satis enim constat quod scientia divina in se augeri non potuerit, sicut nec scientia beata, aut scientia indita, quia animae Christi a principio plenarie fuit omnium scientia infusa. Ideoque si praeter habitum scientiae infusae, non esset in anima Christi aliquis habitus scientiae acquisitae, tunc nulla scientia in Christo augmentata fuisset secundum essentiam, sed tantum secundum effectum: quod specialiter dicendum foret de scientia indita, in qua Christus proficere potuit per experientiam, id est per conversionem specierum intelligibilium ad phantasmata, ut supra dictum est [2]. Hunc solum modum profectus scientiae Christi plures admittunt, secundum quod, nempe, Christus converterit species intelligibiles inditas ad ea quae de novo per sensum acceperat.

2. — PROP. — Christus in scientia acquisita profecit, α) tum ex parte effectus, β) tum etiam ex parte ipsiusmet habitus scientiae.

Prob. 1ª Pars. — Quod Christus in scientia acquisita profecerit, sicut profecit in gratia et in aetate ex parte effectus, manifestum est, quia nempe, secundum augmentum aetatis, opera maiora perfecit, quae scilicet maiorem scientiam et gratiam demonstrabant. Unde S. Ambrosius, verba Lucae [3] commentans, ait:

1. Cf. citatam Ep. Encycl. *Providentissimus Deus*, 17 nov. 1893. — 2. Quaest. praec., art. 2. — 3. Cap. II, 52.

A duodecimo anno, ut legimus, sumitur dominicae disputationis exordium. Similiter, et secundum scientiam inditam Christus profecisse hoc modo dicendus est, scilicet nova exhibendo, sicut cum abscondita cordium revelabat; ad quod attendens S. Gregorius Nazianzenus dicebat[1] : *Proficiebat enim, inquit, ut aetate, ita etiam sapientia: non quod haec in illo incrementum caperent; quid enim eo, quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit? sed quod haec paulatim detegerentur et elucerent,* ἀλλὰ τῷ κατὰ μικρὸν ταῦτα παραγυμνοῦσθαι καὶ παρεκφαίνεσθαι. Pariter, S. Ioannes Damascenus[2] aperte declarat hunc profectum non fuisse, nisi demonstrationis et significationis, quod nempe *sapientiam, quae ipsi inerat, in apertum promeret.*

3. — Prob. 2ª Pars. — Scientia acquisita ponitur in Christo, ut aliqua naturalis actio intelligibilis ipsi non deesset : abstrahere autem species intelligibiles a phantasmatibus est quaedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem ; unde haec actio convenienter in Christo ponitur. Atqui habitus scientificus, per huiusmodi abstractionem specierum generatus, augmentum suscipit secundum rationem habitus, ex eo quod intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas, alias et alias rursum abstrahit, sive ut eadem specifice scientia augeatur novis conclusionibus per huius scientiae medium deductis, sive etiam ut nova quaedam scientia generetur, specie distincta a scientiis praeexistentibus. Quod quidem admittere non possunt illi theologi quos supra[3] memoravimus, qui ponunt hanc scientiam ab initio infusam fuisse in anima Christi; quibus, vi suae positionis, aliud non videbitur adserendum, nisi profectum quemdam experimentalem, scilicet per applicationem phantasmatum ad obiecta de novo occurrentia, in Christo locum habuisse.

4. — Auctoritas S. Ambrosii. — Ubi iuvat praeclara hac de re S. Ambrosii verba recitare: *Quomodo proficiebat,* ait[4], *sapientia Dei ? Doceat te ordo verborum. Profectus est aetatis, et profectus sapientiae, sed humanae est. Ideo aetatem ante praemisit, ut secundum hominem crederes dictum. Aetas enim non divinitatis sed cor-*

1. Orat. XX, Lutet. Paris. 1609, T. I, p. 343. — 2. L. III, Orth. fid., c. 22. — 3. Quaest. IX, art. 4, n. 3. — 4. L. de Incarnat.

poris est. Ergo si proficiebat aetate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia. Iesus autem proficiebat aetate et sapientia. Qu's sensus proficiebat? Si humanus, ergo et ipse susceptus est; si divinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in melius. Sed, quod divinum est non mutatur. Quod ergo mutatur non utique divinum. Sensus igitur proficiebat humanus: sensum ergo suscepit humanum.

5. — Scholion. — Quae cum ita sint, iam apparet quonam sensu intelligenda sint verba[1] : *Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia, apud Deum et homines.* Nam quantum ad gratiam, profectus erat tantum secundum effectum ; quantum vero ad sapientiam humanam, profectus erat nedum secundum effectum, verum etiam secundum ipsam essentiam eius, seu, ut brevius S. Ambrosius dicit[2] : *Proficiebat secundum sapientiam humanam;* et S. Cyrillus[3] : *Non dicimus quod ignoraverit, sed quod praeexistente divina cognitione, etiam secundum ipsam experientiam voluit discere.*

6. — Corollarium. — Exinde sequitur differentia inter scientias beatam et inditam animae Christi ex una parte, et scientiam acquisitam ex altera parte. Illae enim, cum sint effectus immediatus agentis infinitae virtutis, nempe Dei, qui potest simul totum operari, augmentum sui non acceperunt in anima Christi : a principio enim Christus eas perfectas habuit. Unde detraheret perfectioni unionis hypostaticae, qui poneret augmentum scientiae beatae aut infusae in anima Christi : ad quod attendens, S. Ioannes Damascenus dicit[4] : *Qui proficere dicunt Christum sapientia et gratia, ut additamentum sensus accipientem, non venerantur unionem quae est secundum hypostasim,* vi cuius persona divina immediatissime influit in humanitatem Christi scientiam divinam et infusam.

Sed scientia acquisita ab intellectu agente causatur, qui non totum simul sed successive operatur ; ideoque secundum hanc scientiam Christus non omnia scivit a principio, sed paulatim et post aliquod tempus, quando nempe perfecta fuit eius aetas; quod patet, quia ponitur Iesus crevisse in aetate, sicut crescebat

1. Luc. II, 52. — 2. L. de Incarn. Dom., c. 7. — 3. L. II de rect. fid., c. 3. — 4. L. III. Orthod. fid., c. 22.

in sapientia seu scientia et in corporis formositate. Ex hoc igitur argui nequit fuisse imperfectionem in anima Christi; nam haec scientia, licet non fuerit semper perfecta simpliciter, tamen fuit semper perfecta in Christo, secundum tempus vel aetatem aut conditionem eius: ideoque nec perfecta excludit augmentum, nec perficienda arguit defectum[1].

ARTICULUS III. — *Utrum Christus aliquid ab homine didicerit.*

1. — Duplex modus addiscendi. — Aliquid potest homo addiscere, ut supra dictum est[2], duplici modo, nempe, aut per inventionem, scientiam acquirendo rebus sensibilibus exhibitis, aut per disciplinam, illam acquirendo ab homine docente.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod effectuum alii producuntur solum a principio exteriori, sicut forma domus quae causatur in materia solum ab arte; alii autem producuntur solum a principio intrinseco, sicut proprietates rerum naturalium, quae a forma, cuius sunt proprietates, naturaliter resultant; alii demum interdum producuntur a solo principio intrinseco, interdum vero simul a principio intrinseco et extrinseco: ab illo quidem, tanquam a principali producente, ab hoc vero, tanquam a coadiuvante et ministrante. Sic sanitas interdum a sola natura absque medicamentis producitur, interdum vero a natura et ab arte : et ab illa quidem ut a principali, quae sanat alterando, digerendo, et expellendo materiam quae est causa morbi, ab hac autem ut a coadiuvante principium naturale, et eidem ministrante instrumenta et auxilia, ut sunt cibus, medicina, etc.

Porro, huiusmodi est scientia, quae potest produci et a principio intrinseco, et a principio extrinseco, scilicet per inventionem et per disciplinam. Et quidem, principium illud est lumen intellectus agentis, quod est principale, per quod cognoscuntur naturaliter quaedam universalia principia omnium scientiarum, quae si mens applicet ad aliqua particularia quorum experimentum aut memoriam habet, per seipsam acquirit scientiam, scilicet per inventio-

1. Ad 1[m] et 2[m] et 3[m]. — 2. Quaest. IX, a. 4.

nem. Principium autem extrinsecum est magister docens, qui discipulum ex praecognitis in cognitionem ignoti dupliciter ducit: *primo*, ministrando instrumenta et auxilia, quibus intellectus discipuli utatur ad scientiam acquirendam, verbi gratia, proponendo ei propositiones minus universales, quas tamen discipulus ex praecognitis diiudicare possit, aut sensibilia exempla, similia aut opposita, ex quibus intellectus addiscentis manuducatur in cognitionem veritatis ignotae. *Secundo*, magister discipulum instruit, confortando eius intellectum, quod quidem facere nequit aliqua virtute activa, sicut Deus aut angelus possunt, quia omnes intellectus humani sunt eiusdem gradus in natura, sed ei proponendo ordinem principiorum ad conclusiones, ut scilicet ex principiis conclusiones deducere possit, quo modo intellectus addiscentis confortatur: demonstratio enim est syllogismus faciens scire: et per hunc modum addiscens acquirit scientiam per disciplinam[1].

2. — **Comparatio inter modum acquirendi scientiam per inventionem, et modum illam acquirendi per disciplinam.** — Quae ita cum sint, iam patet quod ratio differentiae inter modum acquirendi scientiam per inventionem et modum illam acquirendi per disciplinam, non consistit in hoc quod per inventionem homo accipiat a rebus species intelligibiles quae sunt in ipsis tantummodo in potentia, per disciplinam vero homo accipiat illas immediate a speciebus intelligibilibus quae sunt actu in anima docentis : sic enim nobilius esset accipere scientiam addiscendo ab hominibus, quam illam accipere colligendo species per experimentum a rebus sensibilibus. Sed, per disciplinam, homo accipit scientiam ab homine docente, non quidem immediate a speciebus intelligibilibus quae sunt in illius mente, sed mediantibus vocibus sensibilibus, quae sunt signa intelligibilium conceptionum. Quocirca, sicut creaturae a Deo conditae, sunt veluti Dei voces, et signa sapientiae eius, unde dicitur[2] quod Deus *effudit illam* (sapientiam) *super omnia opera sua*, ita voces ab homine formatae sunt signa intellectualis scientiae eius. Cum igitur per inventionem homo immediate accipit scientiam a signis sapientiae divinae, per disciplinam vero a signis scientiae

1. Cf. 1, Quaest. CXVII, art. 1. — 2. Eccli. I, 10.

humanae, evidens est dignius et potius esse quod quis accipiat scientiam per sensibiles creaturas, et sic per inventionem, quam per hominis doctrinam, sicut dignius est hominem doceri a Deo quam ab homine[1].

3. — Ratio articuli. — Cum igitur iam definitum fuerit quod in Christo experimentalis scientia haberetur; cum pariter perfectio huius scientiae in eius anima exigat quod fuerit per inventionem acquisita, ultimo dubitatur utrum locus remaneat tali scientiae per disciplinam acquirendae, sive ab homine, in hoc articulo, sive ab angelo, in sequenti.

4. — PROP. — Christus nihil ab homine didicit.

Prob. Id quod est primum movens in aliquo genere, non debet moveri secundum illam speciem motus. Atqui Christus est primum movens in doctrina veritatis. Ergo non debet a quocumque homine moveri ad veritatem seu doceri ab homine.

Maior exemplo constat: sicut enim primum alterans non alteratur, ita primum movens non movetur. *Minor* evolvitur. Christus fuit institutus a Deo caput Ecclesiae, imo omnium hominum, eo praecise fine, ut homines veritatis lumen ab ipso acciperent, iuxta illud[2]: *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Huc facit quod Messias dux et praeceptor futurus esse praenuntiabatur[3]: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus:* praeceptoris autem non est doceri, sed docere; et in Nova Lege, Rabbi vel Magister vocatur[4]: *Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister;* et rursus de ipso dictum est[5]: *Cum ergo venerit ille* (Messias), *nobis annuntiabit omnia.*

5. — Confirmatur ex eo quod legitur[6]: *Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis eius.* Revera, audire sedens et pertinenter interrogare, necnon sapienter respondere quaesitis, magistri est docentis, non discipuli addiscentis, ut advertit Origenes, dicens[7]: *Dominus interrogabat, non ut aliquid addisceret, sed ut interrogans erudiret: ex*

1. Ad 2m. — 2. Io. XVIII, 37. — 3. Is. LV, 4. — 4. Io. III, 2. — 5. Ibid. IV, 25. — 6. Luc. II, 46, 47. — 7. Hom. XVIII, sup. Luc.

uno quippe doctrinae fonte manat et interrogare et respondere sapienter[1].

6. — Tacita obiectio. — Obiicienti vero quod Christus, audiens ab aliquo homine, puta, sermonem significativum alicuius rei, potuit addiscere quod antea nesciebat, unde videretur quod aliquid ab hominibus didicerit, — *respondetur negando antecedens;* siquidem Christus proportionaliter proficiebat in scientia experimentali, sicut proficiebat in aetate; sed quae aetas fuisset requisita ad hoc ut posset aurem accommodare audiendis doctrinae sermonibus, in ipso sufficiens fuit ut, per viam experientiae, talem scientiae gradum attingeret. Exinde S. Gregorius ait[2]: *Duodecimo anno aetatis suae interrogare dignatus est homines in terra, quia iuxta rationis usum, doctrinae sermo non suppetit nisi in aetate perfecta*[3]. Quantum vero ad ea quae ab aliis facta et dicta audiebat, valet ista Angelici animadversio[4]: *Communicare ea quae sunt a voluntate creata, in quantum huiusmodi, non est illuminare; non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei, quid tu velis vel quid tu intelligas, cognoscere, sed solum quid rei veritas habeat.* Igitur illuminatio circa facta historica attenditur secundum quod magister ostendit eorum coniunctionem cum principiis actuum humanorum, et ex eis vicissim conclusiones ad vitam ordinate transigendam deducit: quod quidem Christus nullius magisterii ope, sed proprii ingenii virtute assecutus est.

7. — Corollarium. — Ex his sequitur quod, licet fuerit aliquando in Christo nescientia secundum acquisitam scientiam, tamen ignorantia in ipso minime poni debet. Quapropter a vero longe aberrant qui exhibent Dominum Nostrum Iesum Christum tanquam ad pedes Beatae Virginis scripturam addiscentem aut scholas suae patriae frequentantem; nec propius ad veritatem accedunt, qui doctrinam Christi Domini traducunt, perinde ac si aliud non esset, nisi systema philosophicum ex diversis systematibus conflatum, quasi eclecticum quoddam doctrinarum corpus referens[5].

1. Ad 1^m. — 2. Hom. II, sup. Ezech. — 3. Ad 3^m. — 4. 1, Quaest. CVII, art. 2. — 5. Hinc probandum non est illud P. Didon : (Jésus) *voulut recevoir d'un père et d'une mère terrestres les ordres, les enseignements de Dieu, et être initié, comme tous les enfants, à la vie et à la connaissance humaines.* Jésus-Christ, p. 82. Paris, 1891.

ARTICULUS IV. — *Utrum Christus aliquid acceperit ab angelis.*

1. — **Praenotandum.** — Ad huius dubii intelligentiam, sciendum est quod, sicut inferiores angeli illuminantur a superioribus, ita homines etiam, qui sunt angelis inferiores, ab eis illuminantur, sed paulo diversa ratione. Nam, cum ista illuminatio attendatur secundum manifestationem veritatis, ideo unus angelus dicitur illuminare alium, in quantum ei manifestat veritatem quam ipse cognoscit. Porro, duo concurrunt ad veritatis manifestationem: scilicet, confortatio virtutis intellectivae, et exhibitio similitudinis rei intellectae, quod est species intelligibilis. Quapropter, unus angelus alium illumînat, primo confortando illius intellectum, quod facit convertendo se ad illum: nam, sicut in corporalibus, propinquitas localis causat confortationem in corpore minus perfecto, ut quando minus calidum admovetur calidiori, ita in spiritualibus, inferius a superiori confortatur per huius ad illud conversionem; et hoc modo angelus illuminat etiam hominem, scilicet convertendo se ad intellectum eius, et sic eum confortando.

Ex parte vero exhibitionis specierum intelligibilium, adest differentia inter angelum et hominem: nam in angelis illuminatio fit, secundum quod superior angelus veritatem universalem conceptam dividit secundum capacitatem inferioris angeli, eo fere modo quo, apud nos, doctores multipliciter distinguunt pro suis discipulis id quod ipsi in summa capiunt, illorum capacitati hoc modo providentes. At, quia intellectus humanus nequit veritatem intelligere nisi convertendo se ad phantasmata, ideo angeli illuminant homines, ipsis veritatem intelligibilem proponendo sub similitudinibus sensibilium [1].

2. — **Ratio articuli.** — Quae cum ita sint, id quod modo investigandum proponitur, nempe utrum Christus aliquid ab angelis acceperit, debet intelligi, ut fert titulus, de scientia acquisita. Revera, satis compertum esse debet scientiam inditam pro-

1. Cf. 1. Quaest. CVI, art. 1; et Quaest. CXI, art. 1.

prie ut sic, nempe quae est per species intelligibiles infusas, non derivari nisi immediate a Deo; quod quidem valet universaliter, scilicet sive in angelis, sive in Christo, sive in anima humana post mortem. At citra hanc scientiam inditam, dupliciter fingi posset Christum aliquid ab angelis accepisse : videlicet, secundum quod anima nata est perfici per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus, et secundum quod nata est illustrari per substantias spirituales : et sic praecise hic quaeritur utrum uno alterove modo anima Christi ab angelis aliquid acceperit.

3. — PROP. — **Christus nihil ab angelis accepit.**

Imprimis, quod ad scientiam experimentalem pertinet, Christus ab angelis non fuit coadiuvatus : ad hanc enim scientiam non requiritur lumen angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis. Sed nec ex impressione angelorum Christus aliquid accepit, sed immediate est a Deo illuminatus : sicut enim eius anima est supra communem modum creaturae unita Verbo in unitate personae, ita etiam supra communem modum hominum immediate est a Dei Verbo repleta scientia et gratia, non autem mediantibus angelis, qui etiam ex influentia Verbi rerum scientiam in suo principio acceperunt, ut exponit S. Augustinus [1].

Ergo Christus, quantum ad scientiam acquisitam, nullimode debuit ab angelis instrui : *indignum quippe fuisset*, ait Caietanus [2], *ut assumpta anima in fontem sapientiae unde angeli sapiunt, non ex ipso fonte, sed ex mediis rivulis derivatis ad angelos perfunderetur. Consonat autem valde ut, sicut in unione, creaturae limites sunt excessi, ita in perfectione, non creaturae, sed humanae naturae limes excedatur.* Quocirca Christus ex hoc capite superior exhibetur non solum omnibus hominibus, sed etiam omnibus angelis, quorum etiam magister existit.

5. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, iam patet quam diversimode Christus se habuerit per respectum ad naturae elementa et ad substantias angelicas. Nam Christus fuit subiectus, secundum corpus, influentiae elementorum, et impressionibus coelestium corporum : passus est enim calorem in aestate, et in hyeme frigus, caeterasque corporales passiones, eo quod libere assumpsit

1. L. II, Sup. Gen. ad litt. c. 8. — 2. In h. l.

corpus passibile et mortale, ut infra [1] ostendetur; at animam assumpsit perfectam scientia et gratia; ideoque eius mens humana non subiacuit illuminationibus supercaelestium spirituum [2].

6. — ***Corollarium.** — Unde, tantum abest ut Christus, secundum quamlibet scientiam instruatur ab angelis, quin potius, ut habet auctor libri de *coelesti Hierarchia* [3], *supremi angeli ad ipsum Iesum quaestionem faciunt, divinique illius operis et pro nobis assumptae carnis scientiam discunt, et eos ipsos Iesus sine medio docet.* Sic enim angeli inquirentes introducuntur [4]: *Quis est iste qui venit de Edom?* Et rursus angeli perhibentur ministrationem Christo exhibuisse, unde hic formationibus angelicis aliquo modo fuit subiectus, non quidem ratione sui ipsius, sed tum ratione eorum quae circa eius Incarnationem agebantur, tum etiam ratione eorum quae eum respiciebant in infantili aetate constitutum. Quapropter, cum idem auctor antea dixerat [5]: *Video enim quod et ipse Iesus supercaelestium substantiarum supersubstantialis substantia, ad nostram intransmutabiliter veniens, obedienter subiicitur Patris et Dei per angelos formationibus,* — mox, has formationes, ministeria nempe, explicans, subdit: *Per medios angelos nuntiatur Ioseph a Patre dispensata Iesu ad Aegyptum recessio, et rursum ad Iudaeam de Aegypto traductio.* Hisce tamen non obstantibus, Christus non est dicendus fuisse edoctus ab angelis; unde ordinationi legis divinae, qua homines mediantibus angelis eruduntur, in Christi casu derogatum fuit [6]. Cum hoc tamen stat quod, ut supra diximus [7], angeli Christo sensibilia opportune ministrare potuerunt, unde ille in rerum notitiam deveniret.

7. — **Quaestio.** — *Quonam sensu debent intelligi verba* [8]: APPARUIT ANGELUS DE CAELO CONFORTANS EUM (Christum)?

Resp. Illa confortatoria Angeli verba non fuerunt per modum instructionis, quasi prolata a docente, sicut quando dicitur [9]: *Ecce docuisti multos, et manus lapsas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui,* sed illa confortatio fuit ad demonstrandam

1. Quaest. XIV, art. 1. — 2. Ad 3^m. — 3. C. 7. — 4. Is. LXIII, 1. — 5. Ibid., c. 4. — 6. Ad 2^m. — 7. Art. 1, n. 5. — 8. Luc. XXII, 43. — 9. Iob. IV, 3, 4.

proprietatem humanae naturae, ut nempe fides Incarnationis Christi in nobis confirmaretur. Unde ait Beda[1]: *In documento utriusque naturae et angeli ei ministrasse, et eum confortasse dicuntur; Creator enim creaturae suae non eguit praesidio; sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur*[2].

Quanquam potest etiam dici quod angelus Christum confortavit, illius robur, magnanimitatemque laudando, ut exponit S. Epiphanius[3], ad hoc referens locum Cantici Moysis[4], iuxta Septuaginta: καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ... καὶ ἐνυσχησάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ θεοῦ, quod ipsemet sic legit: *Adorent ipsum omnes filii Dei, ... et confortent ipsum omnes angeli Dei.*

Aut denique dici possunt angeli proposuisse animae Christi rationes quae natae erant tristitiam eius lenire, quas tamen Christus non ignorabat; necnon obiecisse ei quidpiam quo reficeretur pars animae inferior, quae relinquebatur passura ea quae propria erant, nullum levamen parte superiori praestante: cum tamen angeli, eodem tempore, ab ipsamet Christi anima, superioris generis perfectionem acciperent hac constanti lege, ut qui inferiores sunt, superiori, quantum ad inferiora, famulentur, ab isto vicissim in superiori genere perfectionem recepturi[5].

1. Sup. Luc., c. 92. — 2. Ad 1[m]. — 3. Haer. 69. — 4. Deut. XXXII, 43. — 5. Cohaerenter ad ea quae hic dicuntur excludi debent illae de hoc mysterio aliquorum considerationes, quibus inducunt angelum aut infundentem Domino Nostro supernaturalem aliquam virtutem ad supplicia sua fortiter ferenda, aut illum de felici exitu suae passionis pie instruentem: quae duo a summa Christi perfectione aequaliter abhorrent.

QUAESTIO XIII

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Cum iam de principiis operationum immanentium animae Christi actum fuerit, quae sunt virtutes et scientia, sequitur ut de principio operationum illius ad extra pertractetur, scilicet de potentia activa, quae ponitur unum de coassumptis, et sequitur formam, quemadmodum potentia passiva sequitur materiam. Iamvero, non est hic quaestio utrum, sicut homini Christo, ratione unitatis hypostasis, divinitas simpliciter attribuitur, ut dicatur: *Homo est Deus*, ita, ratione eiusdem unitatis, omnipotentia ipsi tribui debeat, quae quidem re non est aliud a divinitate; hoc enim satis constat; nam, per unionem personae, homo ex tempore accepit omnipotentiam, quam Filius Dei habuit ab aeterno; unde sequitur quod vi communicationis idiomatum, sicut homo dicitur Deus, ita etiam dicatur omnipotens, eo quod est una Dei hominisque persona. Quapropter Ambrosius ait[1]: *Potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore acceplurus*[2].

Quaestio igitur modo versatur circa propriam animae Christi potentiam, secundum suum genus consideratae; ut sciatur utrum, vi unionis hypostaticae, ipsi communicata fuerit virtus, quae sit omnipotentia simpliciter. Dicitur autem *simpliciter*; quia quod habuerit omnipotentiam secundum quid, talem scilicet quae respiceret ea omnia quae ad finem Incarnationis spectant, nullimode est ambigendum, cum iam noverimus nihil defuisse Christo eorum quae ad perfectionem illius naturae, habito respectu ad Incarnationis finem, pertinent.

1. Super illud Luc. I, 32 : *Hic erit magnus.* — 2. Art. I, ad 1[m].

2. — Error. — Respicit autem potissime quaestio praesens illorum haereticorum opinamenta, qui, ex lutheranorum castris orti, *Ubiquistae* dicti sunt, volentes humanitatem Christi Verbo ita coniungi, ut ubique sit, sicut ipsa Christi divinitas, itidemque, non secus ac illam, omnipotentem esse et immutabilem : unde omnipotentia divinitatis Verbi esset formaliter omnipotentia animae Christi.

3. — Divisio quaestionis. — Porro, cum potentia alia sit *transcendentalis*, quae videlicet respicit ens factibile secundum totam suam extensionem, seu ens quod non implicat contradictionem ut fiat, alia autem *categorica*, quae nempe clauditur determinato genere entium, hinc alia erit quaestio, ut sciatur utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter (1), alia vero ut determinetur quousque se extenderit eius potentia (2-4), tum generaliter respectu creaturaruum a se aliarum (2), tum specialiter, sive respectu proprii corporis (3), sive respectu eorum in quae eius voluntas ferri potuerit (4).

POTENTIA RELATE AD ANIMAM CHRISTI CONSIDERANDA EST

- simpliciter (1)
- secundum determinatum genus, per respectum ad
  - alia a se (2)
  - se, quantum ad
    - proprium corpus (3)
    - executionem propriae voluntatis (4)

Quapropter, quatuor hic quaeruntur ;

Primo. Utrum habuerit omnipotentiam simpliciter.

Secundo. Utrum habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Tertio. Utrum habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Quarto. Utrum habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis.

ARTICULUS I. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.*

1. — Ratio articuli. — Praecipua hic dubitandi ratio profecto ex eo deducitur, quod, sicut anima Christi habuit quodammodo scientiam omnium quae Deus scit, ita videretur etiam habuisse omnium potentiam. At, praeterquamquod alia est ratio de scientia, et alia de potentia, ut mox declarabitur, in antecessum animadvertere libet saltem illud discrimen inter divinam potentiam, et potentiam animae Christi, esse agnoscendum, quod intercedit inter divinam scientiam, et scientiam quamcumque, et sic etiam beatam, eiusdem animae. Quinimmo potest esse quod Deus de aliquibus scientiam alicui communicet, circa quae tamen effectricem potentiam communicare non possit, ut est, verbi gratia, creatio. Hinc, sit

2. — PROP. — **Impossibile est animam Christi habere omnipotentiam simpliciter.**

Prob. I. Auctoritate. — Omnipotentia ponitur inter attributa propria Dei : nam, cum dictum fuisset[1] : *Iste Deus meus, et glorificabo eum,* mox additur[2] : *Omnipotens nomen eius.* Pariter, dicitur[3] : *Quem constituit* (omnipotens) *alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Atqui attributa propria Dei nulli prorsus creaturae convenire possunt. Ergo anima Christi, creatura cum sit, non habuit omnipotentiam simpliciter. Revera, alia quidem attributa, ut sanctitas, iustitia, sapientia, etc., creaturae quidem communicari possunt, quia in suo conceptu non includunt nisi perfectionem, praescindendo a modo quo haec in Deo est : at omnipotentia simpliciter dicta, importat proprie modum quo talis perfectio est in Deo, scilicet infinite, ideoque incommunicabilis prorsus est.

3. — II. Rat. theol. — Habere omnipotentiam simpliciter est habere potentiam activam respectu omnium quae possunt habere rationem entis. Atqui habere potentiam activam respectu

1. Exod. XV, 2. — 2. Ibid. — 3. Iob. XXXIV, 13.

omnium quae possunt habere rationem entis, est proprium eius, cuius natura est ipsum esse incircumscriptum, qui est Deus. Ergo solius Dei est habere omnipotentiam simpliciter; et ita impossibile est animam Christi illam habere.

4. — Explicatur argumentum. — *Maior* est ipsa definitio omnipotentiae simpliciter seu transcendentaliter acceptae, secundum quod dividitur contra potentiam in aliquo genere, seu categorice sumptam. — *Minor* exponitur. Quaelibet res habet potentiam activam respectu eorum ad quae se extendit perfectio suae naturae. Revera, potentia activa cuiuslibet rei sequitur formam ipsius, quae est principium agendi. Porro, forma aut est ipsa natura rei, sicut in rebus simplicibus, aut est constituens ipsam rei naturam, in illis rebus quae sunt compositae ex materia et forma: unde manifestum est quod potentia activa cuiuslibet rei consequitur naturam ipsius, et omnis res habet potentiam activam respectu eorum ad quae se extendit perfectio suae naturae, sicut calor ad calefaciendum, lux ad illuminandum, etc.; unde natura divina, cum sit ipsum esse incircumscriptum, habet simpliciter omnipotentiam respectu totius entis.

At in mysterio Incarnationis, ita unio facta est in personâ, quod tamen distinctio naturarum permanserit, utràque scilicet naturâ retinente id quod sibi erat proprium. Ergo anima Christi, cum sit pars humanae naturae quae finita est et creata, omnipotentiam simpliciter non habuit, sed nec habere ulla ratione potuit, unde dicitur in thesi quod impossibile fuit animam Christi habere omnipotentiam simpliciter.

5 — *Quaestio. — *Cur Christus potuerit cognoscere quodammodo omnia, non autem omnia facere?*

Huic dubio aliqui respondent dicentes quod discrimen inter scientiam et potentiam activam in hoc consistit, quod potentia activa consequitur ipsam naturam rei, eo quod actio consideratur ut egrediens ab agente, scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam vel formam scientis, sed haberi etiam potest per assimilationem scientis ad res scitas, secundum similitudines susceptas. Sed merito S. Thomas reiicit, tanquam insufficientem, hanc assignationem; quia, sicut aliquis potest cognoscere per

similitudinem ab alio susceptam, ita etiam potest agere per formam ab alio susceptam sicut videmus quod aqua vel ferrum calefacit per calorem ab igne susceptum; et ita, sicut anima Christi suscipit similitudines omnium rerum sibi a Deo inditas, per quas potest omnia cognoscere, ita etiam suscipere posset formam ad omnia peragenda quae Deus ipse peragit.

Igitur alio confugiendum est, et signanter ostendendum quare anima Christi suscipere non valeat formas vel similitudines omnium rerum ad faciendum omnes res.

Ad quod solvendum, sciendum est quod id quod a superiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum: non enim calor recipitur in eadem virtute et perfectione ab aqua sicut est in igne, unde, cum anima Christi sit inferioris naturae quam natura divina, ideo similitudines rerum non recipiuntur in ea secundum eamdem perfectionem et virtutem, secundum quam sunt in natura divina; nec similitudines rerum animae Christi inditae adaequant divinam virtutem in agendo; unde tam scientia quam potentia animae Christi est inferior scientia et potentia divina, aliter tamen et aliter.

Nam scientia animae Christi est inferior scientia divina, tum quantum ad modum cognoscendi, tum etiam quantum ad numerum scitorum: non modo enim Deus perfectius cognoscit res quam anima Christi, verum etiam Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiae aliqua quae potest facere, quae tamen anima Christi non cognoscit, licet cognoscat omnia, praesentia, praeterita et futura, quae Deus scientia visionis cognoscit. Pariter potentia animae Christi est inferior potentia divina: non enim potest omnia agere quae Deus agere valet, aut eo modo agere potest quo Deus agit, qui infinita vitute operatur, cuius creatura nullimode capax est.

Sed quantum ad res cognoscendas, nulla est, ad cuius cognitionem aliqualiter habendam requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoscendi sit virtutis infinitae; quantum vero ad res faciendas, aliquae sunt quae non possunt fieri nisi a virtute infinita, cuiusmodi est creatio, conservatio, annihilatio, et cetera huiusmodi. Igitur anima Christi, cum sit creatura et consequenter virtutis finitae, potest quidem omnia cognoscere, licet non per

omnem modum, sed non potest omnia facere, sicut evidenter patet quod ad minus non potest creare seipsam: unde omnipotentiam simpliciter non habet [1].

6. — **Difficultas.** — Anima Christi habuit scientiam speculativam et practicam de omnibus. Atqui scientiae practicae finis est scire facere vel posse facere ea quae cognoscuntur. Ergo anima Christi potuit facere omnia.

Resp. *Dist. mai.* Scientiam speculativam *conc.;* scientiam practicam, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Non omnium illorum quorum Christus habuit scientiam speculativam, habuit etiam scientiam practicam: plus enim requiritur ad hanc quam ad illam. Revera, ad scientiam speculativam habendam sufficit sola conformitas vel assimilatio scientis ad rem scitam: ad scientiam vero practicam ulterius requiritur quod formae rerum, quae sunt in intellectu, sint factivae. Porro, plus est habere formam et imprimere formam habitam in alterum, quam solum habere formam; sicut plus est lucere et illuminare, quam solum lucere. Unde anima Christi habuit quidem speculativam creandi scientiam, cum sciverit qualiter Deus creat, sed non habuit huius rei scientiam practicam, quia non habuit scientiam creationis factivam [2].

Hic igitur S. Thomas ea tacite corrigit quae alibi [3] dixerat, nempe Christum habuisse omnium scientiam, non tantum speculativam, sed etiam practicam, non tamen qua ipse res faceret, sed qua sciret qualiter a Deo sunt factae, quod esset habere scientiam practicam, non practico modo.

7. — ***Corollarium.** — Unde verba illa Christi Domini [4]: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* et ista [5]*: Omnia mihi tradita sunt a Patre meo,* et alia [6]: *Dedisti ei potestatem omnis carnis,* — aut intelligi debent de divina eius potentia, quo sensu dicit S. Hieronymus [7]: *Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit,* aut de quadam eximia et singulari potentia illius animae prae caeteris creaturis communicata, ad hoc ut excellenter praeesset corpori mystico

1. Ad 2^m^. — 2. Ad 3^m^. — 3. In 3, Dist. XIV, c. 4. — 4. Matth. XXVIII, 18. — 5. Luc. X, 22. — 6. Io. XVII, 2. — 7. In hunc loc.

Ecclesiae. Quo sensu intelligenda etiam sunt verba Damasceni[1]: *Per naturam quidem haudquaquam omnipotens erat ; ut autem Dei Verbi vere ac naturaliter effecta, nihil non quoque ipsa poterat.* Dicitur autem data tunc Christo potestas, non quod illa antea caruerit, sed secundum morem Scripturarum, ut res fieri dicatur, quando innotescit : post resurrectionem autem innotuit omnibus hominibus hanc potestatem datam fuisse Christo, quod ante resurrectionem solis angelis innotuerat [2].

8. — **Scholion**. — Quae, cum ita tutissime, et ad fidem catholicam propinquissime constiterint, iam patet quid de *immensitate*, quam etiam ubiquitatem vocant, quam in Christo, quoad humanitatem, et monophysitae, naturarum permixtionem saltem post resurrectionem factam esse asseverantes, adstruxerunt, et lutherani, communicationem divinarum proprietatum in humana natura, factam comminiscentes, susceperunt et acriter propugnarunt ; qui tamen *ubiquistarum* nomine, tanquam contumelioso, repudiato, pro ubiquitate, *maiestatem* usurpare maluerunt, contendentes maiestatem hominis Christi, qua, omnibus in locis, rebus administrandis adest, etsi non conceptis verbis in Scriptura reperiatur, re tamen quoad sensum perspicuis testimoniis demonstrari[3].

At vero contra esse evidentissimis rationibus ostenditur. Siquidem, immensitatis attributum, secundum quod, ut ait Nazianzenus [4], Deus *in hoc toto universo est, et extra universum* ἐν τῷ παντὶ τῷδε, καὶ τοῦ παντὸς ἐστιν ἔξω, respicit existentiam Dei in omnibus rebus et locis, quae sua infinita virtute continet, in quantum omnibus dat esse et virtutem et operationem ; quod quidem solus Deus efficere potest ; quia, cum Deus sit ipsum esse per essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ignis[5]. Quapropter, impossibile est aliquid praeter Deum esse sic ubique ; quia, etiamsi esset aliquod corpus infinitum, esset quidem ubique, sed secundum suas partes, et sic non primo ; et si esset in mundo

1. L. III. Orthod. fid. c. 18. — 2. Cf. resp. ad 1^m, art. seq. — 3. Cf. Petav. de Incarn. l. X, c. 7, n. 4. — 4. Orat. I. Apologetic. Paris, 1609, p. 32, B.— 5. 1, Quaest. VIII, art. 1.

unum solum animal, anima eius esset ubique primo quidem, cum partes non habeat, sed tantum per accidens, et non per se, sicut Deus: nam esset ubique tantummodo propter aliquam suppositionem factam, sicut esset ubique granum milii, supposito quod nullum aliud corpus esset[1].

Ex quibus patet, ponere Christum, secundum humanitatem, esse ubique, quod quidem, ut constat, involveret ipsum habere omnipotentiam simpliciter, rationi repugnare; quod praeterea evidentissimis Scripturarum testimoniis excluditur, et illis omnibus conciliorum definitionibus, quae adversus eutychianos et monothelitas latae sunt.

Patrum quoque hac in re unanimis sententia est, quos inter, ex Graecis, satis sit recensere S. Gregorium Nazianzenum qui, in priori Epistola ad Cledonium[2], unum eumdemque Christum vocat *carne passibilem, divinitate impassibilem, corpore circumscriptum, spiritu incircumscriptum, terrenum eumdem et caelestem, visibilem et intelligibilem, comprehensibilem et incomprehensibilem.* Ex latinis vero Patribus, unus pro omnibus sit S. Augustinus, qui ait[3]: *Si Filium cogites, secundum formam divinitatis, et ipse cum Patre ubique est; ... si autem Filium sic intelligas, secundum quod assumpsit carnem, et visus est inter homines, et crucifixus est, et resurrexit; novimus quia ascendit in coelum :* quod profecto ille haud valet facere, qui ubique sit. Quapropter, sicubi scriptum invenitur Filium hominis omnia sua praesentia replere, hoc non ad humanam, sed ad divinam naturam referendum est; de supposito tamen humanae naturae praedicatur, eo quia non aliud est suppositum hominis in Christo et aliud suppositum Dei[4].

ARTICULUS II. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

1. — Praenotanda. — Ad huius dubii solutionem, praemittenda est duplex distinctio: alia, circa transmutationem creatu-

1. 1, Quaest. VIII, art. 4. — 2. Orat. 51. Paris, 1609, p. 738, C. D. — 3. In Ps. LXXV. — 4. Hic ad 1^m.

rarum, alia ex parte ipsius animae Christi. Transmutatio quidem creaturarum triplex esse potest : *una* nempe naturalis, quae scilicet fit a proprio agente secundum ordinem naturae ; *altera* miraculosa, quae fit ab agente supernaturali supra consuetum ordinem et cursum naturae, sicut resuscitatio mortuorum ; *tertia*, secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihilum. Rursus, anima Christi potest dupliciter considerari : *uno modo*, secundum propriam naturam et virtutem, sive naturalem, sive gratuitam ; *alio modo*, prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter uniti.

2. — PROP. 1. — **Anima Christi α) secundum propriam naturam et virtutem habuit potentiam ad effectus faciendos animae convenientes ; β) secundum quod est instrumentum Verbi, habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles in finem Incarnationis ; γ) non tamen potuit creaturas in nihilum redigere.**

Prob. 1ª Pars. — Anima Christi habuit potentiam per modum quo est conveniens animae rationali. Ergo anima rationalis Christi, secundum propriam naturam et virtutem, sive naturalem, sive gratuitam, debuit habere potentiam ad illos omnes effectus faciendos, qui sunt animae convenientes, videlicet ad gubernandum corpus, et ad disponendos actus humanos, necnon ad illuminandum per gratiae et scientiae plenitudinem omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes. — Ubi notabitur quod *illuminare per gratiae plenitudinem creaturas rationales*, non debet accipi pro infusione gratiae, sed tantummodo pro quadam excitatione ad gratiam praeparatoria.

3. — Prob. 2ª Pars. — Non propria virtute, sed per virtutem divinam, gratia miraculorum vel virtutum datur animae sanctorum, eo scilicet modo quo sunt instrumenta Dei. Sed Christi anima fuit excellentissimum instrumentum divinitatis : unde gratia ista data est animae Christi, immo modo excellentissimo, ita quod non modo ipse miracula faceret, sed etiam gratiam istam in alios transfunderet[1]. Non tamen hoc modo anima Christi habuit omni-

1. Ad 3ᵐ.

potentiam ad omnes simpliciter immutationes faciendas, sed tantum ad eas quae sunt ordinabiles in finem Incarnationis, qui finis fuit ut Christus instauraret omnia, sive quae in coelis, sive quae in terris sunt[1].

4.— Prob. 3ª Pars. — Immutationes creaturarum secundum quod sunt vertibiles in nihil, creationi rerum correspondent, qua producuntur ex nihilo. Atqui solius Dei est posse creare; igitur solius eius est creaturas in nihilum redigere; et idem dicendum est de conservatione rerum in essendo, ne scilicet res in nihilum decidant, quod pariter solius Dei est, iuxta illud[2] : *Portans omnia verbo virtutis suae.* Ergo solius Dei est creaturas in nihilum vertere, ideoque anima Christi, etiam ut instrumentum Verbi, non habuit omnipotentiam universaliter respectu immutationis creaturarum.

5. — *Difficultas. — In contrarium solent obiici verba S. Augustini[3] : *Sicut corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitae, et spiritus vitae irrationalis per spiritum vitae rationalem, et spiritus vitae rationalis desertor atque peccator per spiritum vitae rationalem, pium et iustum.* Ex quibus verbis videretur sequi quod quaelibet creatura moveri potest ab alia superiori creatura : sed anima Christi perfectior est qualibet alia creatura, quod eo confirmatur quod etiam supremos spiritus movet illuminando eos. Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum universaliter.

Resp. *Dist. mai.* Quaelibet creatura moveri potest a superiori creatura aliquo modo, *conc.;* quocumque modo, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.*— Non enim omnis mutatio quae fieri potest circa creaturam, potest fieri a creatura, quamtumvis haec sit superior : quaedam enim immutationes fieri possunt a solo Deo : imo non a quacumque creatura potest quaelibet creatura moveri. Unde, quod dicitur quod omnis creatura est mutabilis ab alia creatura, *primo* non comprehendit quamcumque creaturam : supremus enim angelus non est mutabilis, nisi ab anima Christi a qua illuminatur; *deinde*, non potest extendi ad quodlibet

1. Eph. I, 10. — 2. Hebr. I, 3. — 3. L. III de Trin., c. 4.

mutationis genus, sed tantum ad determinata genera. Porro, omnes mutationes quae fieri possunt per creaturas, possunt etiam fieri per animam Christi, prout est instrumentum Verbi, non autem secundum propriam naturam aut virtutem, saltem quoad nonnullas mutationes, quia quaedam huiusmodi immutationum non pertinent ad animam eius, nec quantum ad ordinem naturae, nec quantum ad ordinem gratiae[1].

6. — Quaestio. — Hic autem quaestio non levis exurgit, *utrum* scilicet *humanitas Christi fuerit causa efficiens gratiae et miraculorum moraliter tantum vel etiam physice:* quam quidem quaestionem ex professo pertractare ad illam theologiae partem pertinet, quae de sacramentis agit: quam tamen hic omnino praetermitti haud-quaquam licet.

Pro cuius dubii solutione, *primo* advertitur satis constare humanitatem Christi esse causam moralem principalem, cum ipse Christus, et per actiones humanitatis, gratia et charitate informatas, nobis gratiam promeruerit, et sacramenta instituerit, et sit suimetipsius, tanquam propitiationis hostiae, principalis offerens. *Secundo*, extra omnis dubietatis aleam ponitur quod humanitas Christi non est causa physica efficiens gratiae principaliter et per auctoritatem: hoc enim proprium solius Dei est, licet aliquando quamdam principalitatem ei Patres attribuant, respectu nempe ministrorum Ecclesiae; unde ait S. Thomas[2]: *Humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed virtute divinitatis adiunctae, ex qua actiones humanitatis sunt salutares.* — Quae cum certissima sint, statuendum iam est cum longe maiori theologorum ex schola S. Thomae copia, quod

7. — PROP. II. — Humanitas Christi ut est instrumentum Verbi, est in Nova Lege vera causa physica gratiae, miraculorum et aliorum huiusmodi supernaturalium effectuum.

Explicatur. Dicitur α) in *Nova Lege*, nempe a conceptione Christi deinceps: certum enim esse debet, contra id quod posuit Capreolus, humanitatem Christi non fuisse causam physicam gratiae collatae ante Incarnationem, scilicet relate ad antiquos

1. Ad 2[m]. — 2. 1, 2[ae] Quaest. CXII, art. 1, ad 1[m].

Patres; eo quod, cum Christus nondum venerat, eius operationes non poterant valere nisi in acceptatione divini Beneplaciti, et sic moraliter tantum, non autem physice. β) Quapropter, hac positione, ab eis etiam theologis discedimus qui, cum Andrea Vega, hanc causalitatem ad tempus vitae mortalis Christi restringunt. γ) *Physicam* autem causam vocamus, a qua effectus revera producitur et dependet, et quae tangit subiectum sui effectus, non quidem necessario per contactum suppositalem, sed per contactum virtutis, sicut sol suppositaliter distans a visceribus terrae, in eis tamen contactu virtutis et influxus continuo agit; quod ponitur potissime contra Scotistas et Vasquez, solum moralem influxum in humanitate Christi agnoscentes.

8. — Prob. I. Auctoritate. — Porro, sententiam hanc primo suadet excellentia Novae Legis supra Foedus Antiquum, quae excellentia non salvaretur, si moraliter tantum humanitas Christi, et ea quae ab ipso sunt instituta, cuiusmodi potissime sunt sacramenta, gratiam causarent. Idipsum suadent modi loquendi divinarum Scripturarum, quae innuunt effectus gratiae et miraculorum ab humanitate Christi promanasse, tanquam a causa physica efficiente. Ita[1]: *Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes;* rursus[2]: *Novi virtutem de me exiisse;* pariter[3]: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* et sexcenta alia loca, in quibus physicae actionis notio traditur, sicut cum dicitur[4] Christus Spiritum Sanctum discipulis dedisse *insufflando* in eos, aut oculos caeci a nativitate, luto ex sputo facto, cito illuminasse. Unde etiam in Concilio Ephesino[5] caro Christi dicitur *vivificatrix propter unionem ad Verbum.* Qua in re egregie S. Cyrillus ait[6]: *Quamvis* (Christus) *ut Deus potuisset omnes verbo pellere morbos, tangit tamen omnes, ostendens propriam carnem efficacem ad praestanda remedia.*

9. — II. Rat. theol. — Ratio autem fundamentalis ex eo desumitur quod humanitas Christi fuit instrumentum, Deo, tanquam principali agenti, coniunctum: debuit igitur habere perfectionem

1. Luc. VI, 19. — 2. Ibid. VIII, 46. — 3. Io. I, 17. — 4. Ibid. IX, 6. — 5. Can. XI. — 6. L. IV in Io. super illud C. VI: *Nisi manducaveritis*, etc. Habetur in Catena S. Thomae super Luc. IV: *Singulis manus imponens.*

instrumenti correspondentem fini propter quem assumebatur. Porro, finis erat salus hominum per gratiam; aliunde de ratione instrumenti est ut habeat efficientiam physicam relate ad effectum principalis agentis, sicut serra ad secandum lignum, secus mera denominatione extrinseca vocaretur instrumentum, et sic inutiliter adhiberetur. Et quia de ratione instrumenti est, ut moveatur a principali agente et applicetur ad opus ipsius agentis principalis, ideo in ipso motu et in ipsa applicatione, communicatur ipsi de virtute principalis agentis, non quidem fixe et permanenter, sed tanquam in quodam decursu aut fluxu, ab ipsomet principali agente.

10. — S. Thomae hac de re doctrina. — Quod autem haec sit S. Thomae doctrina, certissime α) *eruitur* ex iis quae superius[1] tradidit: *Dare gratiam aut Spiritum Sanctum,* ait, *convenit Christo secundum quod est Deus auctoritative; sed instrumentaliter convenit etiam ei secundum quod est homo, in quantum scilicet eius humanitas instrumentum fuit divinitatis eius; et ita actiones ipsius, ex virtute divinitatis, fuerunt nobis salutiferae, utpote gratiam in nobis causantes, et per meritum et per efficientiam quamdam.* β) *Confirmatur* quoque ex iis quae in praesenti articulo habentur, ubi Angelicus negat humanitatem Christi habere vim instrumentalem respectu creationis, licet eam illi tribuat respectu gratiae et miraculorum: cum autem constat creaturae posse competere moralem quamdam efficientiam per respectum ad creationem, evidenter causalitas hic adserta physica esse debet[2].

Quod si quae aliter a S. Doctore alicubi traduntur, aut retractata dici debent in Summa Theologica, quod opus, utpote postremo vitae illius tempore confectum, a maturiori ingenio prodiit, aut accipi secundum quod consideratur anima Christi, non formaliter ut est instrumentum Verbi, sed secundum propriam naturam et virtutem. Instrumentum enim ut est res quaedam, habet propriam virtutem, et propriam operationem praeviam aliquo modo operationi principalis agentis; sed, ut est formaliter

1. Quaest. VIII, art. 1, ad 1^m. — 2. Quae omnia abundantius tradit infra, Quaest. XLVIII, art. 6; Quaest. XLIX, art. 1; Quaest. L, art. 6; Quaest. LXII, art. 1.

instrumentum, operatur virtute principalis agentis, et sic quodammodo intelligitur sequi eius actionem quam participat; unde instrumentum formaliter non constituitur secundum propriam virtutem, sed secundum participationem virtutis a principali agente.

Quae cum ita sint, utique, ut res quaedam est, humanitas Christi non habuit virtutem ad patranda miracula et ad conferendam gratiam, nisi per modum orationis aut intercessionis cuiusdam; sed ut est instrumentum Verbi, physicam virtutem ad ista habuit.— *Ad aliquem effectum*, ait S. Thomas[1], *operatur aliquid dupliciter: uno modo, sicut per se agens,... alio modo... instrumentaliter, quod quidem non operatur ad effectum per formam sibi inhaerentem, sed solum in quantum est motum a per se agente. Haec enim est ratio instrumenti, in quantum est instrumentum, ut moveat motum; unde, sicut se habet forma completa ad per se agentem, ita se habet motus quo movetur a principali agente ad instrumentum; sicut serra operatur ad scamnum. Quamvis enim serra habeat aliquam actionem quae sibi competit secundum propriam formam, ut dividere, tamen aliquem effectum habet, qui sibi non competit, nisi in quantum est mota ab artifice, scilicet facere rectam incisionem, et convenientem formae artis. Et sic instrumentum habet duas operationes: unam, quae competit ei secundum formam propriam, aliam, quae competit ei secundum quod est motum a per se agente, quae transcendit virtutem propriae formae.*

11. — Quid sit haec virtus. — Si quis autem ulterius quaerat quid fuerit ista virtus humanitati Christi, qua Verbi instrumento, communicata, respondent aliqui, cum Ferrariensi et Capreolo, eam esse qualitatem incompletam, ex natura sua quidem fluentem, sed in anima Christi habentem modum permanentis qualitatis. Quod sit qualitas incompleta ex natura sua fluens, probant ex eo quod secus esset causa principalis; quod autem in anima Christi habeat modum permanentem, sequitur ex eius dignitate. Nec, aiunt, inconvenit dicere quod aliqua qualitas de natura sua fluens, sit in aliquo subiecto permanenter: videmus

1. Qq. Disp. de Ver. Quaest. XXVII, art. 4.

enim, e contrario, quod scientia, quae de se est qualitas fixa, in tyrone habet esse transiens, sicut etiam lumen beatificum in anima Pauli; a pari quoque idipsum constat: nam opinio, quae est secundum se transiens, in haeretico est per modum permanentis qualitatis.

12.— Vera sententia. — Sed longe verior est eorum sententia qui, cum Caietano, Soto, aliisque, tradunt hanc virtutem non esse qualitatem, sed motionem Dei transeuntem, qua non modo humanitas Christi applicatur ad actum, sed etiam donatur virtute activa, qua elevetur ad rationem instrumenti gratiae et miraculorum. Nam, sicut artifex non inducit qualitatem aliquam, etiam incompletam, in serra aut in calamo, sed tantum motionem artificiosam ut operetur ad scamnum faciendum, ita et humanitas Christi motionem a Deo recipit, ut possit esse instrumentum congruum ad effectus supernaturales producendos. Quod enim illa humanitas sit undequaque perfectissima secundum formas et habitus completos permanentes, non debet referri ad ipsam sub ratione instrumenti, sed tantummodo sub ratione talis rei, id est talis humanitatis terminatae a Verbo; nec per hoc accipit instrumenti rationem, sed tantummodo per hoc quod movetur a principali agente, sicut formalis ratio instrumenti in serra non consistit in eo quod habeat dentes, aut in Novae Legis ministro, in eo quod habeat characterem, sed in eo quod et illa et iste, applicata a principali agente ad eius effectum moventur.

Quapropter, dupliciter debet concipi humanitatem Christi esse causam productionis gratiae et patrationis miraculorum: uno modo, per modum meriti et intercessionis, alio modo, ex potestate. Sed primo modo, humanitas Christi operatur secundum propriam formam, operatione quae est praevia dispositive operationi principalis agentis, et sic non instrumentaliter; altero modo vero operatur secundum virtutem communicatam sibi a principali agente, operatione quae cointelligitur actioni Dei, et sic instrumentaliter. Deus enim, cum posset omnia solus efficere, potest tamen elevare rem aliquam creatam, ut sit executrix suae omnipotentiae, utendo illius actu interiori, vel locutione, vel actu exteriori, vel contactu, ad operationem faciendam.

Quinimmo, et hoc notandum est, ista instrumentalis Christi efficientia, cum sit veluti principium vitae spiritualis omnium hominum, secundum quod Christus est caput totius Ecclesiae, extendi debet universaliter ad omnia opera ordinis supernaturalis; imo et ad potestatem constituendi alios homines cooperatores in miraculorum patratione, iuxta ea S. Thomae [1]: *Haec quidem gratia* (miracula faciendi) *excellentissime data est animae Christi, ut scilicet non solum ipse miracula faceret, sed etiam ut hanc gratiam in alios transferret* [2].

Nec irrationabiliter hoc dicitur, sed fundamentum habet in Evangelio [3]: *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem:* quinimmo haec veritas suadetur analogia ordinis fidei cum ordine naturae, in quo nedum civilis societatis membra realem influxum in seipsa mutuo exercent, sed etiam inferiores creaturae cognitione carentes, mutuo causae et effectus vinculo colligantur. Ex quo habemus, omnia prorsus, quae in ordine vitae supernaturalis complentur, mediante humanitatis Christi instrumentalitate perfici, aut etiam instrumentalitate aliorum, qui ab ipsomet Christo, ut instrumentum Divinitatis est, in ratione instrumentorum et ipsi constituuntur: ita quod adiutoria vitae spiritualis christiano undequaque multiplicentur, tum quae sunt fixe et deputative talia ex institutione Christi, ut sunt sacramenta et legitimi ministri, tum quae ex institutione Ecclesiae dependent, ut sunt sacramentalia et observantiae ab ea ordinatae; in quo tamen haec differentia notanda est, quod sacramenta infallibiliter, et quodammodo independenter a suscipientis dispositionibus gratiam conferunt, sacramentalia vero fallibiliter, et nonnisi iuxta suscipientis devotionem et cum dependentia ad sacramenta, quorum sunt veluti adiutoria, operantur [4].

13. — **Tacita obiectio.** — Si autem contra id quod diximus,

1. Ad 3[m]. — 2. Cf. CAIET. in h. l. et in 1. Quaest. LXXX, art. 4; SATOLLI, in h. l. et de Gratia Christi, p. 175, sqq. Romae, 1886; Al. Ad. PAQUET, Quebeci 1899 de Incarn. p. 157, sqq. Vide opus nostrum DEL MIRACOLO, cap. XII, 2[a] Ed. Romae, 1900. — 3. Matth. X, 1. — 4. Cf. quae diximus in Tract. DE GRATIA, Quaest. CXII, art. 1, nn. 14, 15.

nempe instrumentum non constitui tale per formam permanentem, sed per motum transeuntem, *obiiciatur* in divinis Scripturis exhiberi Christum, tanquam potentem miracula operari quandocumque voluerit [1]: *Domine, si vis, potes me mundare, — respondetur* hoc ideo esse, quia praesto ei erat virtus divinitatis, ut quandocumque hoc vellet, Deus illum ad effectus illos supernaturales producendos moveret; non quidem ita quod divina potestas eius animae subiiceretur; sed potius quia tam perfecte mobilem se exhibebat humanitas Christi sub actione Spiritus Sancti eam moventis, ut quandocumque opus esset, ipsa perfectissime divinitati cooperans, moveretur ad opera gratiae vel miraculorum perficienda. Quam motionem etiam in corpore Christi fuisse receptam non repugnat, ita quod et contactu eius physico infirmi valetudinem reciperent, quod valde credibile est, cum legimus infirmos sub umbra Petri transeuntis positos convaluisse; nec hoc debet difficile reputari ei qui noverit animam rationalem subiectari in corpore et virtutes morales in potentiis sensitivis animae, et, quod mirabilius est, accidentia in Eucharistia sine subiecto sustentari [2].

14. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, si quis rem diligenter perpenderit, de facili deprehendet differentiam inter sacramenta Novae Legis et sacramenta Veteris Legis in hoc formaliter consistere, quod haec quidem ex opere operato gratiam conferebant, at non physice, sicut illa, verum moraliter tantum. Non enim convertuntur termini *ex opere operato*, et *physice*, ut sic quae res gratiam conferunt ex opere operato, illam etiam physice conferre debeant: sed id ex opere operato fieri dicimus, quod ex posito aliquo signo divinitus instituto provenit, sive id proveniat physice, sive moraliter; ita quod conferre gratiam ex opere operato commune sit utriusque Testamenti sacramentis: sed sacramenta quidem Veteris Legis moraliter tantum, sacramenta autem Novae Legis physico influxu id faciunt.

Porro, haec quae de Veteris Legis sacramentis ediximus, ex iis quae tradit S. Thomas erui possunt, ubi illa vocat signa protestativa fidei in Christum venturum, signa, inquam, non fidem

1. Matth. VIII, 2. — 2. Cf. supra, Quaest. VIII, art. 2.

excitantia, sed de se, id est, ex divina institutione, fidei protestativa, quibus nempe positis Deus movebatur ad gratiam elargiendam. In quibus haec rursus differentia invenitur, quia per huiusmodi fidei protestationes, adultus quidem sub Lege profitebatur se suscipere hanc fidem, parvulus autem non pro se hoc faciebat, sed alius pro ipso. — *Sacramenta Veteris Legis*, ait S. Thomas [1], *erant quaedam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi et effectus eius.* Et rursus [2] : *Circumcisio, sicut et alia sacramenta Veteris Legis, erat solum signum fidei iustificantis ;... et ideo in circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futurae.* Pariter [3]: *In circumcisione conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio; ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis ; unde et Apostolus dicit* [4]: (Abraham) *signum accepit circumcisionis ; signaculum iustitiae fidei ;* quia scilicet *iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante.* Nec hisce obstant quae habentur in Concilio Tridentino[5]: his enim non aliud evincitur, nisi Sacramenta Novae Legis gratiam ipsamet causare quam significant, scilicet physico influxu, non autem ita sacramenta Veteris Legis, quae significabant quidem, sed ipsamet non causabant, gratiam : movebant enim tantummodo Deum ut ille immediate gratiam causaret.

15. — *Auctoritas S. Thomae. — Quae omnia pulcherrime exponuntur a S. Thoma [6]. *Qualiter*, ait, *hoc esse possit, considerandum est. Constat autem quod Deus solo imperio miracula operatur. Videmus autem quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet angelis, pervenit, ut in Legis Veteris latione apparet; et per hunc modum, per spiritus angelicos vel humanos, imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eas quodammodo naturae praesentetur divinum praeceptum ; et sic agant quodammodo spiritus humani vel angelici, ut instrumentum divinae virtutis ad miraculi*

1. 3, Quaest. LXII. art. 6. — 2. Ibid. ad 3^m. — 3. Quaest. LXX, art. 4. — 4. Rom. IV, 11. — 5. Sess. VI, can. II et VI. — 6. Quaest. VI, de Pot. art. 4.

perfectionem, non quasi aliqua virtute habitualiter in eos manente vel gratuita vel naturali, in actum miraculi possint, quia sic quandocumque vellent, miracula facere possent, quod tamen Gregorius[1] *non esse verum testatur ;... sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quae intentiones vocantur, quae non permanent nisi per praesentiam agentis principalis, sicut lumen in aëre et motus in instrumento ; et talis virtus potest intelligi donum gratiae gratis datae quae est gratia virtutum vel curationum* [2].

ARTICULUS III. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.*

1. — Sensus quaestionis. — Generalissima est haec quaestio, et complectitur non modo alterationes, puta de calore ad frigus, sed etiam transmutationes de una forma in aliam, necnon generaliter omnia illa mirabilia quae in divinis Scripturis de Christo leguntur, ut illum per quadraginta dies ieiunasse, super aquas ambulasse, caenaculum ianuis clausis ingressum fuisse, per medios homines transiisse quin videretur, corpus demortuum ad vitam suscitasse.

Et quaestio proponitur formaliter de anima Christi, non autem de virtute divinitatis, de qua satis constat quod habuerit omnipotentiam respectu omnium naturalium operationum et transmutationum assumpti corporis. Nam, ut ait Damascenus[3], *beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati et operari quae propria*, et rursus[4] : *Omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria ; volens enim esurivit, volens sitivit, volens timuit, volens mortuus est*, etc.[5].

2. — PROP. — Anima Christi α) secundum propriam naturam non habuit omnipotentiam respectu proprii corporis, sed tantum β) prout est instrumentum unitum Verbo Dei in persona.

1. In 2 Dialog. ubi sup. — 2. Cf. h. Part. Quaest. LXII, per totum. — 3. L. III. Orthod. fid. cc. 14 et 15. — 4. Ibid., cc. 20 et 23. — 5. Ad 1[m].

Prob. 1ª Pars.— Anima Christi, secundum propriam naturam, habebat determinatam proportionem ad suum corpus. Ergo, sicut immutare non poterat exteriora corpora a cursu et ordine naturae, ita non poterat proprium corpus a naturali dispositione immutare. Revera, in his quae pertinent ad conditionem humanae naturae, Christus *debuit per omnia fratribus similari*[1]: ad conditionem autem humanae naturae pertinet quod corporis valetudo, nutritio et augmentum, rationis seu voluntatis imperio non subdantur; naturalia enim soli Deo, qui est naturae auctor, obediunt ad nutum, unde dicebat Christus[2]: *Quis... potest adiicere ad staturam suam cubitum unum?* Ergo huiusmodi effectus animae Christi non subdebantur, et ideo non fuit in ipso omnipotentia respectu proprii corporis.

3. — *Tacita obiectio. — Nec dicatur animam Christi habuisse perfectissimam imaginationem, sicut et alias vires, et ideo potuisse corpus proprium immutare, cum ad imaginationem animae, corpus naturaliter immutatur, et tanto magis, quanto anima fortioris fuerit imaginationis: — nam imaginationi corpus non obedit quantum ad omnia, sed solum quantum ad aliqua, ut puta, quantum ad casum de trabe in alto posita, aut quantum ad alterationem quae est secundum calorem et frigus et his consequentia: quia imaginatio nata est esse tum principium motus localis, tum causa excitans animae passiones, secundum quas moventur cerebrum et cor, et per commotionem spirituum totum corpus alteratur; sed, aliae dispositiones naturales, quae ordinem non habent ad imaginationem, ab imaginatione, quantumcumque fortis illa sit, non transmutantur, ut sunt figura, manus vel pedes, vel quid simile[3].

4. — Prob. 2ª Pars. — Anima Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona, subiectam suae potestati totaliter habuit omnem proprii corporis dispositionem. Sed, quia virtus qua instrumentum, ut instrumentum est, agit, non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, ideo talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quam animae Christi.

1. Hebr. II, 17. — 2. Matth. VI, 27. — 3. Ad 3ᵐ.

5. — Quaestio. — *Quid Christus de diversis statibus assumpserit?*

Ante responsionem adverte tres esse status, nempe innocentiae, culpae, gloriae, inter se distinctos tum formaliter tum etiam materialiter. Et quidem, ad statum innocentiae formaliter pertinebat gratia et immunitas a culpa, materialiter vero potentia conservandi corpus absque omni nocumento, non tamen virtus transmutandi proprium corpus in quamcumque formam. Ad statum culpae vero formaliter pertinet amissio divinae gratiae, materialiter autem necessitas subiacendi poenalitatibus huius vitae. Demum, ad statum gloriae formaliter pertinet visio divinae Essentiae, materialiter gloria corporis.

Igitur Christus de unoquoque istorum statuum aliquid assumpsit, aliter tamen et aliter: nam de statu innocentiae assumpsit immunitatem a peccato, relicta conservatione corporis absque nocumento. De statu vero culpae assumpsit necessitatem subiacendi poenalitatibus huius vitae, relicta culpa; denique, de statu gloriae assumpsit comprehensionem, relicta gloria corporis[1].

ARTICULUS IV. — *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis.*

1. — Ratio articuli. — Difficultas haec ideo proponitur, quia indecens videtur dignitati Christi quod anima eius aliquid voluerit, quod tamen adimplere non potuerit. Pro quo solvendo, praenotetur quod aliquid Christus potuit velle dupliciter, uno modo quasi per se implendum, alio modo ut implendum virtute divina; iterum voluntas alia est rationalis et absoluta, alia naturalis et conditionata.

2. — PROP. — Anima Christi α) potuit implere, propria virtute, quaecumque voluit quasi per se implenda; β) quae autem voluit ut implenda virtute divina, potuit implere ut erat instrumentum divinitatis.

Prob. 1ª Pars. — Revera, minime conveniebat sapientiae

1. Ad 2ᵐ.

Christi, ut aliquid vellet per se facere, quod suae virtuti non subiaceret: unde in libro de *Quaestionibus Veteris et Novi Testamenti* dicitur[1]: *Impossibile est ut Salvatoris voluntas non impleatur, nec potest velle quod scit fieri non debere.*

3.— Prob. 2ª Pars. — Anima Christi, ut erat instrumentum divinitatis, communicatam habuit virtutem, qua miraculosa opera faceret, qualis fuit resuscitatio proprii corporis. Ergo quae voluit ut implenda virtute divina, potuit implere ut instrumentum divinitatis.

4. — Corollarium. — Unde quod Dominus petierit a Patre ut aliquid fieret, sicut quando de eo legitur, quod *exiit in montem orare et erat pernoctans in oratione Dei*[2], intelligendum est, non quod non potuerit exequi propositum voluntatis suae, sed quod sciret quod virtus et operatio sua dependerent a Deo, qui *operatur in* (nobis) *et velle et perficere*[3]; ideoque orabat et pro his quae virtute divina fienda erant, et pro his etiam quae humana voluntate erat facturus[4]. Qua in re, pensanda sunt Caietani[5] verba: *Considera quanta sit necessitas orandi, cum etiam ad ipsa opera, quae Christus sciebat sè facturum, orationis medium adhiberet, ea ratione quia orationes causae mediae sunt ad operanda et consequenda; sine causis autem mediis velle effectus, stulti est, sicut velle colligere frumenta sine seminatione.*

5. — Quaestio. — *Utrum Christus aliquid voluerit per alios implendum, quod tamen non fuerit factum; cum quandoque legitur aliquid praecepisse, cuius tamen contrarium accidit?*

Resp. *Negative*, loquendo de voluntate Christi, ut rationalis est et absoluta, non autem ut est naturalis, conditionata et inefficax. Revera voluntas rationalis et absoluta Christi fuit in omnibus maxime conformis voluntati divinae, non secus ac voluntas beatorum, qui *non volunt nisi quod Deus vult, et non petunt nisi quod volunt fieri*[6]. Sed voluntas Dei semper impletur. Ergo, licet Christus naturali desiderio aut conditionate aliquid voluerit, ut calicem passionis a se transferri, aut, quod maxime credendum

1. Quaest. LXXVII. — 2. Luc. VI, 12. — 3. Phil. II, 13. — 4. Ad 3ᵐ. — 5. In h. l. — 6. Supplem. q. LXXI, art. 3.

est, iudaeos omnes salvari, tamen absoluta voluntate idem voluit quod Deus, nempe ut calix non transferretur, et ut permitteretur peccatum, ad manifestationem divinae iustitiae.

6. — *__Scholia__ — **I.** Hoc criterio utendum est, ad intelligenda plura Sacrarum Scripturarum loca, in quibus prima facie Christus videretur aliquid voluisse quod non est impletum, ut, verbi gratia, quando dicitur : *Et inde surgens, abiit in fines Tyri et Sidonis : et ingressus domum, neminem voluit scire et non potuit latere* [1]. Verba ista sibi volunt Christum voluntate humana antecedente et inefficaci voluisse latere, voluntate autem absoluta voluisse ut ab amicis proderetur : in quo etiam manifestatur discrimen inter voluntatem Christi humanam, et voluntatem illius divinam. Nam Deus semper potest facere id quod vult, etiam voluntate antecedente ; Christus autem non potest facere id quod voluntate antecedente vult per alios esse complendum ; nam voluntati Christi antecedenti non subiacet nisi id quod est per eam complendum, non autem quod est complendum per alios ; sed Dei voluntati, etiam antecedenti, subiacet etiam id quod per alios complendum est.

Hunc in sensum intelligenda sunt verba S. Doctoris [2] : *Haec voluntas* (intellige *antecedens*) *Christi non fuit de eo quod per eam fiendum erat, sed de eo quod fiendum erat per alios, quod non subiacebat humanae voluntati ipsius ;* necnon verba Agathonis Papae [3] : *Ergone ille omnium Conditor ac Redemptor in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam ipsius voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur ?*

Caeterum obvius horum verborum sensus est quod Christus foris se gesserit sicut ii qui, subducendo se volunt latere, et tamen requiruntur ; in quo quidem fictio abfuit, cum actio a Christo facta, similis actioni eorum latere se volentium, non fallendi animo, sed instruendi nos de ambitione et vana gloria fugiendis, fuerit posita, Auctor vero praedictus [4] mavult hoc facto docuisse Christum velle se a Gentilitate, in cuius finibus versabatur, requiri. *Quod factum est*, ait, *hoc voluisse dicendus est Christus.*

1. Marc. VII, 24. — 2. In resp. ad 1^m. — 3. In Ep. recepta in Syn. C. P. III, act. 4. — 4. Scilicet libri Qq. vet. et novi Test. loc. cit.

Advertendum est enim quod illud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus praedicandi non erat, ultro tamen venientes ad fidem non suscipere invidiae erat: a suis ergo noluit praedicari, requiri autem se voluit et ita factum est.

II. Pari ratione intelligenda sunt verba S. Matthaei [1], quibus refertur quod, cum Dominus duobus caecis a se illuminatis comminatus esset dicens : *Videte ne quis sciat*, isti contra eius voluntatem miraculum divulgaverunt: *Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.* Ex his enim non recte argueretur Christum propositum suae voluntatis exequi non potuisse : nam praeceptum illud formaliter designabat voluntatem Christi, qui humanam gloriam refugiebat, iuxta illud [2] : *Ego non quaero gloriam meam.* Unde S. Gregorius ait quod per hoc quod *Dominus praecepit taceri virtutes suas, servis suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent, et tamen ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur invitis* [3]. Quapropter Christus absolute volebat, praesertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum propter aliorum utilitatem [4].

1. Cap. IX, 30, 31. — 2. Io. VIII, 50. — 3. L. XIX, Mor. c. 14. — 4. Ad 2^m^. De miraculis a Christo Domino patratis specialiter agetur in Appendice praesentis Tractatus. De Christi potentia legi cum fructu potest Monsabré, Conférence XLVI, *Le Thaumaturge*, ubi sophismata quae rationalista Renan, in sua *Vie de Jésus*, ad omnia Christi Domini miracula eludenda, congessit, triumphanter explodit. Ad rem quoque faciunt citatioratoris Conferentiae sub titulo *Introduction au dogme catholique.*

QUAESTIO XIV

DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Cum contrariorum, ut dici solet, eadem ratio sit, acto iam de Christi perfectionibus, sive quoad animae essentiam, sive quoad eius potentias aut etiam operandi principium, sequitur ut de defectibus, primo corporis, et postea [1] animae, a Filio Dei assumptis disputetur. Ubi defectuum corporalium nomine veniunt illae deordinationes, quibus corpus a naturali sua dispositione removetur, sive cursu quodam naturae hoc accidat, ut fames, sitis, mors, etc., sive etiam illata extrinsecus violentia, ut vulneris necisve malum.

2. — Ordo quaestionis. — Porro, circa corporis defectus a Verbo assumptos, de quibus hic agitur, duo hic inquiri debent : alterum de ipsa horum defectuum assumptione (1-3), alterum de eorumdem extensione (4). Et quoad primum, statuta prius huiusce assumptionis ratione (1), secundo statuendus veniet modus quo praefati defectus sunt assumpti (2-3), et quidem, tum relate ad Christi liberum arbitrium (2), tum relate ad eorum originem (3).



1. Quaest. seq.

Hinc quatuor hic quaeruntur.

Primo. Utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus.

Secundo. Utrum assumpserit necessitatem his defectibus subiacendi.

Tertio. Utrum hos defectus contraxerit.

Quarto. Utrum omnes huiusmodi defectus assumpserit.

ARTICULUS I. — *Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.*

1. — Errores. — In hac re, multi errores temporis decursu prolati sunt. Primo quidem, priscis temporibus, *Manichaei*, veram carnem Christo ademerunt, sic ad purum mythum Incarnationem reducentes, hac de causa, quod putarent corporales defectus Deo minime convenire posse; dum e contra *Ariani*, hos defectus ultro admittentes, ex iisdem argumentum sumpserunt pro neganda Verbi cum Patre consubstantialitate. Cum manichaeis consensit Julianus Halicarnassaeus, dum posuit Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile fuisse; unde eius sequaces *Incorruptionistae* dicti sunt.

Recentiori autem tempore, *Novatores*, pro suo dogmata catholica pervertendi more, in tantam insaniam prolapsi sunt, ut Dominum Nostrum defectus morales, peccati scilicet maculam et desperationis sensum, accepisse dictitarint. Denique advertendum est plures ex Patribus, inter quos S. *Hilarium*, inveniri, qui prima quidem fronte negare videntur Christum defectus huiusmodi suscepisse, qui tamen in bonam partem intelligi possunt, si tantum id quod dixerint referatur ad divinitatem, aut ad necessariam, non liberam assumptionem [1], ut infra ostendemus.

2. — Doctrina catholica. — Contra quos ponenda est Ecclesiae Catholicae doctrina, tum in Symbolo fidei contenta, in quo legitur: *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et*

1. Cf. Petav. de Incarn., l. X, c. 5.

sepultus est, tum in Conciliorum definitionibus. Sic, in Concilio Lateranensi IV [1], contra Albigenses, aliosque haereticos, dicitur : *Qui, cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est mortalis et passibilis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus*, etc. Pariter in Concilio Florentino legitur [2] : *Firmiter credit* (Romana Ecclesia)... *Dei Filium in assumpta humanitate... vere passum, vere mortuum et sepultum.* Unde S. Hieronymus scribebat [3] : *Qui vere languores nostros et peccata portavit et pro nobis dolet, non putative, id est* οἰομένως, *ut nova et vetus haeresis suspicatur; sed vere crucifixus est, vere doluit.*

3. — **Praenotanda.** — Porro, ad huius quaestionis intelligentiam, duo praenotanda veniunt.

I. Primo, in tuto ponendum est Christum Iesum, non propter aliquam sui culpam poenas sustinuisse : ipse enim *peccatum non fecit* [4], sed pro culpis aliorum. Siquidem, defectus corporales poenales sunt, cum sequuntur culpam, sive actualem, sive originalem : non tamen ex eo quod quis huiusmodi defectus patitur, potest argui in eo esse illam culpam, cuius defectus isti sunt poena. Nam poena aliquando sequitur culpam eiusdemmet qui punitur, aliquando autem alterius, pro quo ille qui patitur, satisfacit : et hoc quidem modo Christus punitus est, de quo legimus [5] : *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* [6].

II. Advertendum quoque est beneplacito voluntatis divinae impeditum fuisse quominus beatitudo animae Christi redundaret in eius corpus, et sic passionis nocumentum praecluderet. Revera, anima Christi, a conceptione sua, beatissima fuit in fruitione divinae Essentiae, haec autem est naturalis conditio animae beatae, ut ex ea glorificetur etiam corpus, quod fuit instrumentum eius ad meritum comparandum, unde S. Augustinus ait [7] : *Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine, quae in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in infe-*

1. C. 1. — 2. In Decreto pro Iacob. — 3. In Isa. cap. LIII, 4. — 4. 1 Pet. II, 22. — 5. Is. LIII, 5. — 6. Ad 3^m. — 7. Ep. CXVIII, ad Dioscorum, c. III, n. 14.

riorem naturam, quod est corpus, non beatitudo quae fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor. Sed in Christo naturalis haec habitudo voluntati divinitatis subiacebat; ex qua factum est, quod beatitudo remaneret clausa in anima, et ad corpus usque non derivaretur; immo caro pateretur ea quae naturae passibili conveniunt, secundum illud Damasceni[1] : *Beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati et operari quae propria*[2].

Quod quidem non est dicendum miraculose factum fuisse, sed potius dispensative, secus gloria in transfiguratione miraculosa non fuisset sed lex naturae, cuius tamen contrarium constat. Ratio vero est, quia gloria corporis sequitur naturaliter ex gloria animae, ita quod eius suspensio tunc miraculosa sit reputanda, quando anima est omni modo glorificata, scilicet, tam secundum ordinem ad Deum, quam secundum ordinem ad corpus.

4. — PROP. — **Conveniens fuit corpus assumptum a Filio Dei infirmitatibus et defectibus subiacere.**

Prob. I. Argumento generali. — Christus ad hoc venit ut nos adiuvaret, unde David dicebat[3] : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Sed, in ordine spirituali, contrarium habetur ei quod in ordine materiali verificatur : in hoc enim, per fortitudinem corporalem, infirmitas sanatur et potestas adversariorum deprimitur; in ordine vero spirituali, in infirmitate corporali virtus exhibetur (*Cum infirmor, tunc potens sum*[4],) et per infirmitatem carnis, potestas diaboli superatur. Unde Christus debuit per infirmitatem passionis suae nobis auxilium conferre, iuxta illud[5] : *In eo in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari.* Nec alio modo venturum Christum sancti Patres desideraverunt, cum in persona Isaiae[6] clamarent : *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini;* desiderabant enim in Christo spiritualem fortitudinem, per quam diabolum victurus erat et humanam infirmitatem sanaturus, minime vero exhibitionem corporalium virium aut physici roboris[7].

1 L. III, Orthod. fid., c. 15. — 2, Ad 2^m. — 3. Ps. CXX, 1. — 4. 2, Cor. XII, 10. — 5. Hebr. II, 18. — 6. Cap. LI, 9. — 7. Ad 4^m.

5. — **II. Specialiter** vero ostenditur haec propositio ex triplici capite : primo ex *fine* Incarnationis, secundo ex *conditione* necessaria ad hoc ut effectum sortiatur Incarnatio, tertio ex praecipuo *effectu* finem Incarnationis certiorem faciente.

Explicatur. — α) **Ex fine Incarnationis.** — Ad hoc venit Filius Dei in hunc mundum, ut satisfaceret pro peccato humani generis. Sed, ad satisfactionem pro peccatis alterius facienda, duo sunt necessaria : unum ex parte corporis, aliud vero ex parte animae. Et quidem, satisfactio habet pro principio formali habitum *animae*, ex quo anima inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, et ex quo satisfactio efficaciam sortitur : nam satisfactio, saltem ut sit condigna et perfecta, debet procedere ex charitate, imperfecta enim et congrua etiam a poenitente in peccato existente fieri potest. In Christo autem satisfactio perfecta esse debuit, ut dictum est[1] : ideo ipse charitatem habuit, cum anima eius fuerit perfecta quantum ad habitum gratiarum et virtutum, ad hoc praecise, ut haberet facultatem satisfaciendi.

Id vero quod est ex parte *corporis* in satisfactione, tenet locum principii materialis, et huiusmodi sunt poenae vel infirmitates, quas, tanquam peccatis alterius debitas, quis sustinet ; cuiusmodi sunt in casu defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, et huiusmodi, quae sunt poena peccati quod in hunc mundum per Adam fuit introductum, iuxta illud[2] : *Per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Ergo, ad hoc ut Christus efficaciter satisfaceret pro peccatis hominum, et consequenter finem Incarnationis obtineret, conveniens fuit ut huiusmodi poenalitates in sua natura vice nostra susciperet : unde dicitur[3] : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*[4]. — Non tamen exinde concludendi venia datur Christum poenas inferni sustinuisse quas nos merebamur, ut blasphemavit Calvinus ; non enim qui satisfacit debet eamdem omnino poenam, quae reo debetur, sustinere, praesertim si haec indecens sit, sed sufficit ut condignam exhibeat.

6. — β) **Ex fidei necessitate.** — Prima conditio necessaria ad

1. Quaest. I, a. 2, n. 7. — 2. Rom. V, 12. — 3. Is. LIII, 4. — 4. Ad 1^m.

hoc ut homo Incarnationis effectum obtineat, est ut fidem in hoc mysterium habeat. Sed humana natura nobis aliter nota non est, nisi prout subiacet huiusmodi defectibus corporalibus. Nam, per huiusmodi infirmitates, quamvis divinitas Christi absconderetur, tamen manifestabatur humanitas, per quam ad divinitatem pervenire possumus, iuxta illud[1]: *Per quem* (Iesum Christum) *habemus accessum in gratiam istam... ad Patrem*[2]. Revera, si sine huiusmodi defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, aut veram carnem non habuisse, sed phantasticam, quemadmodum Manichaei posuerunt; unde dicitur[3]: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Et ideo, visis huiusmodi infirmitatibus, Isaias Christum describit, quasi *despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum*[4]; quocirca legimus sanctum Thomam apostolum adspectu vulnerum Christi fuisse ad fidem revocatum[5]. Quapropter, S. Hilarius ait[6]: *Veniens in altitudinem maris, ac tempestate demersus, nunc ne demergatur, orat; ut superius assumptae infirmitatis nostrae professio sit, cum se demersum esse profitetur.*

7. — γ) **Ex necessitate exempli.** — Id quod Incarnationis beneficium unicuique nostrum certius reddit, est ut patientes in infirmitatibus contineamur: cuius certe rei luculentissimum exemplum suppeditatur in Christo, qui defectus humanos et poenalitates fortiter toleravit; quocirca dicitur[7]: *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Unde ait Origenes[8]: *Si, ut ait Celsus, nihil doloris ac molestiae Iesus sensit per illud tempus, quonam pacto, qui postea seculi sunt, Iesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quaelibet ac molesta propter pietatem, si humana non est revera, sed sola specie perpessus?*

8. — **Confirmatur.** — Licet corpus Christi, ut erat coniun-

1. Rom. V, 2. — 2. Eph. II, 18. — 3. Phil. II, 7. — 4. Cap. LIII, 3. — 5. Io, XX, 28. — 6. Comment. in Psalm. — 7. Hebr. XII, 3. — 8. L. II contra Celsum.

ctum divinitati, summa fuerit perfectione donandum, tamen ut erat instrumentum Verbi, debuit inferioris esse virtutis, quantum ordo divinae Sapientiae permittebat : quo enim infirmius adhibetur instrumentum, eo excellentior apparet virtus illius artificis, qui per ipsum mira quaeque complere potest.

9. — Difficultas. — Contraria contrariis curantur. Ergo Christus curare debuit nostras infirmitates, assumendo fortitudinem corporalem.

Resp. *Nego conseq.* — Christus enim curavit nostras infirmitates assumpto non contrario harum infirmitatum, sed contrario causae huiusmodi infirmitatum, nempe assumptis gratia et virtutibus quibus, tanquam contrariis, peccatum curatur ; quo curato, curatur et infirmitas.

ARTICULUS II. — *Utrum Christus necessitatem his defectibus subiacendi assumpserit.*

1. — De quanam necessitate hic agitur. — Praetermissa necessitate quae est ex parte *finis*, constat enim, ex una parte, non fuisse necessarium ad finem Incarnationis absolute habendum, quod Christus hos defectus assumpserit, et ex altera, ex traditis articulo praecedenti, fuisse necessarium ad finem melius habendum, quod idem est ac conveniens, Christum hos defectus assumpsisse, duplex hic necessitas consideratur : alia *coactionis*, sive quae ab agente extrinseco infertur, alia *naturalis*, sive quae ab intrinseco provenit. Et prior quidem necessitas contrariatur naturae et voluntati ; utrumque enim est principium intrinsecum operandi ; altera vero necessitas consequitur principia naturalia, scilicet sive formam, sicut necessarium est ignem calefacere, sive materiam, sicut necessarium est corpus compositum ex contrariis dissolvi.

2. — PROP. — Christus defectibus corporalibus α) secundum necessitatem materiae subiacuit ; β) necnon secundum necessitatem coactionis ut repugnat naturae, non autem ut repugnat voluntati.

Prob. 1ª Pars. — Beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni Christi agere et pati quae propria: proprium est autem carni, ex principiis materialibus humanae naturae, ut, quia est ex contrariis composita, ideo defectum sentiat in carentia cibi et potus, necnon dissolvatur per mortem. Ergo huiusmodi defectibus corpus Christi subiacuit de necessitate materiae, divina voluntate ita ordinante.

3. — ***Confirmatur.** — Christus assumpsit carnem similem carni peccati, iuxta illud[1]: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*. Sed conditio carnis peccati est quod subiaceat necessitati moriendi, aliasque huiusmodi passiones sustinendi. Ergo Christus habuit, ratione materiae, necessitatem subiacendi defectibus corporalibus.

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Corpus Christi, secundum conditionem propriae naturae, necessitati subiacuit, verbi gratia, clavi perforantis et flagelli percutientis, quod profecto naturae corporali repugnat.

Sed quia divina voluntas decreverat quod Christus talia pateretur pro nostra salute, et humana Christi voluntas perfectissime conformis erat divinae voluntati, ideo non fuit in Christo necessitas horum defectuum, neque per respectum ad divinam, neque per respectum ad humanam Christi voluntatem. Nisi hic sumatur voluntas pro naturali motu, quasi qui consequitur rationem apprehendentem bonum vel malum nude acceptum et non consideratum secundum omnes circumstantias, puta mortem simpliciter et non mortem propter bonum virtutis, sicut illam considerabat voluntas deliberata: nam, licet in Christo voluntas, ut ratio, id est prout sequitur rationem deliberantem, has passiones liberrime acceptaverit, tamen voluntas, ut natura, quae est appetitus naturalis, naturaliter refugiebat mortem et caetera corporis nocumenta.

5. — ***Confirmatur.** — Revera, de Christo dicitur[2]: *Oblatus est, quia ipse voluit;* quod non aliud significat, nisi Christum et voluntate divina, et voluntate humana deliberata mortem oppetiisse;

1. Rom. VIII, 3. — 2. Is. LIII, 7.

unde Damascenus ait[1]: *Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria.* Quanquam profecto mors esset contra naturalem motum voluntatis humanae[2].

6. — **Difficultas.** — Necessitas subiacendi infirmitatibus et defectibus infertur a potentiori. Atqui nihil est potentius anima Christi, ad quam pertinet gubernare proprium corpus. Ergo corpus Christi non subiacuit necessitati huiusmodi defectuum.

Resp. *Trans. mai. Dist. min.* Nihil est potentius anima Christi, considerata ut instrumentum Verbi, *conc.;* secundum propriam naturam et virtutem, *subdist.* absolute, *conc.*, quantum ad aliquem particularem effectum, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Profecto nihil fuit potentius anima Christi considerata ut erat instrumentum Verbi, et ut talis poterat expellere quodcumque nocumentum corporis. Si vero anima Christi consideretur secundum propriam naturam et virtutem, tunc absolute nihil fuit potentius ipsa; quantum tamen ad aliquem particularem effectum, nihil prohibet aliquid potentius fuisse, sicut fuit clavus ad perforandum et flagellus ad percutiendum: non poterat enim anima Christi immutare naturalem ordinem et cursum rerum relate ad proprium corpus[3], ut supra dictum est[4].

7. — ***Scholion.** — Ex quibus constat quid tenendum sit de controversia olim, sancti Bernardi videlicet tempore, agitata inter Philippum, abbatem Bonae Spei, et Ioannem monachum et praepositum; quorum ille tenebat Christum non naturaliter, sed miraculose hisce defectibus subiacuisse : ita quod, cum legitur Christus quadraginta diebus et quadraginta noctibus ieiunasse[5], postea vero esuriisse, quod ieiunium servaverit, ipsi naturale fuerit, ut cum post resurrectionem absque cibo et potu permansit; quod vero postea esurierit, ipsi fuerit praeternaturale et miraculose contigerit, ut cum post resurrectionem, manducavit et bibit. Alter vero ex adverso stabat, contendens, ut rei quidem veritas habet, Christum tale ieiunium supernaturaliter et miraculose servasse, naturaliter vero esuriisse, propterea quod naturaliter hisce

1. L. III, Orthod. fid. c. 20,— 2. Ad 1^m et 2^m.— 3. Ad 3^m. — 4. Quaest. praec. art. 3. — 5. Matth. IV, 2.

defectibus subiacuerit, et nonnisi per miraculum ab eis fuerit exemptus[1].

8. — ***Quaestio.** — *Utrum dicendus sit Christus simpliciter necessitatem moriendi habuisse?*

Resp. Habita ratione talis humanae naturae assumptae, dicendus est Christus simpliciter necessitatem moriendi habuisse. *Simpliciter concedere possumus*, ait S. Doctor[2], *quod Christus necessitatem moriendi habuit, non solum ex causa finali, sed etiam necessitatem absolutam ut moreretur, etiamsi non occideretur.* Et S. Augustinus vult ut *ad mortem videatur etiam senescendo illa caro* (Christi) *pervenire potuisse, nisi iuvenis fuisset occisus*[3].

9. — ***Corollaria.** — **I.** Unde in Christo, sicut in nobis, necessitas moriendi non subdebatur humanae voluntati, sed solum voluntati divinae; quod consequenter dici debet de exemptione a morte. Discrimen tamen est inter Christum et nos, quod Christus hanc necessitatem voluntarie assumpsit, nos vero ex peccato contrahimus; in Christo, et persona poterat praeservare naturam a morte, et mortua natura non moriebatur persona, quae tamen duo in nobis aliter omnino consequuntur.

II. Cum igitur modo constet Verbum assumpsisse defectus et corporis et animae voluntarie, et quidem voluntate divina et voluntate humana, ideo subiectum adaequatum talis assumptionis potius dicemus esse Christum quam Filium Dei; quod et praestat S. Doctor, qui cum in titulo tum praesentis quaestionis, tum primi articuli quaesivisset et resolvisset de convenientia assumptionis horum defectuum a *Filio Dei*, postea mutans subiectum, quaerit et resolvit de ista convenientia relate ad Christum, quod ab hoc articulo deinceps constanter facit.

Qua in re dignissima sunt quae referantur verba Beati Etherii[4]: *Nullus liber sine littera est, et nulla littera sine intellectu. Et littera in libro aperto legitur, ut quod legitur intelligatur. Et cum intellexerit, iam gaudet, quia quod foris legebat, intus invenit. Et qui conciderit ipsum librum, paginam et litteram concidit, intellectum litterae concidere non potuit... Sic est Christus liber noster,*

1. Cf. Leontium, l. I, adv. Nest. et Eutych. — 2. 3, Dist. XVI. Quaest. I, art. 2. — 3. L. II, de pecc. mer. c. 29. — 4. L. I, adv. Elipandum, n. 112.

exterius pagina et littera, quod est homo, corpus et anima: intus divinitas, tanquam intellectus in littera; quem librum iudaei concidere potuerunt, intellectum tamen, quod est divinitas eius, nec concidere, nec separare potuerunt.

ARTICULUS III. — *Utrum Christus defectus corporales contraxerit.*

1. — **Quid significet contrahere.** — Illud contrahere dicimur, quod simul cum sua causa ex necessitate trahimus: unde in verbo *contrahere* ordo effectus ad causam intelligitur. Porro, causa mortis et aliorum defectuum in humana natura in nobis duplex est: alia, naturalis conditio corporis humani quod est ex contrariis compositum, alia vero subtractio iustitiae originalis. Et illa quidem est causa remota, haec autem causa proxima, secundum illud [1]: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors;* ita quod illa existente, non ista, huiusmodi defectus locum non habuissent [2].

2. — PROP. — **Christus non habuit defectus corporales illos contrahendo, sed voluntarie assumendo.**

Prob. — Ex dictis patet quod illi proprie dicuntur defectus corporales contrahere, qui eos ex debito peccati incurrunt. Atqui Christus non habuit hos defectus ex debito peccati; nam, ut Augustinus, exponens illud [3]: *Qui desursum venit, super omnes est*, dicit [4], *de sursum venit Christus, id est de altitudine naturae humanae, quam habuit ante peccatum primi hominis.* Ergo Christus non contraxit praedictos defectus.

Revera, Verbum accepit naturam humanam absque ullo peccato, in illa puritate in qua erat in statu innocentiae; et pariter potuisset assumere naturam humanam absque ullo defectu; voluit tamen defectus nostros dispensative assumere, cui voluntati divinae voluntas humana perfectissime consensit; ideoque Christus non ex debito peccati *contrahendo*, sed ex propria volun-

1. Rom. V 12. — 2. Ad 2^m. — 3. Io. III, 31. — 4. In Glossa ord.

late *assumendo*, defectus corporales habuit. Quapropter, aliis hominibus Christus assimilatus est in huiusmodi defectibus quantum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad eorum causam [1].

3. — Confirmatur ex eo quod Dominus noster humanam naturam assumpsit, non virtute propria generationis ex Adam, sed virtute Spiritus Sancti ex purissima B. Virginis carne, quae omni prorsus peccati labe carebat; ideoque Verbum ex Virgine assumpsit carnis naturam absque culpa; et profecto potuisset illam assumere absque poena, nisi propter opus nostrae redemptionis implendum, defectus istos voluntarie assumere voluisset. Hinc scribit S. Leo Papa [2]: *Salva igitur proprietate utriusque substantiae, et in unam coëunte personam, suscipitur a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas; et ad repetendum nostrae conditionis debitum, natura inviolabilis naturae est unita passibili.*

4. — Difficultas. — Id quod ex principiis naturae causatur, simul cum natura trahitur et ita contrahitur. Atqui defectus corporales in Christo ex principiis naturae humanae sunt causati. Ergo Christus illos defectus contraxit.

Resp. *Dist. mai.* Si a principiis naturae causaretur tanquam a causa proxima, *conc.*; tanquam a causa remota, *nego. Dist. min.* Tanquam a causa remota, *conc.*; tanquam a causa proxima, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Siquidem causa remota mortis et aliorum defectuum in humana natura accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, in quantum est ex contrariis compositum; sed causa proxima accipitur ex parte subtractionis originalis iustitiae, quae impediebat quominus mors aliique defectus in homine locum haberent; qua subtracta, quasi remoto prohibente, defectus illi naturaliter consecuti sunt, ita quod homo in originali peccato nascens, istos defectus contrahere dicatur. Christus autem cum originali iustitia fuerit donatus, ideoque habuerit in se causam prohibentem hos defectus, illos minime contraxit; sed quos assumpsit, omnino libere assumpsit [3].

1. Ad 3^m^. — 2. Ser. I de Nat. — 3. Ad 2^m^.

5. — Scholion. — Quod ait S. Thomas [1], scilicet carnem B. Virginis conceptam fuisse in originali peccato, ideoque hos defectus, mortem videlicet aut passibilitatem, contraxisse, aut omnino est relinquendum, cum iam Immaculata Deiparae Conceptio dogma sit fidei nostrae, aut intelligendum hoc sensu, quod solus Christus in utraque conceptione, activa nempe et passiva, sit omnino absque peccato, cum ipse sit conceptus virtute Spiritus Sancti, Beata Virgo autem in sola conceptione passiva, quando nempe anima rationalis eius corpori fuit infusa, et quidem a primo instanti huiusce conceptionis, fuerit immaculata; dum in conceptione sua activa, quae profecto fuit secundum seminalem rationem ab Adam derivatam, debitum habuerit caro eius peccatum originale contrahendi, et revera contraxisset, nisi virtute meritorum Christi praeservata fuisset: qua sententia, utpote fundatissima et omnino catholica, dogma Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae illustratur et defenditur [2].

ARTICULUS IV. — *Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.*

1. — Ratio dubitandi. — In hoc ultimo articulo, S. Thomas certa ratione determinare vult quales defectus Christus assumpserit: quod enim omnes assumere non debuerit satis constat, cum quidam sunt inter se contrarii, utpote ex principiis contrariis causati, contraria autem in eodem subiecto simul fieri nequeunt. Ex altera tamen parte, tum ratio curationis horum defectuum, tum satisfactio pro ipsis exhibenda, suadere videretur universalem eorumdem susceptionem, cum Christus defectus curavit eos assumendo, et satisfecit pro omnibus patiendo. Pro quo solvendo, sit

2. — PROP. — Christus α) non debuit omnes defectus humanos assumere, β) sed illos tantummodo, qui sequuntur ex peccato communi totius naturae, et non arguunt defectum scientiae et gratiae.

1. Ad 1^m. — 2. Vide Tract. de Bma Virgine Maria, p. II, c. I, a. I, p. 89; L'opera dei sei giorni, p. II, c. VI, p. 234.

Prob. 1ª Pars. — Defectus qui non sequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, ut lepra, febris, paralysis, aut morbus caducus, et alia huiusmodi, assumi a Christo non debuerunt; nam isti defectus quandoque causantur ex culpa hominis, ut puta ex inordinato victu, quandoque autem ex defectu virtutis formativae. Sed in Christo nihil horum locum habuit: nam et ordinatissimum vitae regimen habuit, et nihil imperfectum in eius conceptione habitum est, cum caro eius virtute Spiritus Sancti fuerit concepta, qui est agens infinitae sapientiae et virtutis, in nullo deficere potens.

3. — Exponitur 2ª Pars. — Igitur, in determinandis defectibus assumptis, sit iste canon: Christus assumpsit illos defectus qui communiter in omnibus hominibus inveniuntur ex peccato primi parentis provenientes, cuiusmodi sunt mors, fames, sitis, aliique huiusmodi defectus, quos vocat Damascenus[1] *naturales et indetractibiles passiones; naturales,* quia consequuntur totam naturam humanam; *indetractibiles*, quia nihil detrahunt perfectioni animae Christi, cum defectum scientiae et gratiae non important.

Quocirca, defectus qui repugnant perfectioni scientiae et gratiae, assumi a Christo non debuere, quales sunt ignorantia, pronitas ad malum, difficultas ad bonum; de quibus tamen expressius agetur quaestione sequenti, et quae in tantum hic inter defectus corporales communerantur, in quantum, in statu unionis, corpus est quodammodo causa occasionalis horum defectuum, qui tamen formaliter ad animam pertinent[2].

4. — Corollarium. — Exinde sequitur non eadem ratione fuisse in corpore Christi defectus et infirmitates, qua in eius anima fuerunt perfectiones. Perfectiones enim animae, scilicet plenitudo gratiae et scientiae, debebantur animae Christi secundum se, eo ipso quod erat a Verbo assumpta; defectus autem corporis non per se Christo competebant, sed tantum dispensative sunt assumpti, ut scilicet Christus pro peccatis nostris satisfaceret: ideoque debuit quidem habere absolute omnem plenitudinem

1. L. I, Orthod. fid. c. 14. — 2. Cf. Caiet.

gratiae et sapientiae, non autem universaliter omnes defectuse sed illos tantummodo qui requirebantur et sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius generis humani[1].

5. — **Scholion**. — Non tamen ex eo quod Christus aliquos nostros defectus non assumpserit, sequitur illum non omne, curasse. — Re quidem vera, Christus potest dici omnes nostros defectus assumpsisse, cum assumpserit causam eorum omnium, es proinde eos simpliciter curasse dicendus est. Causa enim omnium particularium defectuum hominum est passibilitas et corruptibilitas corporis humani : omnes siquidem defectus hominum ex eo causantur quod, cum iustitia originalis in eis non amplius arceat defectus qui naturaliter consequuntur naturam corporis ex contrariis compositi, consequenter corpus habent corruptibile et passibile, ex quo, superadditis quibusdam particularibus causis, omnes defectus particulares consequuntur. Cum ergo passibilitatem et corruptibilitatem corporis nostri Christus curandam assumpserit, sequitur quod omnes alios defectus quodammodo assumpsisse dicendus sit et simpliciter curasse : nam ad curandum morbum, non semper necesse est ut tollatur in se, sed sufficere potest ut tollatur in sua causa, unde solet dici : sublata causa, tollitur effectus[2].

6. — **Difficultas**. — Qui habet id quod maius est, habet etiam id quod est minus. Atqui Christus habuit morte m, qua est maximus inter defectus corporales. Ergo habuit etiam caeteros defectus corporales.

Resp. *Dist. mai.* Si utrumque sit eiusdem rationis, *conc.* ; secus *nego. Dist. min.* Et mors et alii defectus sunt diversae rationis, *conc.* ; rationis eiusdem, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Revera, mors est defectus universalis, utpote quae ex peccato primi parentis in omnes homines derivatur ; alii vero defectus, licet sint morte minores, tamen non omnes ex hoc peccato originem ducunt, ideoque non sequitur quod Christus illos omnes habere debuerit[3].

7. — **Advertendum**. — A defectibus corporalibus assumptis a Christo, excludendus est morbus proprie dictus, illa scilicet

1. Ad 2^m. — 2. Ad 1^m. — 3. Ad 3^m. —

sanitatis alteratio, quae ex perrupto in humoribus temperamento provenit, quem defectum Christus non in se assumptum, sed in eius radice sive causa generali curavit.

Quod cum sanctis Thoma et Bonaventura aliisque pluribus doctoribus scholasticis contra quosdam statuitur, utpote humanitati Christi longe convenientius, et quidem secluso miraculo. Morbi enim, aut ex inordinata vel imperfecta virtute formativa, aut ex quadam exorbitantia vel deficientia in cibo sumendo, aut ex aliqua humorum corruptione proveniunt. Christi autem virtus formativa tam perfecta fuit, ut humorum debitum temperamentum ita intrinsecus servaret, quod etiam ab infectione exterius proveniente, ut puta, ex aeris corruptione, custodiret, complexione interna ita roborata, ut externis etiam causis contrariis praevaleret; ipse quoque ita temperans fuit, ut nunquam vel minime exorbitaret aut deficeret; denique summa eius prudentia et virtus sufficientes fuerunt, ut omnes morborum causas praevenirent. Quapropter, valde probabile est quod Christus, si nec non fuisset interemptus, ad extremam senectutem pervenisset, et sine ullo morbo, sed tantum caloris naturalis et humidi radicalis defectu, morti occubuisset.

Quae cum ita sint, valde abhorrendum est ab eorum insania, qui ad litteram locum Isaiae sumentes : *Nos putavimus eum quasi leprosum*[1], dicunt Christum leprae morbo fuisse affectum, quos redarguit Synodus Francofordiensis, dum ait Christum nullatenus leprae morbo percussum fuisse in corpore, nec lepra peccati vulneratum esse in animo.

Pariter illorum sententiam penitus proscribendam censemus, qui cum Origene et Clemente Alexandrino Christum vultu deformem fuisse arguunt ex eodem Isaia[2] : *Non est species ei neque decor; ...quasi absconditus vultus eius et despectus.* Christum enim constanter retinemus cum perfectionis, etiam in corporis venustate, gradum habuisse, qui ei iuxta status conditionem competebat; utpote quem et regia maior dignitas, et quidam maiestatis fulgor, divinitatis quoque instinctus faciem exornaret, in qua animae pulchritudo et immaculata puritas irra-

1. Cap. LIII, 4. — 2. Ibid., 2, 3.

diata nitebat, hominum corda ad honesta quaeque et iusta et sancta incitans. *Quod autem*, ait S. Ioannes Chrysostomus[1], *Isaias dicit : Non habebat speciem neque decorem, vel ad divinitatis gloriam arcanam illam et inexplicabilem respiciens ita loquitur, vel ea narrans quae passionis tempore contigerunt, nempe dehonestationem illam, quam in cruce pendens sustinuit, et abiectionem quam per omnia toto vitae suae tempore prae se tulit.*

Et hoc quidem argumentum innuisse satis esto, quin opus sit corporalem Christi pulchritudinem per singula momenta perquirere : hoc enim et plenius et tutius fiet, cum oculis contemplabimur adorabilem illius vultum in patria[2].

1. Homil. XXVII in Matth. — 2. Perutile ducimus hoc loco adferre praeclara verba quibus Dionysius Cartusianus Christi pulchritudinem describit : *Tertia autem speciositas Christi fuit creata et corporalis, quae consistit in debita proportione, situ et quantitate membrorum, et in congrua superfusione vivacis coloris. Et ista pulchritudo Christi magna ac vehemens fuit. Primo, quoniam nulla naturalis perfectio defuit ei. Secundo, quia decebat ut anima illa sanctissima atque pulcherrima proportionatum sibi corpus, utpote pulchrum ac nitidum, sortiretur. Tertio, quoniam corpus Christi sumptum erat ex purissima materia, scilicet ex mundissimis sanguinibus dignissimae Virginis. Quarto, quia formatum compactumque fuit ab agente infallibili, non errante, puta a Spiritu Sancto. Verum an ista corporalis speciositas Christi fuerit simpliciter maior, quam aliqua unquam alterius hominis speciositas fuerit, de hoc diversimode dicitur. Ego autem pie credo quod Dominus meus Iesus Christus, etiam quantum ad corporalem pulchritudinem, ceteros omnes, imo et Absalonem excesserit* (2 Reg. XIV, 25), *propter rationes praedictas. Non tamen semper, ut arbitror, aeque pulcher in vultu apparuit, quoniam ea quae pulchritudinem corporalem ornant atque conservant, non curavit, sed sprevit. Pulchritudo autem eius spiritualis semper aequalis fuit, quia in gratia non profecit. Pulchritudo vero corporis sui, tempore passionis in tantum evanuit, ut de ipso ab Isaia dictum sit : Non est ei species, neque decor; et vidimus eum, et non erat ei adspectus* (Is. LIII, 2). *De hac autem multiplici pulchritudine Sponsi coelestis ac regis Messiae, ait Sponsa : Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus* (Cant. V, 10); *et : ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus* (Ibid. I, 15). *Sic ergo, o Christe, tu speciosus es forma prae filiis hominum. Quod enim id ipsum ad litteram de Christo dicatur, patet ex translatione Chaldaica, apud Hebraeos authentica, quae sic habet : Pulchritudo tua, rex Messia, maior quam filiorum hominum.* Opp. Tom. VI, p. 3, Ed. Monstrolii, 1888.

QUAESTIO XV

DE DEFECTIBUS ANIMAE A CHRISTO ASSUMPTIS

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Acto de defectibus corporis, quaerendum est modo de defectibus animae, quae est humanae naturae potior pars, cum propter ipsam sit corpus, et non viceversa. Quod tanto accuratius est peragendum, quanto minus apparet possibilitas componendi statum summae perfectionis in scientia et gratia et his sequentibus, cum imperfectionibus sive defectibus quibuscumque. Qui tamen ut admittantur cogit veritas catholica; qua proposita, theologi partes sunt rationem horum defectuum perpendere. Quapropter, praesentis quaestionis intentio est ut determinetur quousque anima Christi malo affici debuerit.

2. — Divisio quaestionis. — Porro malum vel defectus potest considerari vel in se (1-9), vel secundum statum eius qui malum patitur (10). Et quidem, in se consideratum, malum huiusmodi, aut est animae proprium, aut coniuncti, secundum quod afficit vel potentias quae sunt animae sine corporis admixtione, vel potentias quae sunt coniuncti. Porro, prioris generis potentiae sunt intellectus et voluntas, alterius vero generis sunt praecipue potentiae animae sensitivae, potentiae enim vegetativae magis videntur pertinere ad corpus quam ad actum animae. Quocirca, malum hic considerandum venit, tum respectu potentiarum intellectivarum (1-3), tum respectu potentiarum sensitivarum (4-9). Et quia homo est simpliciter bonus, qui habet appetitum bonum, ideo primo loco inquirendum est de malo morali, seu de malo peccati, utrum scilicet fuerit in Christo, secundum actum (1), aut saltem secundum quamdam inclinationem (2); secundo autem loco de malo intellectuali, scilicet de ignorantia (3). Quantum vero ad potentias sensitivas, res est primo generaliter vindicanda in Christo, tum quantum ad passionem animalem (4), tum quantum ad passionem corporalem (5), et secundo

specialiter, quantum ad aliquam specialem passionem appetitus concupiscibilis, nempe tristitiam (6), necnon quantum ad aliquas passiones appetitus irascibilis, nempe timorem (7), admirationem, quae videtur esse quaedam timoris species (8), et iram (9).



Quapropter, hic decem quaeruntur:
Primo. Utrum in Christo fuerit peccatum.
Secundo. Utrum in eo fuerit fomes peccati.
Tertio. Utrum in eo fuerit ignorantia.
Quarto. Utrum anima eius fuerit passibilis.
Quinto. Utrum in eo fuerit dolor sensibilis.
Sexto. Utrum in eo fuerit tristitia.
Septimo. Utrum in eo fuerit timor.
Octavo. Utrum in eo fuerit admiratio.
Nono. Utrum in eo fuerit ira.
Decimo. Utrum simul fuerit viator et comprehensor.

ARTICULUS I. — *Utrum in Christo fuerit peccatum.*

1. — Ratio articuli. — Pudet talem instituere quaestionem, circa eum quem Sanctum Sanctorum prophetae annuntiaverunt, quem ex Virgine sancta sanctum prodiisse Evangelistae testantur, quem gratiae et omnis spiritualis boni plenum theologia demonstrat, quem denique sanctitatis et totius iustitiae auctorem Ecclesia unanimiter confitetur. Sed cum Dominus ipse, cum accusaretur quod daemonium haberet, non dedignatus est hanc refellere calumniam, dicendo[1]: *Ego daemonium non habeo,* et *ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores iustificare*[2], ideo et nos, duce sancto Thoma, Verbum Incarnatum omni prorsus peccati labe immune esse vindicabimus, quod eo quidem alacrius praestandum erit, quo magis rationalistae hodierni buccis crepantibus venditant, quod olim magna animi contentione calumniabantur Iudaei, Christum videlicet fuisse et seductorem [3], et blasphemum [4], voracem et vini potatorem et peccatorum amicum [5], ipsummet peccatorem.

Porro, cum peccatum aliud sit originale, aliud actuale, et istud quidem aliud leve, aliud grave secundum multiplicem speciem distinctum, nos hic universaliter contendimus quod

1. Io. VIII, 49. — 2. S. Gregor. Hom. XVIII, in Evang. — 3. Matth. XXVII, 63. — 4. Ibid. XXVI, 65. — 5. Ibid. XI, 19.

2. — PROP. — **Christus nullo modo assumpsit defectum peccati.**

Haec propositio est simpliciter *de fide* retinenda, cum explicitis verbis sexcenties in divinis Scripturis contineatur. Re quidem vera, de Christo scribit Petrus [1]: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*, ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. Quocirca Christus non timuit ita provocare calumniatores Iudaeos [2]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; unde fidenter asseruit [3]: *Venit princeps huius mundi et in me non habet quidquam*] ἔρχεται γὰρ ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. Et hac quidem de causa, Christus dicitur [4] *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus;* cum tamen dictus fuerat *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato* [5]. Ad quae advertens Concilium Ephesinum [6], ait quod Christus *non eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit.*

3. — **Prob. rat. theol.** — Christus defectus nostros suscepit ut pro nobis satisfaceret, necnon ut veritatem humanae naturae comprobaret, et nobis fieret exemplum virtutis. Quorum primum Christum Salvatorem respicit; duo autem ultima homines salvandos, quos, ut redemptionem suscipiant, oportet et Christo uniri per fidem, et illum sequi per imitationem. Atqui ex nullo horum capitum Christus peccatum assumere debuit. Ergo nullo modo Christus assumpsit defectum peccati.

4. — **Exponitur.** — α) Revera, quod ad *satisfactionem* attinet, peccatum ad eam nihil operatur, immo ipsius virtutem impedit, dum satisfactori gratiam et consequenter satisfactioni valorem adimit, iuxta illa [7]: *Dona iniquorum non probat Altissimus*, ideoque Christus non debuit peccatum in se habere, sed omnino esse a peccato immunis, secus poena quam sustinuit sibimet debita fuisset pro proprio peccato [8].

β) Sed nec peccatum aliquid confert ad hoc quod homines, per *fidem* in Christum, redemptionis beneficium suscipiant. Nam, ex eo quod Christus peccasset, nullimode fides aucta fuisset in Verbi

1. 1, Ep. II, 22. — 2. Io. VIII, 46. — 3. Ibid. XIV, 30. — 4. Hebr. VII, 26. — 5. Ibid., IV, 15. — 6. Can. 10. — 7. Eccli. XXXIV, 23. — 8. Ad 3^m.

Incarnationem, cum peccatum non pertineat ad humanam naturam cuius Deus est causa; sed magis sit contra naturam, *per diaboli seminationem introductum*, ut ait Damascenus[1]; unde peccatum nullimode inservit demonstrandae veritati humanae naturae, ideoque ad fidem promovendam non confert.

γ) Demum, non iuvat peccatum ad *incitandum* hominem ad virtutis exercitium: peccatum enim contrariatur virtuti, ideoque magis retrahit a virtute quam ad virtutem incitet: quinimmo eo magis aliquis ad tolerantiam passionum, per virtutem patientiae, excitatur, quo magis videt illum, qui patitur, non pro suis, sed pro alienis culpis poenas voluntarie dantem: ideoque cum, ut ait S. Augustinus[2], *in homine Christo se nobis ad exemplum vitae praebuit Filius Dei*, Christus maximum virtutis exemplum dedit poenitentibus, dum non pro proprio peccato, sed pro aliorum peccatis poenas subire voluit[3].

5. — ***Confirmatur.** — Hoc autem evidentius ex eo patet, quod Christus debuit homines miserias patientes in suis tribulationibus adiuvare. Atqui, ad auxilium opportune conferendum, requiritur ut adiutor et cognoscat malum, et opem patienti ferre valeat. Igitur necesse fuit ut Christus dolores quidem experiretur, et tamen peccati debilitatione careret, unde dicitur de ipso[4]: *In eo, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari.*

6. — ***Quaestio.** — *Quonam sensu sint intelligenda verba*[5]: DEUS, DEUS MEUS, RESPICE IN ME,... LONGE A SALUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM?

Resp. Haec verba intelligenda sunt tanquam dicta de Christo, ex persona membrorum suorum, idest Ecclesiae, cuius caput ipse est, quasi eorum defectus ad ipsum quodammodo referantur, iuxta regulam quae est, inter septem Tichonii, prima, secundum quam aliqua promiscue dicuntur de Domino et eius corpore, cum nempe *Christi et Ecclesiae una persona aestimatur*[6]. Cui cohaerenter

1. L. II. Orthod. fid. c. 30. — 2. L. de Agone Christiano, c. 11. — 3. Ad 5^m. — 4. Hebr. II, 18. — 5. Ps. XXI, 2. — 6. *Tichonius quidam*, ait S. Augustinus (l. III de Doct. Christ., c. 30), *qui contra Donatistas invictissime scripsit, cum fuerit Donatista, et illic invenitur absurdissimi cordis*,

Damascenus[1] tradit dupliciter aliquid dici de Christo : uno modo, secundum proprietatem naturalem et hypostaticam, ut cum dicitur Deus factus homo, aut passus pro nobis ; alio modo, secundum proprietatem personalem et habitudinalem, ut cum de ipso in persona nostra aliqua dicuntur, quae ipsi secundum se nullo modo conveniunt[2].

Pariter, cum legitur Christus *factus pro nobis peccatum*[3], non est sensus quod Christus in se peccatum habuerit ; sed hic *peccatum* per metonymiam sumitur, ad significandum *hostiam pro peccato*, quo sensu dicitur[4] : *Peccata* (id est hostias pro peccato oblatas) *populi mei comedent* (sacerdotes), *et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum*. Et rursus[5] : *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto ?* Quod hebraice legitur : *Cur non comedistis peccatum in loco sancto ?* מַדּוּעַ לֹא־אֲכַלְתֶּם אֶת־הַחַטָּאת בְּמְקוֹם הַקֹּדֶשׁ — Igitur dicitur Christus factus peccatum, et dicitur *Dominus posuisse in eo iniquitatem omnium nostrum*[6], quia Deus Christum tradidit ut esset hostia pro peccatis omnium hominum ; vel iterum quia illum fecit habentem *similitudinem carnis peccati*[7], quod apparet ex corpore passibili et mortali quod assumpsit[8].

7. — Scholion. — Christus peccato originali caruit, ideoque in Adam non peccavit. Cuius ratio est quia non eodem prorsus modo Christus generatus est ex Adam ac alii homines, cum ipse acceperit ab Adam naturam humanam solum materialiter ; active autem illam acceperit, non ab Adam sicut nos, sed a Spiritu Sancto. Quapropter Christus fuit in Adam secundum corpulentam quidem substantiam, non autem secundum seminalem rationem ; nos autem fuimus in ipso, et secundum corpulentam substantiam, et secundum seminalem rationem, quia, ut ait S. Augustinus[9], *cum sit in semine et visibilis corpulentia et invisibilis ratio, utrumque concurrit*

ubi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum quem Regularum vocavit, quia in eo quasdam septem regulas exsecutus est, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta. Quarum primam ponit de Domino et eius corpore, secundam de Domini corpore bipartito, etc. Liber extat in Bibl. PP. t. 15, ed. Coloniae, 1622, et in Lugdun. 1677, t. 6.

1. L. III. Orthod. fid., c. 25. — 2. Ad 1^m. — 3. 2, Cor. V, 21. — 4. Os. IV, 8. — 5. Lev. X, 17. — 6. Is. LIII, 6. — 7. Rom. VIII, 3. — 8. Ad 4^m. — 9. L. X, Sup. Gen. ad litt. cc. 19, 20.

ex Adam ; sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis eius non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Unde, sicut corpus Adae materialiter sumptum est ex limo terrae, active autem a Deo, ita etiam Christi corpus sumptum est materialiter ab Adam, active autem a Spiritu Sancto, ideoque Christus in Adam non peccavit, cum originale peccatum traducitur per hoc quod primus parens movet motione generationis omnes qui ex eius origine derivantur[1]. Quapropter sanctissimus dicendus est Christus, non modo in vitae decursu, sed etiam in conceptione et nativitate sua, iuxta illud[2]: *Quod nascetur ex te sanctum*[3].

ARTICULUS II. — *Utrum in Christo fuerit fomes peccati.*

1. — Quid sit fomes peccati. — Peccatum originale in primo homine sequuta est, quasi poena naturalis illius, naturaeque vulnus, inclinatio quaedam sensualis appetitus in id quod est contra rationem, quae inclinatio *fomes peccati* dicitur, quasi illud *confovens*; et huius ratio praecise consistit in resistentia sensualis appetitus ad rationem, ideoque importat concupiscentiam delectabilium praeter ordinem rationis. Dicitur *praeter ordinem rationis ;* concupiscentia enim appetitus sensitivi circa id quod est sibi delectabile iuxta modum et ordinem rationis, sequitur simpliciter naturam animalem, ideoque quid bonum est, et in Christo fuit, dum naturaliter appeteret escam, et potum, et somnum, et alia huiusmodi secundum ordinem rationis; nam *beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni Christi agere et pati quae propria*[4].

Igitur, fomes peccati importat delectabilium concupiscentiam *praeter*, immo *contra*, ordinem rationis. Siquidem, vires corporales aut humorum corporalium aut ipsius animae vegetabilis non sunt quidem naturaliter obedibiles rationi; sed vires inferiores, quae pertinent ad sensibilem appetitum natae sunt subdi regimini rationis; ideoque in illis quidem nequit esse virtutis

1. Cf. 1, 2ae Quaest. LXXXI, art. 1. — 2. Luc. I, 35. — 3. Ad 2m. — 4. Hic, ad 2m.

moralis ratio, bene tamen in istis. Quocirca quod subtrahantur vires inferiores dominio rationis per passibilitatem et mortem, perfectioni virtutis non repugnat; repugnat vero quod subtrahantur vires sensitivae per inclinationem in peccatum, seu per fomitem peccati[1]. Ideo, cum iam constet de Christo, quod imperfectionem virium inferiorum habuerit, assumptis corporalibus defectibus, modo quaeritur utrum imperfectionem virium sensitivarum habere debuerit, assumendo peccati fomitem. Quae duo, licet ex eadem radice in nobis proveniant, scilicet ex subtractione originalis iustitiae, tamen longe disparis sunt rationis, cum unum bono morali repugnet, alterum vero minime.

2. — **Error.** — Fuit Theodori Mopsuesteni haeresis, quod docuerit *alium esse Dei Verbum, alium Christum a passionibus animae et desideriis carnis molestias patientem*, quem tamen condemnavit Concilium Constantinopolitanum II[2].

3. — PROP. — **In Christo non fuit fomes peccati.**

Prob. In illo non est fomes peccati α) qui conceptus est de Spiritu Sancto; β) qui habuit perfectissime gratiam et omnes virtutes; γ) qui debuit idoneus esse ad satisfaciendum pro peccatis hominum. Atqui talis fuit Christus. Ergo.

4. — **Evolvitur argumentum** α). — Christum diximus articulo praecedenti caruisse peccato originali, eo quod conceptus sit virtute Spiritus Sancti. Atqui Spiritus Sancti virtus excludit non modo peccatum, sed etiam inclinationem in peccatum. Ergo excludit etiam fomitem: ideoque fuit in Christo humana natura cum inclinatione recta et integra, sicut erat in Adam antequam a rectitudine iustitiae deflecteret.

β) Quanto virtus in aliquo est perfectior, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Nam virtus moralis, quae est in irrationali parte animae, facit eam esse rationi subiectam, et tanto magis, quanto perfectior fuerit virtus: ita temperantia rationi subiicit vim concupiscibilem, et mansuetudo vim irascibilem. Ergo, in illo qui gratia et virtutibus fuit perfectissime donatus, totaliter fuit inclinatio sensualis appetitus rationi subdita, et ideo non fuit in eo fomes peccati.

1. Ad 1^m. — 2. Coll. VIII. can. 12.

γ) Fomes peccati est defectus quidam non ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinans ad contrarium satisfactioni, quae tanto perfectior est, quanto magis comprimitur inclinatio ad peccandum. Ergo omnino debuit abesse ab eo qui ad satisfaciendum pro omnibus venerat.

5. — Confirmatur. — Accedit quod licet fomes peccati culpa moralis formaliter non sit, est tamen a culpa, et ad culpam inclinat: optimum autem est carere non modo culpa, sed etiam omni eo quod ad culpam aliquo modo inclinat. Atqui omnia in Christo optimo modo fuerunt habita ratione finis Incarnationis. Ergo non fuit in Christo fomes, nec prout sumitur pro appetitu sensitivo connotante privationem subiectionis ad rationem seu in actu primo, nec prout sumitur pro ipso motu appetitus, contrario rationi, seu in actu secundo.

6. — Scholion. — Ex eo tamen quod Christus non senserit in se pugnam carnis adversus spiritum, quam ita describit Apostolus[1]: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae,* concludere fas non est Christo defuisse aut spiritus fortitudinem, aut titulum ad meritum et coronam. Revera, α) spiritus fortitudo aliqualis quidem ostenditur ex hoc quod concupiscentiae carnis contrariantis mens viriliter resistit; sed maior longe fortitudo spiritus ostenditur, cum ita superatur concupiscentia, ut per virtutem spiritus totaliter caro comprimatur, ne contra ipsum insurgere ad concupiscendum valeat, quod fuit in Christo; et per hoc summum fortitudinis gradum ipse attigit.

Sed β) nec pugnae meritum illi defuit; quia, licet non sustinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis, tamen sustinuit exteriorem impugnationem ex parte mundi et diaboli, quos perfectissime superavit[2]; ideoque, cum qui hostem superat sit corona dignus, iuxta illud[3]: *Non coronatur nisi* (qui) *legitime cer-*

1. Rom. VII, 23. — 2. Unde scribit S. Gregorius Magnus (Homil. XVI): (Christus) *tentari per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit, atque ideo omnis illa diabolica tentatio foris, non intus fuit.* — 3. 2, Tim. II, 5.

laverit, ipse Christus coronam victoriae promeruit, ideoque dicitur[1]: *Data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret*[2].

7. — Quaestio. — Solet a Doctoribus dubium hic moveri, utrum Christus fuerit impeccabilis, seu potius *utrum, et qua ratione sit impeccantia ipsi attribuenda*. Ubi satis constat quaestionem esse de Christo secundum humanam naturam: quod enim Deus peccatum facere absolute non possit, satis ex dictis in prima parte constat; secus enim oporteret Deum denegare semetipsum.

Dissentiunt valde hac in re Scotistae cum suo duce et Durando, a Thomistis; possibilitatem hanc illis admittentibus, istis acriter reiicientibus, e quibus eminet Suarez, adversam sententiam temeritatis et impietatis cuiusdam nota designans. Sed nec una est horum omnium ratio, impeccantiam Christi aliis ex vi gratiae unionis, aliis ex plenitudine gratiae et ex dono visionis beatificae repetentibus.

8. — Solutio. — Ut paucis quae huic quaestioni solvendae viam aperient indicemus, primo monemus sedulo retinendam esse distinctionem quae est inter ea quae Incarnationi congruunt in praesenti ordine, et ea quae ipsi congruere possent in alio ordine, de quo tamen nobis non constat. Porro, cum omnis voluntas creata sit per se flexibilis in bonum vel in malum, dato quod Verbum assumpsisset creaturam rationalem in sua imperfectione relictam, et visione beatifica non donatam, quod fieri non esse impossibile ex dictis in quaestione quarta[3] satis resultat, vix est unde possibilitatem peccati, sive originalis sive actualis, in tali creatura negare debeamus. Originalis quidem si humanam naturam ab Adam secundum seminalem rationem assumpsisset; actualis vero, in casu quo a bono in particularibus casibus deflexisset. Nec obstat quod tunc Deus dici deberet peccator, cum actiones sunt suppositorum; nam operari est quidem hypostasis subsistentis, sed secundum naturam a qua operatio speciem recipit; et quemadmodum non repugnat dicere quod Creator patitur aut Aeternus moritur, propterea quod contrariae opera-

1. Apoc. VI, 2. — 2. Ad 3^m. — 3. Art. 1.

tiones uni eidemque personae propter unitatem hypostasis tribuuntur, ita etiam non repugnaret dicere quod Deus aut summa Bonitas peccatum commisisset.

Insuper, absolute loquendo, non repugnat peccatum naturae humanae a Verbo assumptae, cum peccatum non sit aversio a Summo Bono hypostatice unito, sed a Summo Bono participato per gratiam; nec iterum repugnat personae divinae in tali humanitate subsistenti; quia non deordinatio, quae est privatio et in qua peccati formalis ratio consistit, sed entitas physica quae bona est, in Verbum, qua humanitatem sibi hypotastice unitam movet, esset refundenda. Unde S. Thomas in prima quaestione huius partis[1] cum conditiones physicas creaturarum, scilicet earum mutabilitatem, finitatem, aut quod sint poenalitati subiectae, distinxisset a malo culpae in hoc quod illae sunt ordinabiles ad Dei bonitatem, hoc autem minime, non conclusit impossibile fuisse quod Verbum assumeret malum culpae, sed tantummodo quod non fuerit ei conveniens. Hic quoque [2] idem S. Thomas peccatum a Christo ideo excludit, quia repugnat fini Incarnationis: unde concludendum est absolute loquendo, in alio ordine, non repugnare naturam a Verbo assumptam a bono morali deficere.

Sed hoc est figmentum cui theologo non licet plus aequo indulgere, cuius est fidei mysteria, eorumque rationes in eo tantum ordine rimari, quem divina Sapientia constituit, ne imaginatio intellectum praeoccupet. Itaque, remanendo intra ordinem Incarnationis secundum quod nobis ex revelatione manifestatur, dicimus quod, quemadmodum fuit impossibile augeri gratiam et gloriam animae Christi, ita etiam impossibile fuit illam tolli per peccatum mortale, sive originale sive actuale. Et quia in statu innocentiae nisi adsit peccatum mortale, nec veniale habetur, impossibile enim est primum hominis peccatum in illo statu veniale esse [3], consequenter Christus non solum a mortali sed etiam a veniali peccato immunis prorsus existere debuit.

Itaque totius controversiae cardo revocandus nobis videtur ad finem Incarnationis, qui fuit ut genus humanum ad suum principium reduceretur per gratiam a Christo collatam; ad quem

1. Art. 1, ad 3[m]. — 2. Art. 1. — 3. 1 2[ae], Quaest. LXXXIX, art. 3.

finem necessarium fuit ut et Christus secundum humanitatem suam repleretur gratia, quia *conferebatur ei gratia tanquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam* [1], et ut haberet *quidquid potest pertinere ad rationem gratiae* [2], immo ut haberet istam gratiam confirmatam per visionem beatificam, quia per Christi humanitatem homines reducendi erant ad hunc finem beatitudinis [3]. Atqui status plenitudinis gratiae, maxime cum iam in patria confirmatur, non secumpatitur peccati possibilitatem. Ergo anima Christi non potuit peccatum committere. Et roboratur haec conclusio ex hoc quod peccatum in Christo nihil contulisset ad finem Incarnationis, cum et ex parte Christi satisfactionem eius impedisset, et ex parte hominum potius illos retraxisset a credendo in Christum Deum et Hominem, necnon a bono virtutis prosequendo, ut ostensum est articulo praecedenti.

Huc revocata quaestione, solutio modo prolata pleno fluit alveo, tanquam tacitum corollarium ex iis quae in istis duobus articulis dicta sunt; ideoque non erat necesse ut expresse agitaretur, sed relinquenda erat ut sufficienter soluta, quod fecit S. Doctor. Ex quibus sequitur Christum esse omnino, seu *simpliciter* impeccabilem : at vero circa peccandi potentiam superius posita sententia retinenda est, sed propter reverentiam tanto Redemptori debitam, cohibenda lingua.

9. — Difficultas. — Contra hanc solutionem opponi potest: humanitas Christi fuit organum divinitatis, secundum quod deitas regebat animam, et anima corpus. Ergo non poterat peccatum attingere ad animam Christi, sicut nec Deus potest peccare [4].

Resp. *Nego conseq. et conseq.* — In eo quod anima Christi peccasset, non fuisset organum divinitatis; nec eadem est ratio de anima Christi, ac de Deo, qui cum sit per essentiam bonitas, in nullo a rectitudine ordinis moralis deflectere potest. — Caeterum, huic doctrinae contraria non sunt quae habet S. Thomas in Commentario in Magistrum Sententiarum [5]; quandoquidem, quod ibi dicit, nempe Christum, si voluisset, potuisse peccare, sed velle

1. Quaest. VII, art. 9.— 2. Ibid., n. 10.— 3. Quaest. IX, art. 2. — 4. S. Thom. 3, Dist. XII, Quaest. II, art. 1. — 5. Loc. cit.

non potuisse, intelligendum est habito respectu ad Incarnationis finem, quod, tanquam ultimum criterium omnium quae de Christo dici debent, in Summa theologica iugiter expresse adsignatur ; quod criterium aliquando in aliis suis operibus, tanquam sufficienter subintellectum S. Thomas reliquit ; ideoque quod ibi conclusit non est intelligendum, nisi habito respectu ad praedictum finem[1].

ARTICULUS III. — *Utrum in Christo fuerit ignorantia.*

1. — Ratio articuli. — Natura a Christo assumpta, si quidem consideretur secundum rationem suae speciei, potest vocari, ut a Damasceno vocatur[2] *ignorans et servilis natura ;* nam, ut ipsemet subdit, *serva quidem est hominis natura, eius qui fecit ipsam, Dei scilicet, et non habet futurorum cognitionem.* Sed ulterius, natura a Christo assumpta considerari debet secundum id quod habet ex unione ad hypostasim divinam ; et praecise hoc sensu modo quaeritur utrum in anima Christi fuerit ignorantia[3]. Ubi ignorantiae nomen non pro mera nescientia sumitur, sed pro defectu scientiae subiecto debitae ; sive iste defectus simpliciter habeatur, sive habeatur per praesentiam contrarii habitus, nempe per errorem. Non autem hic quaeritur utrum Christus aliquem decipere potuerit ; hoc enim non ad intellectus, sed ad voluntatis defectum proprie pertinet.

2. — PROP. — **In anima Christi nullo modo fuit ignorantia.**

1. Rationem ob quam Christus peccatum assumere non debuerit ita egregie exponit Dionysius Cartusianus : *Decuit autem Christum ut hominem esse sine omni peccato, non solum propter unionem cum Verbo, sed insuper quia salvator, mediator et advocatus totius generis humani. Si enim et ipse peccatum haberet, non esset idoneus omnes Deo reconciliare et per se ipsum immediate ad Deum accedere, sed mediatore egeret. Idem quoque decuit propter privilegium sacerdotii sui. Fuit enim primus et summus sacerdos, cuius hostia et obsequium non fuissent Deo perfecte accepta et ad satisfaciendum idonea, si et ipse subiacuisset peccato.* Enar. in cap. VIII. Ioannis, art. XXIII, edit. Monstrolii, t. XII, p. 440. — 2. L. III, Orthod. fid., c. 21. — 3. Ad 1[m].

Prob. In illo, in quo est plenitudo scientiae, non est ignorantia. Atqui in Christo **fuit plenitudo scientiae. Ergo in Christo non fuit ignorantia.**

Vis argumenti consistit in eo quod, sicut plenitudo gratiae et virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo scientiae excludit ignorantiam, quae scientiae opponitur: utramque autem plenitudinem esse in Christo iam fuit probatum; ex unione enim humanae naturae ad hypostasim divinam resultat in ipsa scientiae et gratiae plenitudo[1]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*

3. — ***Confirmatur.** — Christus venit ad auferendum ignorantiae tenebras; venit enim *illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*[2]*:* ergo debuit illo malo carere, ut veritatem in mundo diffunderet. Quapropter, naturam humanam assumpsit in illa scientiae perfectione qua donata fuerat ante peccatum, et quae ignorantiam e mundo tollebat. Unde Augustinus ait[3]: *Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.*

4. — **Difficultas.** — Christo defuit peccati notitia[4]: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ergo fuit in ipso ignorantia.

Resp. *Dist. antec.* Defuit Christo notitia experimentalis peccati, *conc.;* notitia speculativa, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Revera Christus, licet non habuerit cognitionem peccati propria experientia, tamen illud cognovit per simplicem notitiam, sicut Deus ipse illud cognoscit[5], necnon per illius poenalitates quas in se assumpsit.

5. — ***Quaestio.** — *Quonam sensu intelligenda sunt verba*[6]*:* ANTEQUAM SCIAT PUER VOCARE PATREM SUUM ET MATREM SUAM, AUFERETUR FORTITUDO DAMASCI ET SPOLIA SAMARIAE CORAM REGE ASSYRIORUM?

Resp. Verba ista intelligenda sunt de Christo secundum scientiam humanam, hac ratione, quod praedicetur auferenda forti-

1. Io. I, 14. — 2. Luc. I, 79. Graece ἐπιφᾶναι, *ut illucescat his*, etc. — 3. L. II de Pecc. mer. n. 29. — 4. 2, Cor. V, 21. — 5. Ad 2^m^. — 6. Is. VIII, 4.

tudo Damasci antequam Christus sciat, utique scientia humana, vocare patrem suum putativum Ioseph, et matrem suam Mariam; non quidem hoc sensu quod Christus aliquando fuerit homo, et hoc nesciverit: sed ly *antequam sciat* per metonymiam sumitur, ita ut sensus sit: *antequam fiat homo sciens*, aut *scientiam humanam habens*, auferetur, etc. Ubi per ablationem fortitudinis Damasci et spoliorum Samariae, possunt duo intelligi: vel ipsa materialis fortitudinis destructio per regem Assyriorum patrata, vel eversio spiritualis potestatis diaboli, quae etiam ante Christum natum facta est, cum ipse Christus *nondum natus populum suum sola invocatione salvaverit*, ut ait Glossa[1].

Alium quoque sensum verba praedicta patiuntur, ut scilicet significent, in adoratione Magorum, spiritualem diaboli potestatem eversam fuisse, quo in casu ly *antequam sciat*, sumitur pro *antequam ostendat se scire*. Hunc sensum tradit S. Augustinus dicens[2]: *Antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damasci, illud scilicet unde Damascus praesumebat: in divitiis quippe civitas illa secundum saeculum florens aliquando praesumpserat: in divitiis autem principatus auro defertur... Spolia vero Samariae iidem ipsi erant qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria posita est: illic enim populus Israel aversus a Domino ad idola colenda conversus est... haec prima puer spolia idololatriae dominationi detraxit*[3].

Hic autem, uti patet, supponitur hunc locum litteraliter intelligi debere de Christo nascituro, cuius conceptio ex intacta virgine a propheta Isaia exhibita fuerat regi Achaz, tanquam signum liberationis Hierusalem[4], et non, ut recentiores volunt, de quodam filio ipsius Isaiae: quae utique interpretatio, tanquam textui conformior, et maiori Patrum calculo sancita, retinenda est.

ARTICULUS IV. — *Utrum anima Christi fuerit passibilis.*

1. — Differentia inter passionem animalem et corporalem. — Animam in corpore constitutam dupliciter pati con-

1. Interl. S. Hieron. — 2. Serm. IV de Epiph. c. II. n. 2. Ad 3^m. — 3. Is. VII, 14, seqq.

tingit, uno modo passione *corporali*, scilicet per corporis laesionem, alio modo passione *animali*, nempe secundum operationem quae, vel est propria animae, vel est principalius animae quam corporis. Huius autem differentiae ratio in hoc consistit, quod passio corporalis incipit a corpore et terminatur in anima : passio vero animalis incipit ab anima et terminatur ad corpus. Nam sicut laeso corpore, anima per accidens patitur, quia unio eius cum corpore cui dat esse debilitatur, ita animâ motâ per apprehensionem boni vel mali, mutatur corpus, ad cuius transmutationem sequitur ipsam animam pati[1].

Porro de passione hoc secundo modo accepta hic agimus. Quod enim anima Christi passione corporali passa sit, satis constat ex iis quae in quaestione praecedenti dicta sunt. Anima enim est forma corporis, unde unum est esse animae et corporis ; consequenter corpore per aliquam corpoream passionem perturbato, necesse est quod anima quoque, licet per accidens, perturbetur, scilicet quantum ad esse quod habet in corpore. Christum autem habuisse corpus passibile et mortale, superius ostensum est : unde necesse fuit quod eius anima passione corporali pateretur : quapropter ex persona Christi dicitur[2] : *Repleta est malis anima mea*, non quidem peccatis, sed humanis malis, id est doloribus, ut Glossa exponit[3]. De passione autem huiusmodi redibit ex professo sermo articulo sequenti, ne qua hac in re ambiguitas aut acquivocatio maneat.

2. — **Ratio articuli.** — Unde huius articuli intentio est, ut probetur in Christo fuisse passiones animales ; non quasi Christus de necessitate subiacuerit huiusmodi passionibus, sicut nec passionibus corporalibus — ad hoc enim necesse fuisset ut passiones huiusmodi praestantiores essent anima eius, cum agens sit praestantius patiente — sed quia Christus propria voluntate, tum divina tum humana, subiacuit hisce passionibus, quibus profecto resistere poterat, praesertim virtute divina, ne ei supervenirent [4].

3. — **Quid sit passio.** — Porro, quamvis anima, secundum passionem animalem, dicatur aliquid pati etiam secundum intel-

1. Qq. disp. de Verit. q. XVI, a. 2, c.— 2. Ps. LXXXVII, 4. — 3. Inter. lin. Aug. — 4. Ad 1^m.

ligere et sentire, tamen propriissime passiones animae dicuntur *affectiones, seu motus appetitus sensitivi, in imaginatione boni vel mali, cum quadam transmutatione corporis annexa;* ubi quod ponitur ex parte motus appetitus sensitivi, est quasi formale; quod autem habetur ex parte corporalis transmutationis, eius quod est materiale rationem tenet, *sicut in ira materiale est accensio sanguinis circa cor, vel aliquid huiusmodi, formale vero appetitus vindictae* [1].

4. — Error. — *Stoicorum* sententia fuit passiones non esse nisi inordinatos motus appetitus sensitivi, seu, ut ait Tullius, eorum opinionem referens [2], *quasdam aegritudines animae.* Cum enim appetitum concupiscibilem et irascibilem, qui sedes passionum sunt, illi non admitterent, hinc passiones habuerunt ad instar imbecillitatum quarumdam, seu motuum progredientium extra limites rationis, qui motus moraliter boni esse non possunt[3].

At, passiones secundum se consideratae, moraliter malae non sunt, cum *providenter et necessario Deus sive natura his nos armavit affectibus,* ut loquitur Lactantius [4]; insuper istae passiones *ad tuenda officia vitae insitae sunt* [5], et quaedam veluti principia et materia virtutum sunt: ideoque bonae evadere possunt, dummodo ratione, in qua vis moralitatis consistit, regulentur.

5. — PROP. — In Christo α) fuerunt passiones β) non tamen perfectae, sed quae magis proprie propassiones vocandae sunt.

Prob 1ª Pars. — Passiones pertinent ad naturam hominis. Atqui ea omnia quae ad naturam hominis pertinent, fuerunt in Christo. Ergo in Christo fuerunt passiones.

Cuius rei luculentum argumentum divinae Scripturae tradunt, cum nobis describunt Christum amoris, desiderii, tristitiae, timoris aut irae passionibus affectum. Quapropter S. Augustinus ait[6]: *Ipse Dominus in forma servi vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas* (affectione appetitus sensitivi), *ubi adhibendas esse iudicavit: neque enim in quo verum erat hominis corpus et verus*

1. I, Quaest. XX, a. 1, ad 2ᵐ. — 2. L. III de Tusc. Qq. — 3. Ad 2ᵐ. — 4. Div. Inst. l. VI, de vero cultu, c. 15. — 5. Ibid. — 6. L. XIV de Civ. Dei, c. 9.

hominis animus, falsus erat humanus affectus. Et in Concilio Constantinopolitano III[1] : *Christus arbiter et Dominus erat motuum naturalium et omnium suorum affectuum sive passionum, quae nisi eo annuente non movebantur.*

6. — **Expenditur 2ª Pars.** — Porro, huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo ac in nobis, ex triplici capite.

Primo, quantum ad *obiectum:* in nobis enim huiusmodi passiones plerumque feruntur ad illicita, quod in Christo minime fuit.

Secundo, quantum ad *principium :* cum huiusmodi passiones in nobis frequenter praeveniunt rationis iudicium, dum in Christo omnes motus appetitus sensitivi oriebantur secundum dispositionem voluntatis ; unde ait S. Augustinus[2] : *Hos motus certissimae dispensationis gratia, ita cum voluit Christus suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo.*

Tertio, quantum ad *effectum :* in nobis enim isti motus quandoque non sistunt in appetitu sensitivo, sed ad se rationem pertrahunt, quod profecto in Christo non fuit, quia motus isti, qui humanae carni naturaliter conveniunt, ita ex eius dispositione in appetitu sensitivo manebant, ut per eos ratio nullatenus impediretur exequi quae sibi conveniebant, cum semper usum rationis haberet, et omnium affectuum dominium ; ideoque prohibere vel admittere hos motus Christus poterat, sicut ipse volebat. Ad quae attendens S. Hieronymus ait[3] : *Dominus noster, ut veritatem assumpti probaret hominis, vere quidem contristatus est; sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem dicitur quod coepit contristari et maestus esse.*

7. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, passiones istae in Christo proprio nomine *propassiones* sunt dicendae, ad distinguendum illas a perfectis passionibus, quae habentur quando animo sive rationi dominantur, dum propassiones sunt solum inchoatae in appetitu sensitivo, quin ulterius se extendant. Unde passiones in Christo generaliter fuerunt quantum ad *essentiam*, ut scilicet earum essentia probaret veritatem naturae assumptae ;

1. Act. 11. — 2. L. XIV de Civ. Dei. loc. cit. — 3. Super illud MATTH. XXV, 37 : *Coepit contristari*, etc.

sed, quantum ad *modum*, secus fuerunt in Christo ac in nobis, ut scilicet modus probaret mysterium, sicut pulchre ostendit S. Maximus in Dialogo cum Pyrrho. Igitur passiones Christi omnino non sunt confundendae cum passionibus inordinatis, quae sunt motus appetitus sensitivi in illicita tendentis, quae passiones absque fomite peccati non sunt [1], et interdum simpliciter passiones vocari solent, sicut cum dicitur : *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris ut fructificarent morti*, ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκί, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ.

ARTICULUS V. — *Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis.*

1. — Ratio articuli. — Quod Christus fuerit subiectus sensibili dolori iam resultat ex dictis articulo praecedenti ; adiicitur tamen articulus praesens, tum ut excludatur falsa opinio quod dolor iste fuerit tantummodo apparens, tum ut solvatur potissima hac de re dubitatio, quae ex Hilarii Pictaviensis verbis depromitur.

2. — PROP. — Christus persensit verum dolorem.

Evincitur haec veritas, tum ex eo quod Christus venit satisfacturus pro nobis secundum veritatem, tum ex eo quod in ipso fuit et vera corporis laesio, cum corpus eius passibile et mortale fuerit, et verus laesionis sensus, cum anima eius perfecte habuerit omnes potentias naturales.

Quocirca in divinis Scripturis saepius adscritur animam Christi acerbissimo doloris sensui subiacuisse ; sic Isaias vocat Christum[2] : *Virum dolorum*, et paulo post subdit [3] : *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit*. Pariter legimus [4] : *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Quapropter, merito Martinus I in Concilio Lateranensi damnavit Valentinum haere-

1. Ad 3[m]. — 2. L III, 3. — 3. vers. 4. — 4. Ps. LXVIII, 27.

ticum et Theodorum Phanaritam, qui denegaverant Christo passiones et corporis molem.

3. — Tacita obiectio. — Nec obstat quod Christus, secundum superiorem animae partem, delectationem contemplationis divinae Essentiae perfectissime habuerit [1] : haec enim minime diminuebat in ipso doloris sensum, cum virtute divinitatis beatitudo animae eius ita esset in anima dispensative contenta, ut nec ad corpus derivaretur, ne tolleretur passibilitas et mortalitas eius, nec ad vires sensibiles, ne doloris sensus excluderetur: unde aliquo modo peioris in patiendo conditionis fuit quam martyres, in quibus consideratio amoris divini doloris sensum diminuere solet.

4. — Scholion. — Ex hisce patet Christum subiacuisse sensibili dolori ex necessitate principiorum naturalium, non autem ex necessitate reatus peccati, quia caro eius non fuit in peccato concepta : unde etiam diximus supra[2] Christum non contraxisse has infirmitates, quia eas non habuit tanquam ex causa proxima, id est ex peccato, sed solum tanquam ex causa remota, id est ex constitutione humani corporis secundum sua naturalia principia[3].

Obiicienti autem quod hic[4] S. Thomas sibi ipse contradicere videtur, cum vocet peccatum causam primam, compositionem vero contrariorum, causam propinquam horum defectuum, *respondetur* antilogiam esse apparentem tantum, et solvi distinguendo ordinem in universali, ab ordine in particulari. Siquidem, in universali, causa defectuum prima et remota est compositio ex contrariis, causa vero proxima subtractio originalis iu-

1. Ad 3^m. Hinc non ita recte scribit Didon (Jésus-Christ, t. II, p. 343).: *Il était dans les desseins de Dieu de livrer son Fils, sans défense, à tous les outrages, à tous les coups de la haine de ses ennemis. Au milieu de ce déluge d'amertume où il était noyé, il semble que, par une volonté secrète de Dieu, et afin que la Victime du Calvaire épuisât tout le calice des douleurs humaines, Jésus n'ait plus senti la joie de son union avec son Père. L'union n'était pas brisée, elle ne pouvait l'être; il en avait la conscience, mais non pas la jouissance heureuse : de là, ce cri poignant : Mon Dieu, mon Dieu, pourquoi m'avez-vous abandonné?* Sane ista verba psalmi XXI alium sensum non habent, nisi quod Deus siverit ut Filius suus omnia mala ab impiis pateretur. Cf. Comment. S. Thomae in caput XXVII S. Matth. — 2. Quaest. praeced. art. 3. — 3. Ad 2^m. — 4. In resp. ad 1^m.

stitiae : in particulari vero, seu in hoc homine, causa immediate influens ad producendos hos defectus est compositio ex contrariis naturalibus principiis : hic autem S. Thomas ordinem particularem considerat [1].

5. — *S. Hilarii verba. — S. Hilarius, de quo Ecclesia in eius festo laudem, quam S. Hieronymus ad Paulam scribens ipsi decernit, recitat *Hilarii libros inoffenso decurrat pede* in opere quod *de Trinitate* inscripsit [2], difficiliora habet verba, quibus Berengarius olim motus est ad illum incusandum, quasi dolorem a Christi anima penitus excluderet, quem tamen egregie carpit Lanfrancus [3]. Pariter Mamertus Claudianus [4], perperam sane, hunc sanctum Patrem haereseos nota inurere non veretur. Bellarminus quoque et Vasquez fatentur eius verba non posse recto sensu explicari, cuius tamen contrarium cum S. Doctore retinemus.

Verba sunt : *Cum pro Christo mori sit vita, quid ipse in mortis sacramento docuisse aestimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit ?* Et infra : *Unigenitus Deus hominem verum secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo, sumpsit, in quem, quamvis ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent ; ut telum aliquod aquam perforans, vel ignem compungens, vel aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret ; sed naturam suam in hoc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel compungi ignem, vel aera vulnerari, quamvis naturae sit teli vulnerare et compungere et forare. Passus invenitur quidem Christus dum caeditur, dum suspenditur, dum moritur, sed in corpus irruens passio, necnon fuit passio, tamen naturam passionis exercuit, dum et poenali ministerio poena desaeviit, et virtus corporis sine sensu poenae, vim poenae in se desaevientis excepit... Caro illa de caelis est, et homo illè de*

1. Cf. CAIET. in h, 1 ; BILLUART. Dissert. XIV, a. 1. — 2. L. X. — 3. In Ep. quam tradit BARONIUS sub A. D. 1088, § 22. — 4, De statu animae l. II, c. IX, n. 3.

Deo est, habens ad patiendum corpus, et passus est, sed naturam non habens ad dolendum.

6. — *Horum verborum sensus. — At vero, circa verba ista notandum est imprimis, id quod negatur, nempe Christum poenam sensisse, posse ad divinitatis naturam referri, cum constet Hilarium contra Anomaeos et Eunomianos egisse, qui id quod secundum carnis infirmitatem Christo tribuitur, naturae Divinitatis tribuebant; unde Hilarius virtutem corporis accipit pro divina natura.

Si quis vero insistat dicendo hic agi proprie de humanitate Christi, respondendum est cum Magistro Sententiarum et S. Thoma [1], Christum dici non subiacuisse doloribus, hoc sensu quod non habuerit necessitatem horum dolorum; nam, post praedita verba, Hilarius subdit: *Neque enim, cum sitivit, aut esurivit, aut flevit, bibisse Dominus, aut manducasse, aut doluisse monstratus est; sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo susceptâ est, ita ut naturae nostrae consuetudine, consuetudini sit corporis satisfactum: vel cum potum et cibum accepit, non necessitati corporis, sed consuetudini tribuit.* Excludere autem vult Hilarius necessitatem, non quae sit ex parte principiorum naturalium, sed quae est ex parte peccati; subdit enim: *Habuit* (Christus) *corpus, sed originis suae proprium; neque ex vitiis humanae conceptionis existens, sed in forma corporis nostri virtutis suae potestate subsistens.* Cui et hoc addi potest, scilicet defectus istos in Christo poenae propriae rationem non habuisse sicut in nobis habent, et doloris dominio ipsum non subiacuisse, imo intactam superiorem animae suae partem retinuisse.

7. — *Verba Clementis Alexandrini. — Pariter, sub hac luce recto sensu intelligi poterunt verba Clementis Alexandrini [2], quibus Christum vocat *impatibilem, quem nullus subit motus affectionis, neque voluptas, nec dolor;* potest enim intelligi negatus, non dolor ipse, sed necessitas patiendi, aut affectus qui mentem alterat, aut, multo magis, doloris sensus deitatem afficiens [3].

1. Hic ad 1^m; et 3, Dist. XV. — 2. L. VI, Strom. — 3. Cf. ad 1^m. Recolenda hic venit norma saepius inculcata, ambigua Patrum dicta esse pie exponenda, non extendenda.

ARTICULUS VI. — *Utrum in Christo fuerit tristitia.*

1. — Dubitandi ratio. — De tristitiae passione specialiter dubitatur utrum in Christo fuerit, eo quod non videtur tristitiam cadere posse in virum perfectum. Revera nullus tristatur, nisi de amissione bonorum suorum; iustus autem non videtur posse amittere iustitiam et virtutem; et licet amittere possit fortunae bona, tamen pro huiusmodi amissione tristari non deberet, secus ipsi fortunae subiiceretur [1]. Quapropter, iustus non videtur posse tristitiae motui subesse, unde dicitur [2]: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit;* Christus autem maxime iustus fuit, secundum illud [3]: *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*; unde in Christo non videtur fuisse tristitia. Hoc tamen minime obstante, sit

2. — PROP. — α) **In Christo fuit tristitia,** β) **non tamen secundum perfectam passionem, sed secundum propassionem.**

Prob. 1ª Pars. — Christus legitur dixisse [4] (*Tristis est anima mea usque ad mortem,*) et in persona eius dicitur [5]: *Quare tristis es, anima mea?* Unde S. Ambrosius ait [6]: *Ut homo, tristitiam habuit; suscepit enim tristitiam meam; confidenter tristitiam nomino, quia crucem praedico.*

3. — Explicatur. — Tristitia est motus appetitus sensitivi in apprehensione mali praesentis, cum aliqua transmutatione corporali. Est igitur tristitia poena aliqua, nec culpae rationem habet, nisi quando ex inordinato affectu procedit; unde generaliter de omnibus passionibus ait S. Augustinus [7]: *Cum rectam rationem sequuntur istae affectiones, et quando et ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbidas seu vitiosas passiones audeat dicere* [8]? Igitur, sicut dolor sensibilis est in appetitu sensitivo, ita et tristitia: differentia tamen habetur secundum motivum

1. Ad 2ᵐ. — 2. Prov. XII, 21. — 3. Hierem., XXIII, 6. — 4. Matth. XXVI, 38. — 5. Psalm. XLI, 6. — 6. L. II de Trin., c. 3. — 7. L. XIV de Civ. Dei, c. 9. — 8. Ad 3ᵐ.

seu obiectum: nam motivum et obiectum doloris est laesio corporis sensu tactus percepta, sicut cum quis vulneratur; motivum autem et obiectum passionis tristitiae est malum, seu nocivum interius per imaginationem apprehensum. Atqui, sicut per divinae virtutis dispensationem, delectatio contemplationis Essentiae Dei retinebatur in mente Christi, nec ad vires sensitivas derivabatur, ne sensibilis dolor excluderetur, ita quoque haec eadem beatificae visionis iucunditas in superiori animae parte continebatur, ne nocivum interius apprehensum impediret ab inferendo dolorem.

Porro nocivum istud non consistit nisi in amissione alicuius boni; et licet anima Christi gratiam amittere non potuerit, tamen potuit apprehendere, ut aliquid sibi nocivum, amissionem plurium bonorum, sive quantum ad se, sive quantum ad alios. Quantum ad se, sicut amissionem roboris corporalis in passione, et amissionem vitae in morte; quantum ad alios vero, sicut amissionem gratiae in discipulis dum peccarent, aut in iudaeis dum ipsum occiderent. Ergo sicut in Christo fuit verus dolor sensibilis, ita etiam fuit vera tristitia.

4. — *Stoicorum positionis refutatio. — Revera, minime sunt audiendi hac in re *Stoici* de quibus refert S. Augustinus[1] quod, pro tribus perturbationibus, scilicet cupiditate, laetitia et timore, quae quidem cum tristitia principalitatem inter passiones habent[2], tres εὐπαθείας, seu bonas passiones, in sapientis animo posuerunt: scilicet, pro cupiditate voluntatem, pro laetitia gaudium, pro metu cautionem; sed pro tristitia negaverunt aliquid posse esse in animo sapientis, eo quod tristitia est de malo quod iam accidit, nullum autem malum aestimabant posse sapienti accidere, quia non credebant aliquid esse bonum, nisi honestum, quod homines bonos moraliter facit, et aliquid esse malum, nisi inhonestum, per quod homines mali fiunt: constat autem iustum, dum iustus est, non posse malo inhonesto subiacere.

Quod tamen minus recte dicebatur[3]: quia, quamvis honestum sit principale hominis bonum, et inhonestum principale hominis malum, cum ista pertineant ad rationem, quae principalitatem

1. L. XIV de Civ. Dei, c. 8. — 2. Cf. Caiet. — 3. Cf. Ad 2[m].

in homine obtinet, tamen sunt quaedam hominis bona, quae secundaria sunt, et pertinent ad ipsum corpus, sive ad res exteriores corpori deservientes; et quantum ad ista, potest homo damnum, sive detrimentum pati; et consequenter secundum apprehensionem huiusmodi malorum, quantum ad appetitum sensitivum, potest cadere etiam in sapientis animum tristitiae passio.

5. — Prob. 2ª Pars. — Porro, haec tristitia in Christo passio perfecta non fuit, ita quod rationem eius perturbaret; sed distincta fuit a passione tristitiae quae est in nobis, secundum illa tria superius posita [1]. Ideoque tristitia haec in Christo fuit tantum initiata secundum propassionem; ad cuius evidentiam dicitur quod (*coepit contristari et maestus esse*[2], ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν: *aliud enim est contristari,* ait S. Hieronymus [3] *aliud incipere contristari*) Unde et de Christo dicitur [4]: *Non erit tristis* (tristitia scilicet perfecta, quae iustum nata sit secundum rationem turbare), *nec* (consequenter) *turbulentus* [5]. Apud Septuaginta autem habetur: *Splendebit, nec conteretur,* ἀναλάμψει, καὶ οὐ θραυσθήσεται, quo significatur, iuxta Hieronymum [6], quod *ex mortuis resurgens cunctos illuminaverit nec morte contritus sit.*

6 — Scholion.— Ex hoc autem quod in Christo fuerit tristitia, non excluditur quominus passio eius et mors caeteraque mala fuerint ab eo voluntarie suscepta, iuxta illud [7]: *Oblatus est, quia ipse voluit;* non enim ista causabant tristitiam in Christo, considerata in ordine ad Incarnationis finem, sed solum considerata secundum se absolute. Nam, sicut medicina amara, licet si consideretur secundum se, non sit volita, ideoque molestiam afferat, tamen si consideretur in ordine ad sanitatem ad quam ordinatur, voluntati contraria non est, ita et mala a Christo suscepta, secundum se quidem considerata, involuntaria fuerunt et tristitiam causantia; sed in ordine ad finem, qui erat redemptio humani generis, voluntaria erant tristitiam non adferentia, iuxta illud S. Augustini [8]: *Tristitia est de his quae nobis nolentibus accidunt* [9].

1. Art. IV. — 2. Matth. XXVI, 37. — 3. In Matth. XXVI. — 4. Isa. XLII, 4. — 5. Ad 1ᵐ. — 6. In h. loc. — 7. Is. LIII, 7. — 8. L. XIV de Civ. Dei, c. 6. — 9. Ad 4ᵐ.

Et quia magis contra eius voluntatem erat peccatum et perditio hominum quam propria passio et mors, ideo magis de illis, quam de ista, tristabatur anima Christi[1].

ARTICULUS VII. — *Utrum in Christo fuerit timor.*

1. — Ratio dubitandi. — Passiones appetitus irascibilis sunt spes et desperatio, audacia et timor, necnon ira. Quod in Christo fuerit passio spei, saepius Scriptura commemorat, ut cum dicitur[2]: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Pariter, ad desperationem referri possunt verba illa[3]: *Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum;* ad audaciam vero ille impavidus animi motus, quo morti sponte obviam ivit[4]: *Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.* De timore autem hic dubitatur, cum timore qui est Spiritus Sancti donum haud confundendo, necnon de admiratione quae timori affinis est, et de ira; cuius dubitationis ratio est quod timor certitudini scientiae animae Christi contrarius esse videtur; admiratio autem plenitudini cognitionis in ipso; ira demum mansuetudini perfectae.

2. — PROP. — α) In Christo fuit timor, non simpliciter, sed secundum quid; β) qui tamen in eo non fuit passio perfecta.

Prob. 1ª Pars. — Sicut tristitia causatur in homine ex apprehensione mali praesentis, ita timor causatur ex apprehensione mali futuri, a quo tamen evadendi spes quaedam habeatur. Si enim apprehensio mali futuri omnimodam certitudinem habeat, timorem non inducit, sed magis malum illud apprehenditur ut praesens, et ideo potius causat tristitiam quam timorem. Igitur timor potest considerari quantum ad duo: *uno modo*, quantum ad hoc quod appetitus sensitivus naturaliter refugit malum futurum, puta corporis laesionem, sicut per tristitiam refugit

1. Quaenam fuerit passionis Christi magnitudo require in quaestione quadragesima sexta huius partis (Vide Vol. II, Appendix), ubi S. Thomas abunde et dilucide hoc argumentum prosequitur. — 2. Ps. XXX, 2. — 3. Matth. XV, 14. — 4. Matth. XXVI, 46.

malum praesens: *alio modo,* secundum incertitudinem eventus, sicut quando noctu, ex aliquo repentino strepitu, timor in nobis ingeritur, quasi ignoremus quid hoc sit. Et primo quidem modo timor fuit in Christo, cuius appetitus naturaliter refugiebat doloris sensum et mala futura, quae quidem evitare poterat secundum virtutem divinitatis, non tamen, aut saltem non tam facile secundum infirmitatem carnis; secundo autem modo timor non fuit in Christo, cum nihil incertum esse posset in eo qui omnia noverat.

Attamen, advertendum est quod, si consideretur anima Christi secundum scientiam quam habebat, tunc timor iste non fuit in eo per modum actus perfecti et efficacis qui inducit ad consulendum de modo evadendi mali; sed potius displicentia animae, malum futurum inevitabile refugientis. Sed si consideretur anima Christi secundum rationem inferiorem, quia potuit haberi in ipsa apprehensio mali, praescindendo ab illa plena scientia quam secundum rationem superiorem habebat, quae ideo apprehensio fuit mali futuri, etiam sub quadam ratione incerti aut evitabilis, hinc secundum hoc, timore potuit anima Christi affici[1], qui tamen timor, ut patet, non simpliciter, sed secundum quid in ipsa fuit.

3. — Corollarium. — Unde, tanquam de Christo dicta legimus[2]: *Formido mortis cecidit super me; timor et tremor venerunt super me.* Et S. Cyrillus[3]: *Caro factus permittit carni ut suam patiatur; et ideo ut vere homo praesentem iam in ianuis mortem timescit.* Et quanquam excludi debeat timor quantum ad necessitatem timendi, iuxta illud Hilarii[4]: *Interrogo eos qui hoc ita existimant, an ratione subsistat ut mori timuerit, qui omnem ab apostolis mortis timorem expellens, ad gloriam eos sit martyrii exhortatus,* tamen timorem voluntarie assumpsit, sicut tristitiam assumpserat, ad veritatem humanae naturae comprobandam[5].

4. — Prob 2ª Pars. — Attamen huiusmodi timor non fuit in Christo secundum perfectam passionem, sed solum secundum propassionem, cum non importaret perfectum motum, aver-

1. Ad 3ᵐ. Cf. Cajet. — 2. Ps. LIV, 5, 6. — 3. L. IV, in Io., c. 1. — 4. L. X de Trin. — 5. Ad 2ᵐ.

lentem hominem ab eo quod est rationis ; ideoque dicitur[1] quod *Iesus coepit pavere et taedere,* καὶ ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, quasi secundum propassionem, ut Hieronymus exponit[2] ; ideoque timor iste perperam diceretur terror : Christo enim maxime competit illud[3] : *Iustus... quasi leo confidens absque terrore erit* [4].

ARTICULUS VIII. — *Utrum in Christo fuerit admiratio.*

1. — Ratio quaesiti. — Oritur admiratio ex eo quod aliquid novi, insoliti et excellentis cernitur, quod excitat in animo intentam applicationem aut intentum affectum, sive quia viso aliquo affectu, causa ignoratur, sive etiam quia res inusitata, rara, aut prorsus singularis cognoscenti exhibetur ; unde a Damasceno admiratio dicitur *timor ex magna imaginatione* [5]. Porro, dubitatur utrum in Christo fuerit, quia non videtur ipsi potuisse accidere aliquid novi, insoliti aut excellentis, cum omnia et noverat et aliquo modo facere poterat [6]. Attamen, sit

2. — PROP. — In Christo admiratio esse potuit, modo tamen eius perfectioni congruo.

Prob. Licet non potuerit accidere aliquid novi Christo quantum ad scientiam beatam qua res in Verbo videbat, aut quantum ad scientiam infusam, qua res per species inditas cognoscebat, tamen potuit aliquid novi ipsi accidere quantum ad scientiam experimentalem, secundum quam aliqua nova sibi quotidie poterant occurrere. Ergo, licet quantum ad beatam et inditam scientiam, non potuerit esse in Christo admiratio, tamen, quantum ad scientiam experimentalem, admiratio in eo esse potuit, quia potuit experimentali eius scientiae aliquid de novo occurrere, ex quo admiratio causaretur.

Exinde legimus [7] quod, *audiens Iesus* (centurionis verba), *mirabatus est ; et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam*

1. Marc. XIV, 33. — 2. In illud Matth. XXVI, 37 : *Coepit contristari.* — 3. Prov. XXVIII, 1. — 4. Ad 1[m]. — 5. L. II. Orthod. fid. c. 15. — 6. Ad 1[m]. — 7. Matth. VIII, 10, 12.

fidem in Israel, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον. *Dico autem vobis quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores.*

3. — Notandum. — Ubi advertisse iuvabit Christum hunc effectum ad nostram instructionem assumpsisse, ut scilicet doceret id esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur; unde S. Augustinus ait [1]: *Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri; omnes ergo tales motus eius non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri* [2].

4. — Tacita obiectio. — Hisce habitis, de facili solvitur duplex dubitatio: altera, qua obiicitur in Christo non potuisse esse admirationem, quia ei, utpote magnanimo, non potuit aliquid magnum sive insolitum occurrere, ex quo admiratio in ipso oriretur; altera, qua notatur quod cum omnia facere posset, non potuit ipsi aliquid excellens videri, unde admiratio in eo excitaretur.

Quorum priori *respondetur* quod, licet non potuerit occurrere Christo aliquid magnum seu insolitum quantum ad seipsum, potuit tamen aliquid magnum, seu insolitum ipsi occurrere quantum ad alios; sicut fides centurionis non fuit magna quantum ad ipsum, sed magna fuit per respectum ad alios. Quantum vero ad alterum, advertitur quod Christus omnia quidem secundum virtutem divinam facere poterat, sed secundum hanc in eo admiratio non erat, sed tantum secundum humanam eius scientiam experimentalem, secundum quam omnia facere non poterat, ut superius [4] dictum est [5].

ARTICULUS IX. *Utrum in Christo fuerit ira.*

1. — Quid sit ira. — Passio irae ex motu tristitiae causatur: ex eo enim quod alicui malum infertur unde ipse contristatur, consequitur in eo circa partem sensitivam appetitus repellendi iniuriam, sive sibi sive aliis illatam: ideoque ira est passio compo-

1. L. I, sup. Gen. contra Manich. c. 8. — 2. Cf. S. Thom. Comment. in Matth., loc. cit. — 3. Ad 2^m. — 4. Quaest. XIII. — 5. Hic, ad 3^m.

sita ex tristitia et appetitu vindictae: non quidem composita compositione proprie dicta, scilicet quasi ex tristitia et appetitu vindictae commixtis aliquid tertium resultet, sed compositione large accepta, pro eo ad quod efformandum aliqua necessario concurrunt: siquidem ex tristitia, vindictae appetitio, quae ira est, consequitur.

2. — Quotuplex sit ira. — Porro, appetitus vindictae specificatur a proprio fine: unde quandoque est cum peccato, quando scilicet aliquis vindictam quaerit absque ordine rationis, nempe ut odium suum expleat; et huiusmodi motus vitiosus est et vocatur ira per vitium; quandoque autem sine peccato est, immo est laudabilis, cum nempe aliquis appetit vindictam secundum iustitiae ordinem, ut offensor ab offensione impediatur aut emendetur, et vocatur ira per zelum; de qua S. Augustinus ait[1]: *Zelo domus Dei comeditur qui omnia perversa quae videt satagit emendare; si emendare non potest, tolerat et gemit.* Porro ira, sic accepta, est passio moderata, et ad medium per rationem reducta: unde non irae per zelum, sed solum irae per vitium mansuetudo opponitur, quae medium tenet in ira[2].

Ulterius autem ira per vitium distinguitur ab ira per zelum in eo quod illa, praeveniendo rationem, eam trahit secum ad operandum, haec autem sequitur rationem, et est quasi instrumentum illius. Quapropter ira per vitium dicitur operari, operatio enim attribuitur principali agenti; et hoc sensu intelligi debet id quod dicitur[3], quod *ira viri iustitiam Dei non operatur*. Ira vero per zelum non dicitur operari, quia operatio non attribuitur irae sed rationi, cuius ira est instrumentum[4]. Qua in re nunquam satis mente revolvi poterunt aurea S. Gregorii verba[5]: *Curandum summopere est, ne ira, quae ut instrumentum virtutis assumitur menti dominetur, ne quasi domina praeeat, sed velut ancilla ad obsequium parata a rationis tergo nunquam recedat.* Nam *tunc robustius ira contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur*[6].

3. — PROP. — In Christo fuit ira per zelum.

Propositio ista ex dictis sponte sua oritur, et pulcherrime illu-

1. Tract. X. — 2. Ad 2^m. — 3. Iac. I, 20. — 4. Ad 1^m. — 5. L. V. Mor, c. 30. — 6. Ibid. Cf. S. Thom. 2, 2^ae Quaest. CLVIII, art. 1.

stratur illo loco in quo legitur quod Iesus, cum invenisset in templo vendentes oves, et boves, et columbas, et nummularios sedentes, fecit *quasi flagellum de funiculis*, (et) *omnes eiecit de templo*. (Tunc) *recordati sunt... discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me*[1]. Quod quidem, ut commentatur S. Thomas[2], non potuit fieri, nisi virtute divina, qua et accensam hominum iracundiam suffocare, et mentium turbines sedare poterat ; et aperte manifestat in Christo passionem irae iustissimam quidem et valde laudabilem fuisse. *Sciendum*, ait S. Thomas [3], *quod zelus proprie dicit quamdam intensionem amoris, qua intense diligens nihil sustinet quod amori suo repugnet. Et inde est quod viri diligentes intense uxores, nec in eis sustinentes aliorum consortium, utpote amori eorum contrarium, zelotypi dicuntur. Ille igitur proprie zelum Dei habet, qui nihil patienter sustinere potest contra honorem Dei quem maxime diligit*[4]: *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum. Nos autem debemus diligere domum Domini, secundum illud* [5]: *Domine, dilexi decorem domus tuae. Et in tantum debemus diligere, quod zelus eius nos comedat; dum, si quid contrarium fieri videbimus, studeamus etiam, quantumcumque cari nobis sint qui hoc faciant, removere, nec timeamus propter hoc aliqua mala perpeti: unde dicitur in Glossa : Bonus zelus est fervor animi, quo quis mortis abiecto timore, pro defensione veritatis accenditur. Eo comeditur qui, quaelibet prava, quae viderit, corrigere satagit : et si nequit, tolerat et gemit.*

4. — ***Confirmatur**. — Quod ira per zelum fuerit in Christo, confirmatur ex eo quod in eius persona dicitur [6]: *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea;* necnon [7]: *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi;* ex quibus potest argui internum illum sensualitatis affectum exterius quoque, vultu scilicet ad iram composito, se prodidisse. Quod autem ira per vitium in Christo non fuerit, satis constat ex eo quod ipse iustissimus fuit: *Factus est nobis... iustitia et sanctificatio* [8] : ira autem per vitium iustitiam Dei evacuat.

5. — **Scholion**. — Ultimo iuverit advertisse quod ira in

1. Io. II, 14-17. — 2. Hoc loco. — 3. Ibid. I. — 4. 3. Reg. XIX, 10. — 5. Ps. XXV, 8. — 6. Is. LXIII, 3. — 7. Ibid. 5. — 8. 1, Cor. I, 30.

Christo non solum nullatenus excaecavit, sed nec etiam conturbavit oculum animae eius divina contemplantis. Solemne quippe est illud S. Gregorii [1] quod *ira per vitium excaecat oculum mentis, ira vero per zelum ipsum turbat,* quod quidem in nobis contingit, quia secundum naturalem cursum, animae potentiae se mutuo impediunt ; unde, quando operatio unius potentiae intensa fuerit, alterius potentiae operatio debilitetur oportet ; ideoque motus irae, etiam qui secundum rationem sit moderatus, oculum animae contemplantis utcumque impedit, quia passio irae non est sine vehementia quadam, sanguine accenso circa cor, et ex corde usque in alias partes diffuso. Sed in Christo, divina virtute omnia moderante, ita unicuique potentiae permittebatur agere quod ipsi proprium erat, quod una potentia ex alia non impediebatur; et quemadmodum delectatio mentis contemplantis tristitiam vel dolorem partis inferioris non impediebat, ita etiam, e converso, passiones inferioris partis nullimode actum rationis impediebant [2].

ARTICULUS X. — *Utrum Christus simul fuerit viator et comprehensor.*

1. — In quonam consistat hominis beatitudo. — Quanquam beatitudo obiective spectata consistat in indivisibili, quum sit ipse Deus, qui est hominis ultimus finis, tamen formaliter et subiective, seu ex parte ipsius beati accepta, plura bona continet, scilicet bona animae, quae sunt visio, comprehensio et fruitio, correspondentia fidei, spei et charitati, itidemque bona corporis, seu dotes eius, quae sequuntur corpus gloriosum tanquam qualitates immanentes, et quatuor sunt, scilicet claritas, agilitas, subtilitas et impassibilitas, ex virtute animae glorificatae procedentes, ex qua derivantur, secundum illa quatuor quae anima causat in corpore, scilicet secundum esse substantiale, motum expeditum formas quasdam accidentales seu secundarias, et vires [3]. Cui rei testimonio sunt verba Pauli [4]: *Seminatur* (corpus)

1. L. V, Mor. c. 30. — 2. Ad 3^m. — 3. Cf. infra Quaest. XLV, art. 1, ad 3^m. — 4. 1, Cor. XV, 42, seqq.

in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Igitur hominis beatitudo perfecta consistit in utroque, scilicet in bonis animae, et in bonis corporis simul ; in illis quidem principaliter et proprie ; in istis vero secundario et quasi instrumentaliter : bona enim exteriora organice vel instrumentaliter deserviunt, ait Philosophus [1], bonae operationi, in qua beatitudinis adeptio consistit [2].

2. — Ratio articuli. — Quae cum ita sint, vult hic quaeri utrum et qua ratione Christus, quem ex anteactis disputationibus, tanquam scientiae plenum iam novimus, ideoque visione beatifica donatum, viatoris conditionem habuerit, cum aliquis dicitur viator ex eo quod tendit in beatitudinem, comprehensor vero ex eo quod beatitudinem iam sit adeptus, iuxta illud [3] : *Sic currite ut comprehendatis ;* et rursus [4] : *Sequor autem, si quo modo comprehendam.*

3. — PROP. — Christus ante suam passionem fuit simul comprehensor et viator.

Prob. Quanquam bona quae beatitudinem adaequate constituunt, generatim et per virtutem creatam separari nequeant quamdiu anima corpori coniungitur, tamen hoc divina virtute non debet reputari impossibile, eo vel magis quia beatitudo formaliter non pertinet ad animam secundum suam essentiam, sed secundum superiorem facultatem, scilicet mentem quae, utpote potentia, distinguitur realiter ab ipsa animae essentia. Quocirca, divina virtute fieri potest ut beatitudo, quae est propria facultatum quae sunt animae solius, coerceatur in ipsis, et non derivetur sive ad alias potentias quae scilicet sunt coniuncti, sive ad ipsummet corpus.

Quod quidem in Christo fuit, qui ante suam passionem, secundum mentem, plene videbat Deum, et ita beatitudinem habebat quantum ad id quod est proprium animae ; sed quantum ad alia, deerat ipsi beatitudo : anima enim eius passibilis erat, corpus vero passibile et mortale ; ideoque Christus fuit comprehensor, in

1. 1, Ethic. c. 8. — 2. Ad 2^m. — 3. 1, Cor. IX, 24. — 4. Phil. III, 12.

quantum habebat beatitudinem propriam animae, et viator, in quantum tendebat in beatitudinem, secundum id quod ei de beatitudine deerat.

Quocirca, de Christo legimus [1] : *Exspectatio Israel, Salvator eius in tempore tribulationis : quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?*

4. — Difficultas. — Eidem non convenit quod simul moveatur ad finem et in fine quiescat. Atqui viatori competit moveri in finem, et comprehensori quiescere in fine. Ergo Christo non convenit esse simul viatorem et comprehensorem.

Resp. *Dist. mai.* Secundum idem, *conc.;* secundum diversa, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Impossibile quidem est simul moveri ad finem, et quiescere in fine secundum idem ; non autem hoc repugnat, si fiat secundum diversa, sicut aliquis homo est simul sciens, quantum ad ea quae iam novit, et addiscens quantum ad ea quae nondum scit. Ita Christus fuit comprehensor quantum ad beatitudinem propriam animae, et viator in quantum tendebat ad ea quae sibi deerant de perfecta hominis beatitudine [2].

5. — Corollarium. — Ex hisce omnibus patet ratio cur beati in caelo, ante resurrectionem, non dicantur viatores sed solum comprehensores, licet nondum habeant beatitudinem corporis ; corporibus nempe iacentibus in sepulchro, et solis animabus beatitudine fruentibus. Non enim eadem est de sanctorum animabus ac de Christo ratio, et hoc quidem propter duo : *primo*, quia animae sanctorum non sunt passibiles sicut fuit passibili anima Christi secundum inferiorem partem, *secundo*, quia corpora ipsa non agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus, secundum corporis passiones, in beatitudinem tendebat quantum ad gloriam corporis [3].

1. Hierem. XIV, 8. — 2. Ad 1^m. — 3. Ad 3^m.

EPILOGUS

Et haec, quae respiciunt ipsum Incarnationis mysterium in se et quoad modum quo mirabilis illa unio est peracta, dicta sint ad laudem et gloriam eiusdem Verbi Incarnati, a quo omne generis nostri decus procedit. Ceteris quae in secunda parte exponuntur, respicientibus ea quae unionem consecuta sunt nec non ea quae Christus pro nobis egit et passus est, via pandetur ad plenius intelligendum quantum, pro redemptionis beneficio, debitores simus Agno qui occisus est, qui proinde dignus est *accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem*[1]. Amen.

1. Apoc. V, 12.

EXPLICIT TOMUS PRIOR
DE INCARNATIONE VERBI

INDEX

QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

TRACTATUS DE INCARNATIONE VERBI

QUAESTIO PRIMA

De convenientia Incarnationis

Paginae

ART. I. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari 13
— II. Utrum fuerit necessarium ad reparationem humani generis. 17
— III. Utrum si non fuisset peccatum Deus fuisset incarnatus... 29
— IV. Utrum principalius sit incarnatus ad tollendum originale peccatum quam actuale 39
— V. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari a principio mundi 44
— VI. Utrum eius incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi 50
DISSERTATIO SPECIALIS 56

QUAESTIO SECUNDA

De modo unionis Verbi incarnati quoad ipsam unionem

ART. I. Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura 94
— II. Utrum sit facta in persona 103
— III. Utrum sit facta in supposito, vel hypostasi 110
— IV. Utrum persona, vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita 114
— V. Utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo. 119
— VI. Utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter. 123
— VII. Utrum ipsa unio sit aliquid creatum 134
— VIII. Utrum sit idem quod assumptio 138
— IX. Utrum sit maxima unionum quae creaturis conveniunt.. 142
— X. Utrum unio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam 145

Paginae
— XI. Utrum eam aliqua merita praecesserint..... 149
— XII. Utrum gratia fuerit homini Christo naturalis..... 155
Dissertatio specialis..... 158

QUAESTIO TERTIA

De modo unionis ex parte personae assumentis

Art. I. Utrum assumere conveniat personae divinae..... 178
— II. Utrum conveniat divinae naturae..... 182
— III. Utrum natura possit assumere, abstracta personalitate... 189
— IV. Utrum una persona possit assumere sine alia..... 19[illegible]
— V. Utrum quaelibet persona possit assumere.....
— VI. Utrum plures personae possint assumere unam naturam numero.....
— VII. Utrum una persona possit assumere duas naturas numero
— VIII. Utrum magis fuerit conveniens de persona Filii, assumpserit humanam naturam quam de alia persona divina

QUAESTIO QUARTA

De modo unionis ex parte naturae humanae assumptae

Art. I. Utrum humana natura fuerit magis assumptibilis a Filio Dei quam alia natura..... 219
— II. Utrum assumpserit personam..... 224
— III. Utrum assumpserit hominem..... 235
— IV. Utrum fuisset conveniens quod assumpsisset humanam naturam separatam a singularibus..... 238
— V. Utrum fuisset conveniens quod assumpsisset humanam naturam in omnibus eius singularibus..... 244
— VI. Utrum fuisset conveniens quod assumpsisset humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adae progenito..... 247

QUAESTIO QUINTA

De modo unionis ex parte partium humanae naturae

Art. I. Utrum Filius debuerit assumere verum corpus..... 254
— II. Utrum debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem..... 258
— III. Utrum assumpserit animam..... 262

Paginae

— IV. Utrum assumere debuerit intellectum.... 266
Dissertatio specialis 271

QUAESTIO SEXTA

De modo assumptionis quantum ad ordinem

Art. I. Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.. 281
— II. Utrum assumpserit animam mediante spiritu sive mente. 285
— III. Utrum anima fuerit prius assumpta, quam caro.... 287
IV. Utrum caro fuerit prius assumpta, quam animae unita... 290
V. Utrum tota natura humana sit assumpta mediantibus par-
..... 293
. Utrum Filius Dei assumpserit humanam naturam me-
e gratia 296

QUAESTIO SEPTIMA

De coassumptis a Filio Dei in humana natura pertinentibus ad perfectionem, et primo de gratia Christi, prout est singularis homo

Art. I. Utrum in anima Christi sit aliqua gratia habitualis..... .. 306
— II. Utrum in Christo fuerint virtutes..... 309
— III. Utrum in Christo fuerit fides..... 314
— IV. Utrum in Christo fuerit spes..... .. 316
— V. Utrum in Christo fuerint dona 319
— VI. Utrum in Christo fuerit donum timoris..... 322
— VII. Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae..... ... 325
— VIII. Utrum in Christo fuerit prophetia..... 328
— IX. Utrum in Christo sit plenitudo gratiae..... . . 333
— X. Utrum talis plenitudo sit propria Christi..... 337
— XI. Utrum gratia Christi sit infinita..... 340
— XII. Utrum gratia Christi potuerit augeri..... 344
— XIII. Qualiter haec gratia se habeat ad unionem, an scilicet subsequatur vel praecedat.... 347
Appendix I. De Christi gratia initiali..... 351
Appendix II. De charitate Christi..... 356

QUAESTIO OCTAVA

De gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiae

Art. I. Utrum Christus sit caput Ecclesiae. 362

Paginae

— II. Utrum sit caput omnium quantum ad corpus, vel solum quantum ad animam 367
— III. Utrum sit caput omnium hominum 372
— IV. Utrum sit caput angelorum 377
— V. Utrum gratia, secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum gratia habituali secundum quam est quidam homo singularis 382
— VI. Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christi 385
— VII. Utrum diabolus sit caput omnium malorum 388
— VIII. Utrum antichristus possit etiam dici caput malorum 392

QUAESTIO NONA

De coassumptis a Filio Dei in natura humana pertinentibus ad perfectionem, scilicet de scientia Christi in communi

Art. I. Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam 397
— II. Utrum habuerit scientiam quam habent beati vel comprehensores 401
— III. Utrum habuerit scientiam inditam vel infusam 406
— IV. Utrum habuerit aliquam scientiam acquisitam 412

QUAESTIO DECIMA

De scientia beata quae pertinet ad animam Christi

Art. I. Utrum anima Christi comprehenderit Verbum sive divinam essentiam 421
— II. Utrum cognoverit omnia in Verbo 424
— III. Utrum anima in Verbo cognoverit infinita 428
— IV. Utrum videat Verbum sive divinam essentiam clarius qualibet alia creatura 433

QUAESTIO DECIMA PRIMA

De scientia indita vel infusa animae Christi

Art. I. Utrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia 439
— II. Utrum hac scientia uti potuerit non convertendo se ad phantasmata 443
— III. Utrum haec scientia fuerit collativa 446
— IV. Utrum haec scientia in Christo fuerit minor scientia angelorum 449

Paginae
— V. Utrum fuerit scientia habitualis 450
— VI. Utrum fuerit distincta per diversos habitus 453

QUAESTIO DECIMA SECUNDA

De scientia animae Christi acquisita vel experimentali

Art. I. Utrum secundum hanc scientiam cognoverit omnia 459
— II. Utrum in hac scientia profecerit 462
— III. Utrum aliquid ab homine didicerit 465
— IV. Utrum Christus aliquid acceperit ab Angelis 469

QUAESTIO DECIMA TERTIA

De potentia animae Christi

Utrum habuerit omnipotentiam simpliciter 475
Utrum habuerit omnipotentiam respectu corporalium crea-
..... 489
III. Utrum habuerit omnipotentiam respectu proprii cor-
..... 491
— IV. Utrum habuerit omnipotentiam respectu propriae suae
divinitatis 493

QUAESTIO DECIMA QUARTA

De defectibus, quos Christus in humana natura assumpsit, quantum ad corpus

Art. I. Utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus 498
— II. Utrum assumpserit necessitatem his defectibus subiacendi. 503
— III. Utrum contraxerit hos defectus 507
— IV. Utrum assumpserit omnes huiusmodi defectus 509

QUAESTIO DECIMA QUINTA

De defectibus quos Christus assumpsit in humana natura, quantum ad animam

Art. I. Utrum in Christo fuerit peccatum 516
— II. Utrum in eo fuerit fomes peccati 520
— III. Utrum in eo fuerit ignorantia 526
— IV. Utrum anima Christi fuerit passibilis 528

Paginae

— V. Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis..... 532
— VI. Utrum in Christo fuerit tristitia..... 536
— VII. Utrum in Christo fuerit timor..... 539
— VIII. Utrum in Christo fuerit admiratio..... 541
— IX. Utrum in Christo fuerit ira..... 542
— X. Utrum simul fuerit viator et comprehensor..... 545
Epilogus..... 548

LAUS DEO ET DEIPARAE

Chalon-s.-Saône. — Imprimerie Française et Orientale, E. BERTRAND

TRACTATUS
DE
INCARNATIONE VERBI
PARS II

Omnia iura proprietatis auctor et editor sibi vindicant.

CHALON-SUR-SAÔNE, IMPRIMERIE DE E. BERTRAND

INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TRACTATUS
DE
INCARNATIONE VERBI

PARS II

De consequentibus unionem et de his quae Christus egit et passus est
(3, Quaest. XVI — LIX)

AUCTORE

FR. ALEXIO MARIA LÉPICIER

ORD. SERV. B. M. V.
IN COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
THEOLOGIAE PROFESSORE

Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo (1. Io. IV, 15).

PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA CASSETTE, 10

APPROBATIONES

AVE † MARIA

Libentissime concedimus ut opus cui titulus *Tractatus de Incarnationis Mysterio* a Reverendissimo P. Mag. ALEXIO M. LÉPICIER, Ordinis nostri Procuratore Generali, in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiae Dogmaticae Professore, eiusdemque S. Congregationis Consultore, etc., typis edi possit, servatis aliunde de iure servandis.

Romae, ex Conv. nostro S. Mariae in Via, die 24 Iunii 1905.

† Loco sigilli. Fr. PEREGRINUS M. STAGNI,
Ord. Servor. B. M. V. Prior Generalis.

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P. S. P. Ap. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPHUS CEPPETELLI, Patr. Const., Vicesgerens.

PRAEFATIO

Parum nobis profuisset Filium Dei incarnari, nisi in ea carne quam assumpsit ea egisset et passus esset quibus, ex Patris ordinatione, nostram salutem promereretur. Igitur considerationem de mysterio Incarnationis in se inspecto sponte suscipit consideratio de iis quae Christus in humana natura, ad genus humanum redimendum Patrique reconciliandum, perfecerit. Unde quemádmodum secunda pars Tractatus de Deo Uno ea respicit quae ad divinam operationem pertinent, ita etiam altera de Incarnationis mysterio tractatio in iis explicandis versatur, quibus Filius Dei factus homo mundum Patri reconciliavit. Quapropter et de principiis humanae operationis in Christo et de iis quae in natura assumpta Christus peregit potissime hic sermo recurret.

Quae quidem plura sunt quam ut mente concipi aut verbis explicari possint : siquidem huc impulit Christum vehementissima illa qua Cor eius aestuabat divini amoris flamma, ut postquam sua omnia nobis, nil sibi reservans, tradiderit, se ipsum ultro crudelissimae morti obtulerit, hostiam Deo gratam pro peccatis hominum, quibus sua passione et morte divina beneficia in salutem animarum largus conciliavit. Sic enim factum est ut non modo sequentibus se Christus suppetias ferret ad finem ultimum rite assequendum, sed etiam ut rebelles hostium voluntates, nolentium Deum supra se regnare, fortissime simul ac suavissime ad semetipsum attraheret.

Quae quidem consideratio haud parum solatii spesque hisce diebus animo adiicit, cum videmus nationes, ad lucem Evangelii iamdudum vocatas, Dei gratia neglecta, et Salvatoris suavissimo

iugo abiecto, ad castra superbi ducis Averni confugere, et contra sanctissimum Redemptorem acri contendere bello. Horum autem Christi inimicorum insania huc modo devenit, ut arte subdola leges sanxerint animarum saluti adeo infensas, ut omnem Salvatoris in fideles influxum intercipere praesumant, praeclusa omni Ecclesiae libertate in divinorum mysteriorum dispensatione. Quorum tamen nequitiam potentissima Christi gratia, quae de cunctis hostibus victrix rediit, profligabit; iterumque eventu firmabitur quod Romae in obelisco plateae S. Petri legitur : CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS IMPERAT, CHRISTUS AB OMNI MALO PLEBEM SUAM LIBERAT !

Romae, in festo S. Marcelli, Papae et Martyris, 1906.

INDEX RERUM

PROOEMIUM
IN SECUNDAM PARTEM

Paginae

1. Ratio huius secundae partis 1
2. Ordo quaestionum huius partis 1

QUAESTIO DECIMA SEXTA

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI

Prologus

1. Ratio praesentis quaestionis 5
2. Quid sit idiomatum communicatio 5
3. Gravitas huius quaestionis 5
4. Ordo quaestionis 6

ART. I. — *Utrum haec sit vera : Deus est homo*

1. Praenotandum 8
2. Errores 8
3. Veritas catholica 9
4. PROP. — Haec propositio, DEUS EST HOMO, est vera, propria et per se, quasi in materia naturali et necessaria 10
5. PROB. ratione theologica 10
6. Explicatur 10
7. SCHOLION. Comparatio inter Incarnationem et Trinitatem 11
8. DIFFICULTATES SOLVUNTUR 12

ART. II. — *Utrum haec sit vera : Homo est Deus*

1. PROP. — Haec propositio : HOMO EST DEUS, est vera et propria .. 13

Paginae

2. Scholion. Dicendo : *Homo est Deus,* non incurritur crimen idololatriae 13
3. Difficultas solvitur 14

Art. III. — *Utrum Christus possit dici homo dominicus*

1. Prop. — Non potest vere et proprie dici quod homo ille, scilicet Christus, sit dominicus, sed magis quod sit dominus 14
2. Verba S. Augustini 15
3. Scholia. I. *Divinum* praedicari potest de Christo. — II. Christus nequit dici *homo deificatus,* sed dici potest *Deus humanatus* 15

Art. IV. — *Utrum ea quae conveniunt Filio hominis possint praedicari de Filio Dei et e converso*

1. Ratio articuli 16
2. Prop. — Ea quae conveniunt Filio hominis possunt praedicari de Filio Dei et e converso 17
3. Ratio theologica 17
4. Scholion. Attendi debet in praedicatione ad id secundum quod fit praedicatio 18
5. Difficultas solvitur 19
6 Quaestio. *Cur Felix III damnaverit in Petro Cnaphaeo, episcopo Antiocheno, hanc propositionem :* Unus de Trinitate passus est ? 19

Art. V. — *Utrum quae conveniunt Filio hominis possint praedicari de divina natura, et de humana ea quae conveniunt Filio Dei*

1. Error 20
2. Prop. — Ea quae conveniunt Filio hominis non possunt praedicari de divina natura, nec de humana ea quae conveniunt Filio Dei 20
3. Prob. ratione theologica 20
4. Scholia. I. Abstracta unius naturae non possunt praedicari de nominibus alterius naturae sive in abstracto sive in concreto.— II. Nequit dici : *Divina natura est passa.* — III. Nequit dici : *Humana natura est increata.*— IV. Ubiquistae redarguuntur. 21

Art. VI. — *Utrum haec sit vera : Deus factus est homo*

1. Ratio articuli 22
2. Prop. — Haec propositio : Deus factus est homo, est vera 22
3. Prob. ratione theologica 23

Paginae

4. Scholia. I. Nequit dici : *Deus factus est simpliciter*. — II. Ex eo quod Deus factus est homo, nequit inferri illum esse subiectum mutationis. — III. Non licet dicere : *Deus factus est persona Filii Dei, aut persona divina* 23

Art. VII. — *Utrum haec sit vera : Homo factus est Deus*

1. Praenotandum 24
2. Prop. — Haec propositio : Homo factus est Deus, simpliciter intellecta, est falsa 24
3. Prob. ratione theologica 25
4. Tacita obiectio 25
5. Corollarium. Illa propositio simpliciter intellecta sapit haeresim Nestorii 25
6. Scholia. Qua ratione illa propositio salvari possit 26

Art. VIII. — *Utrum haec sit vera : Christus est creatura*

1. Error 26
2. Prop. — Absolute non est concedendum quod Christus sit creatura, sed solum cum determinatione. — Exponitur 27
3. Patrum auctoritas 27
4. Scholion. Ad vitandum Manichaei errorem simpliciter dici nequit Christum esse impassibilem 28
5. Difficultas solvitur 28

Art. IX. — *Utrum haec sit vera : iste homo, demonstrato Christo incepit esse*

1. Prop. — Non est dicendum quod ille homo, demonstrato Christo, inceperit esse, nihil addito 28
2. Prob. ratione theologica 29
3. Corollarium. S. Augustini verba cum determinatione exponenda 29
4. Difficultas solvitur 29

Art. X. — *Utrum haec sit vera : Christus, secundum quod homo, est creatura*

1. Ratio articuli 30
2. Quid sit propositio reduplicativa 30
3. Quomodo fiat reduplicatio 30
4. Prop. — Potest secundum veritatem dici : Christus, secundum quod homo, est creatura. — Prob 31

Paginae
5. Scholion. Quomodo illa propositio possit esse falsa 32
6. Tria notanda 32

Art. XI. — *Utrum haec sit vera : Christus, secundum quod homo, est Deus*

1. Prop. — Haec propositio : Christus, secundum quod homo, est Deus, magis est neganda quam asserenda 32
2. Tria notanda 33

Art. XII. — *Utrum haec sit vera : Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona*

1. Prop. — Haec propositio : Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona, est simpliciter falsa 34
2. Scholion. Si terminus *homo* accipiatur in reduplicatione pro supposito, propositio erit vera 34
3. Tria notanda 34

APPENDIX

REGULAE COMMUNICATIONIS IDIOMATUM

1. Principium generale 36
2. Regulae speciales quinque 36
3. Corollarium. Praedicationes circa Trinitatem et circa Incarnationem 37
4. Scholion. Quid de hac propositione : *Christus est divinitas et humanitas simul* 37

QUAESTIO DECIMA SEPTIMA

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE

Prologus

Ratio et ordo quaestionis 39

Art. I. — *Utrum Christus sit unum vel duo*

1. Praenotandum 39
2. Prop.— Christus est non modo unus, sed etiam unum, non autem duo 40

Paginae

3. Prob. ratione theologica ... 40
4. Quomodo utraque natura praedicatur de Christo ... 41
5. Excluditur falsa quorumdam positio ... 42
6. Quaestiones. I. *Quonam sensu sint intelligenda ista S. Augustini verba :* quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem? — II. *Quid sibi velit S. Augustinus, cum ait :* Cum in forma Dei esset formam servi accepit, utrumque unus : sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem? — III. *Utrum haec sit vera :* Christus est tantum homo? ... 42
7. Difficultas solvitur ... 44

Art. II. — *Utrum in Christo sit tantum unum esse*

1. Praenotanda ... 45
2. Ratio dubitandi ... 46
3. Distinctio τοῦ esse a personalitate ... 46
4. Sententiae ... 46
5. Prop. — Esse personale actualis existentiae in Christo est unum tantum ... 46
6. Exponitur argumentum ... 47
7. Confirmatur ... 48
8. Corollarium. Quomodo sit unum tantum esse in Christo et in Trinitate ... 49
9. Scholion. Duplex habitudo unius esse in Christo ... 49
10. Difficultates solvuntur ... 49

QUAESTIO DECIMA OCTAVA

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM

Prologus

1. Ratio quaestionis ... 51
2. Ordo quaestionis ... 52

Art. I. — *Utrum in Christo sint duae voluntates*

1. Quid hic quaeratur ... 53
2. Dubitandi rationes ... 53
3. Prop. — Necesse est dicere quod in Christo sunt duae voluntates, una scilicet divina, et alia humana ... 54
4. Prob. ex Sacra Scriptura ... 54

Paginae

5. Ratio theologica 55
6. Difficultates solvuntur 55

Art. II. — *Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis, praeter rationis voluntatem*

1. Ratio dubitandi 57
2. Prop. — In Christo fuit voluntas sensualitatis praeter voluntatem rationis 58
3. Prob. ratione theologica 58
4. Scholion. Non fuit in Christo fomitis corruptio 58
5. Corollarium. Sensualitas non dicitur voluntas, nisi quia participat voluntatem rationis 59

Art. III. — *Utrum in Christo fuerint duae voluntates quantum ad rationem*

1. Praenotandum 59
2. Prop. — In Christo voluntas α) sumpta pro actu potentiae, duplex est : una ut natura, altera ut ratio; β) sumpta vero pro potentia voluntatis essentialiter, est una tantum. — Prob. I^a pars. 59
3. Scholion. Ad voluntatem, ut *natura* est, reducitur voluntas *pietatis* 60
4. Prob. 2^a pars 60
5. Confirmatur 60

Art. IV. — *Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium*

1. Ratio articuli 61

§ I. Quid sit liberum arbitrium

2. Ratio liberi arbitrii 61
3. Advertenda. Dubitatio et inquisitio non fuerunt in Christo 62

§ II. Existentia et ratio liberi arbitrii in Christo

4. Error Lutheri, Calvini et Iansenii 63
5. Prop. — Necesse est ponere in Christo liberum arbitrium 63
6. Prob. ratione theologica 63
7. Ad quaenam se extenderit Christi libertas 63
8. Sacrae Scripturae auctoritas 64

§ III. Quo tempore Christus coeperit uti libero arbitrio

Paginae
9. Prop.— Christus habuit liberum arbitrium in primo instanti suae conceptionis ... 65
10. Solvuntur obiectiones ... 65

§ IV. Quid de Christi libertate sub vi paterni praecepti sit decernendum

11. Difficultas ... 66
12. Sententia duplex ... 66
13. Reiicitur prima sententia ... 67
14. Reiicitur secunda sententia ... 68

§ V. Vera sententia statuitur

15. Prop.— Christus verum et strictum moriendi praeceptum accepit a Patre, non modo quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias mortis, ab eius voluntate minime dependens; in quo adimplendo impeccabilitas eius non officit eius libertati, et consequenter eius meritum non tollit ... 69
16. Notanda ... 69
17. Explicatur propositio ... 69

§ VI. Utrum Christus fuerit liber quantum ad praecepta legis naturalis

18. Quaestio ... 70
19. Prop.— Christus circa praecepta legis naturalis sive positiva, sive negativa, liber non fuit ... 71
20. Quid de Dei dilectione dicendum sit ... 71

Art. V.— *Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito*

1. Ratio articuli ... 72
2. Praemonenda ... 72
3. Prop. — Voluntas Christi α) ut est natura, aut etiam voluntas per participationem, potuit aliud velle quam Deus ; β) ut est autem ratio, omnino fuit conformis divinae voluntati in volito. — Prob. 1ª pars ... 73
4. Prob. 2ª pars ... 73
5. Scholion. Voluntas Christi dici debet *simpliciter* conformis voluntati Patri ... 74
6. Quaestio. *Utrum in Christo fuerint actus inefficaces et imperfecti*

Paginae

voluntatis deliberatae, seu consideratae ut est ratio, qui actus dicuntur etiam velleitates, sive secundum rationem superiorem, quae scilicet intendit aeternis, sive secundum rationem inferiorem quae intendit temporalibus, quale fuisset desiderium quod non moreretur ut impedirentur Iudaeorum peccata, aut ut vitaretur Hierosolymorum eversio ? 75
7. Patrum dicta 75

ART. VI. — *Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatis*

1. Ratio articuli 76
2. Quid requiratur ad contrarietatem habendam 76
3. Advertendum 77
4. PROP. — In Christo non fuit aliqua contrarietas voluntatis 77
5. PROB. ratione theologica 77
6. COROLLARIUM. Pax summa fuit in viribus animae Christi 78
7. QUAESTIO I. *Quisnam sit sensus istorum verborum* (Luc, XXII, 23): FACTUS IN AGONIA PROLIXIUS ORABAT ? 79
8. QUAESTIO. I. *Quonam sensu accipienda sint verba orationis dominicae :* FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CAELO ET IN TERRA ? 79

QUAESTIO DECIMA NONA

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM

Prologus

1. Ratio quaestionis 81
2. Divisio quaestionis 81

ART. I. — *Utrum in Christo sit una tantum operatio divinatis et humanitatis*

1. Ratio articuli 82
2. PROP. — In Christo non est una tantum operatio divinitatis et humanitatis 82
3. Haereticorum sententia 83
4. Refutatio huius sententiae 84
5. PROB. PROP. ratione theologica 85
6. SCHOLION. Divina natura utitur operatione humanae naturae, sicut operatione sui instrumenti 85

Paginae

7. Confirmatur 86
8. Corollarium. Operatum utriusque operationis 87
9. Quaestio. *Quonam sensu dicere liceat Christi operationem esse theandricam?* 87
10. Confirmatur praedicta interpretatio 88
11. Difficultates solvuntur 88

Art. II. — *Utrum in Christo sint plures operationes humanae*

1. Ratio dubitandi 91
2. Sensus quaestionis 91
3. Quid sit operatio humana 91
4. Principium 92
5. Corollarium. Quid de operatione elementaris corporis, animae vegetativae, animae sensitivae et animae rationalis in Christo .. 92
6. Prop. — In Christo est operatio humana una, multo magis quam in quocumque alio homine 93
7. Confirmatur 93

Dissertatio specialis

Synopsis haereseos monothelitarum 94
Constantinopolitana fidei professio de duabus in Christo operationibus 101

Art. III. — *Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria*

1. Ratio articuli 102
2. Praenotanda 103
3. Errores 103
4. Prop. — Actio humana Christi fuit ipsi meritoria, non tamen omnium eorum quae habuit 104
5. Prob. ratione theologica 104
6. Non tamen omnia Christus sic habuit 105
7. Tacita obiectio solvitur 105
8. Scholion. Quotuplici modo quis mereri possit 106
9. Corollarium. Quaenam Christus non meruerit 107
10. Quaestiones. I. *Utrum Christus eodem modo meruerit gloriam proprii corporis et manifestationem suae excellentiae sive altitudinis?* — II. *Quomodo Christus meruit exaltationem animae et corporis?* 107

Art. IV. — *Utrum Christus aliis mereri potuerit*

1. Praemonendum 109

Paginae
2. Prop. — Christus aliis mereri potuit merito stricte accepto ... 109
3. Prob. ratione theologica ... 110
4. Scholia. I. Meritum Christi ad homines non derivatur, nisi incorporentur Christo. — II. Omnia quae ad salutem pertinent Christus nobis promeruit ... 110
5. Difficultas solvitur ... 111
6. Quaestio. *Quandonam Christus mereri coeperit?* ... 112

QUAESTIO VIGESIMA

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBIECTUS

Prologus

Ordo quaestionis ... 113

Art. I. — *Utrum dicendum sit Christum esse subiectum Patri*

1. Praenotandum ... 113
2. Prop. — Christus est Patri subiectus α) subiectione minorationis, β) servitutis et γ) obedientiae. — Prob. ratione theologica ... 113
3. Exponitur ... 114
4. α) Subiectio minorationis ... 114
5. β) Subiectio servitutis ... 115
6. γ) Subiectio obedientiae ... 115
7. Difficultas solvitur ... 115
8. Scholion. Christus ut homo legi humanae subiectus non fuit ... 116
9. Quaestio. *Utrum Christus possit dici servus Patris?* ... 116
10. Tacita obiectio solvitur ... 117

Art. II. — *Utrum Christus sit subiectus sibi ipsi*

1. Praenotandum ... 118
2. Prop. — Christus dici potest sibi subiectus, α) non ratione hypostasis, sed β) ratione naturae. — Prob. 1ª pars ... 118
3. Prob. 2ª pars ... 119
4. Confirmatur ... 119
5. Scholion. Ratio plura de Christo praedicandi ... 120

QUAESTIO VIGESIMA PRIMA

DE ORATIONE CHRISTI

Prologus

Paginae

Ratio et ordo quaestionis 121

ART. I. — *Utrum Christo competat orare*

1. Orationis nomen 122
2. Orationis necessitas 122
3. Ad quamnam virtutem pertinet oratio 123
4. Effectus orationis 123
5. Quid sit oratio 123
6. Partes orationis 124
7. Ratio articuli 124
8. PROP. — Fuit conveniens ut Christus Patrem oraret. — EXPONITUR 125
9. SCHOLION. Cur Christus, qua homo, debuerit Patrem orare 126
10. COROLLARIA. I. Christus orans ascendebat per intellectum in Deum. — II. Christus a nobis non est sic invocandus : *Ora pro nobis.* — III. Ambigua Patrum dicta quomodo intelligenda 126
11. DIFFICULTAS SOLVITUR 127

ART. II.— *Utrum Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem*

1. Praenotandum 127
2. PROP. — Christus oravit α) elicitive per solam rationem, β) obiective autem et quasi materialiter etiam sensualitate. — PROB. 1ª PARS 128
3. Confirmatur 128
4. PROB. 2ª PARS 128
5. SCHOLION. Ex vehementi motu voluntatis in Christo etiam eius caro exultavit 129
6. DIFFICULTAS SOLVITUR 129

ART. III. — *Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare*

1. Ratio articuli 129
2. PROP. — Christus convenienter pro se oravit α) tum exprimendo

Paginae

affectum sensualitatis vel simplicis voluntatis, β) tum etiam exprimendo affectum voluntatis deliberatae. — PROB. 1ª PARS. 130
3. PROB. 2ª PARS. ... 130
4. Duo adnotantur. ... 130
5. SCHOLION. Christus pro se solo nunquam oravit. ... 131

ART. IV. — *Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita*

1. Quid sit orationem exaudiri. ... 131
2. PROP.— Omnis oratio Christi fuit exaudita ... 131
3. Confirmatur. ... 132
4. SCHOLION. Verba : *Clamabo per diem et non exaudies*, referenda sunt ad affectum sensualitatis. ... 132
5. DIFFICULTAS SOLVITUR. ... 132
6. QUAESTIO. *Quomodo sint intelligenda verba* (Matth. XXVI, 39) : PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE ? ... 133

QUAESTIO VIGESIMA SECUNDA

DE SACERDOTIO CHRISTI

Prologus

1. Ratio quaestionis ... 135
2. Quaestionis divisio ... 135

ART. I. — *Utrum conveniat Christo esse sacerdotem*

1. Quid sit esse sacerdotem ... 136
2. PROP.— Christo maxime convenit esse sacerdotem ... 137
3. PROBATUR ratione theologica. ... 137
4. SCHOLION. Christus sacerdos non solum hominibus, sed etiam angelis excellentior fuit. ... 137
5. Comparatio inter sacerdotium Christi et sacerdotium Veteris Legis ... 138
6. QUAESTIO. *Utrum Christus fuerit etiam legislator ?* ... 139
7. Comparatio inter Christum et Novae Legis sacerdotes. ... 140

ART. II. — *Utrum Christus simul fuerit sacerdos et hostia*

1. Ratio articuli ... 141
2. PROP. — Christus, in quantum homo, non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta. — PROB. ... 141

Paginae

3. Exponitur minor 141
4. Corollarium. Christus simul fuit hostia pro peccato, hostia pacifica et holocaustum 142
5. Scholia. I. Sacrificium Christi multum differt a sacrificiis gentilium. — II. Humanitas Christi quomodo per sacrificium santificata 142

Art. III. — *Utrum effectus sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum*

1. Novae Legis sacrificium 143
2. Prop. — Christi sacerdotium habet plenam vim expiandi peccata.. 144
3. Prob. ratione theologica 144
4. Corollarium. Falsa Socinianorum sententia de effectu sacerdotii Christi 145
5. Scholion. Operatio sacrificii Novae Legis est in se perfectissima 145

Art. IV. — *Utrum effectus sacerdotii Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad ipsum*

1. Praenotandum 146
2. Prop. — Christo α) non convenit effectum sacerdotii in se simpliciter suscipere, sed β) tantum secundum quid 147
3. Prob. 1ª pars 147
4. Prob. 2ª pars 147
5. Corollarium. Quam superius sit sacerdotium Christi sacerdotio figurali Veteris Legis 148

Art. V. — *Utrum sacerdotium Christi permaneat in aeternum*

1. Praenotandum 149
2. Prop. — Sacerdotium Christi, habito respectu ad eius consummationem, vere manet in aeternum. — Prob. 149
3. Scholion. Quomodo, consummatio sacrificii Christi praefiguraretur per ritum Legis Veteris 150
4. Quaestio. *An possit dici sacerdotium Christi manere in aeternum ratione personae et officii?* 150

Art. VI. — *Utrum sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech*

Comparatio inter sacerdotium Christi et sacerdotium Melchisedech 151

Paginae

2. Prop. — Christus est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. — Prob. ... 151
3. Corollarium. Sacerdotium Melchisedech figura excellentiae sacerdotii Christi ... 152
4. Tacita obiectio solvitur ... 152
5. Scholion. Haec excellentia sacerdotii Christi in Scriptura praenuntiata ... 152

QUAESTIO VIGESIMA TERTIA

DE ADOPTIONE CHRISTI, AN CHRISTO CONVENIAT

Prologus

1. Ratio quaestionis ... 154
2. Ordo quaestionis ... 154

Art. I. — *Utrum Deo conveniat filios adoptare*

1. Quid sit adoptio ... 155
2. Quid sit iustificatio ... 155
3. Prop. — Deo convenit homines adoptare, id est, facere sibi filios adoptivos ... 155
4. Prob. ratione theologica ... 156
5. Discrimen quadruplex inter adoptionem ex parte Dei et adoptionem ex parte hominum ... 156
6. Scholion. Quid de reprobis, de praedestinatis et de sanctis Veteris Testamenti quantum ad adoptionem dicendum sit ... 157

Art. II. — *Utrum adoptare conveniat toti Trinitati*

1. Ratio articuli ... 158
2. Prop. — Adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati. — Prob. ... 158
3. Confirmatur ... 158
4. Corollaria. I. Per adoptionem efficimur fratres Christi. — II. Discrimen inter adoptionem quae est penes homines, et adoptionem quae est penes Deum ... 159
5. Scholion. Adoptio diversimode appropriatur Patri, Filio et Spiritui Sancto ... 159

ART. III. — *Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturae*

Paginae

1. Ratio articuli ... 160
2. PROP.— Adoptari soli creaturae rationali convenit charitatem habenti. — PROB. ... 160
3. Declaratur ... 160
4. SCHOLIA. I. Qua ratione Deus dicitur pater creaturae irrationalis. — II. Angeli quoque sunt filii Dei adoptivi. — III. Adoptio est proprium consequens gratiam ... 161

ART. IV. — *Utrum Christus secundum quod homo sit filius Dei adoptivus*

1. Ratio articuli ... 162
2. Errores ... 162
3. PROP. — Christus nullo modo potest dici Filius adoptivus. — PROP. Ex S. Scriptura ... 163
4. Ex traditione ... 163
5. Ex ratione theologica ... 164
6. Confirmatur ... 165
7. SCHOLION. Explicatur quomodo in Christo non sit nisi unica filiatio, licet sit duplex nativitas ... 165
8. TACITA OBIECTIO ... 167
9. COROLLARIUM. Ex negata hac propositione : *Christus, ut homo, est Filius Dei adoptivus*, licet inferre : *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis* ... 167
10. DIFFICULTAS SOLVITUR ... 168
11. SOLVITUR DUBIUM ... 168

SYNOPSIS HAERESEOS ADOPTIONISTARUM ... 171

QUAESTIO VIGESIMA QUARTA

DE PRAEDICATIONE CHRISTI

Prologus

1. Ratio quaestionis ... 174
2. Ordo quaestionis ... 174

ART. I. — *Utrum Christo conveniat praedestinatum esse*

1. Ratio dubitandi ... 175
2. PROP. — Christo convenit praedestinatum esse ... 175

Paginae

3. Ratio theologica. 176
4. Christus est praedestinatus ratione personae, non naturae..... 176
5. Scholion. Antecessio quam importat nomen *praedestinatus* refertur ad personam,non secundum seipsam, sed ratione naturae humanae 177
6. Notandum. — Nequit dici quod homo ille sit factus Filius Dei .. 177

Art. II. — *Utrum haec sit falsa : Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei*

1. Sensus quaestionis..... 178
2. Prop.— Christus, secundum quod homo, praedestinatus est esse Filius Dei..... 179
3. Prob. ratione theologica..... 179
4. Confirmatur..... 180
5. Scholion. Humana Christi natura praedestinationis susceptiva.. 180
6. Corollarium. Gratuita est Christi praedestinatio..... 180

Art. III. — *Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationis exemplar*

1. Distinctio praemittenda..... 181
2. Prob.— Praedestinatio Christi α) considerata ex parte actus praedestinantis, non est exemplar nostrae praedestinationis, sed β) tantummodo considerata ex parte termini.— Prob. 1ª pars. 181
3. Exponitur 2ª pars..... 181
4. Confirmatur ex verbis S. Augustini..... 182

Art. IV. — *Utrum praedestinatio Christi sit causa nostrae praedestinationis*

1. Ratio articuli..... 183
2. Prop. — Praedestinatio Christi est causa praedestinationis nostrae, α) non secundum actum praedestinationis, sed β) secundum terminum.— Prob. 1ª pars..... 183
3. Prob. 2ª pars..... 183
4. Scholion. Haec omnia dicuntur supposito ordine Incarnationis ad salutem hominum reparandam 184

QUAESTIO VIGESIMA QUINTA

DE ADORATIONE CHRISTI

Prologus

Paginae

1. Quid sit adoratio 185
2. Divisio quaestionis 185

Art. I. — *Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et eius humanitas*

1. Distinctio 186
2. Prop. — Divinitas et humanitas Christi α) eadem adoratione est adoranda, si attendatur ad id quod adoratur, β) diversa tamen est adoratio, si attendatur ad causas adorationis. — Prob. 1ª pars 187
3. Prob. 2ª pars 188
4. Confirmatur 188
5. Corollarium. Comparatio inter ordinem Incarnationis et ordinem Trinitatis 188
6. Scholion. Quid in hypothesi quod anima Christi non esset unita Dei Verbo 189

Art. II.— *Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriae*

1. Quid sint latria et dulia 189
2. Praenotandum 190
3. Prop. — Humanitas Christi, α) ut res adorata, est adoranda adoratione latriae; β) ut ratio autem adorandi, est adoranda adoratione duliae.— Prob. 1ª pars 190
4. Auctoritates ex traditione 191
5. Prob. 2ª pars 192
6. Corollarium. Christi persona est adoranda adoratione latriae propter se, et adoratione duliae propter aliud; humanitas autem est adoranda cultu latriae propter aliud, adoratione vero duliae propter se 192
7. Scholion. Quid de carne Christi, si per intellectum consideretur a Verbo separata 193

Appendix. — *De cultu sacratissimi Cordis Iesu*

Paginae

1. Origo huius cultus 194
2. Catholicitas huius cultus ostenditur 195
3. Legitimitas 195
4. Opportunitas 196
5. Scholion. Specialis latriae cultus pretiosissimo Sanguini Domini Nostri Iesu Christi tribuendus 197

Art. III. — *Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriae*

1. Quid sit imago 197
2. Duplex adoratio 198
3. Errores 199
4. Prop. — Imago Christi, ut imago est, est adoranda adoratione latriae. — Prob. 199
5. Scholion. Ad Christum repraesentandum potius res corporalis, quam creatura rationalis assumitur 200
6. Solvitur tacita obiectio 200
7. Idololatriae crimen 201
8. Corollarium. Possunt formari imagines Dei et substantiarum separatarum 201

APPENDIX

CONCILII TRIDENTINI DOCTRINA DE CULTU SACRARUM IMAGINUM

1. Legitimitas huius cultus 203
2. Imaginum utilitas 203
3. Abusus tollendi 204

Art. IV. — *Utrum Crux Christi sit adoranda adoratione latriae*

1. Crucis symbolum 204
2. Ratio articuli 205
3. Prop. — α) Vera Crux Christi est adoranda adoratione latriae, non modo propter repraesentationem, sed etiam propter contactum membrorum et Sanguinis Christi ; β) Crux autem Christi in alia materia adoranda est adoratione latriae solum quia est imago Christi in Cruce extensi 205
4. Prob. 1ª pars 205
5. Corollarium. Non eadem causa adoratur Crux Christi et eius humanitas 206

Paginae

6. Prob. 2ª pars 207
7. Scholion. Omnia quae sunt Christi adoramus 207
8. Difficultas solvitur 208

Art. V. — *Utrum Mater Christi sit adoranda adoratione latriae*

1. Ratio articuli 208
2. Prop. — Mater Christi non est adoranda adoratione latriae, sed duliae, non qualiscumque, sed hyperduliae. — Prob. 209
3. Corollaria. I. Honor B. Virgini debitus aliquo modo potest comparari honori debito Christo. — II. Honor debitus Cruci et Beatae Virgini 209

Art. VI. — *Utrum reliquiae sanctorum sint adorandae*

1. Praenotanda 210
2. Errores 210
3. Prop. — Reliquias sanctorum iure merito cultu religioso prosequimur. — Auctoritas Concilii Tridentini 211
4. Prob. I. Ex Sacra Scriptura 211
5. II. Ex ratione theologica 212
6. Confirmatur 212
7. Solvitur tacita obiectio 212

QUAESTIO VIGESIMA SEXTA

DE EO QUOD CHRISTUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM DICITUR

Prologus

1. Ratio quaestionis 213
2. Ordo quaestionis 213

Art. I. — *Utrum esse mediatorem Dei et hominum sit proprium Christo*

1. Quid sit mediator 213
2. Prop. — α) Solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator; β) alii autem secundum quid dici possunt mediatores. — Prob. 1ª pars 214
3. Prob. 2ª pars 214

Paginae

4. Quaestio. *Utrum angeli possint dici mediatores Dei et hominum?*. 215
5 Corollaria. Solus Christus est perfective mediator; alteri in Trinitate personae hoc non convenit..... 216

APPENDIX

DE SANCTORUM INVOCATIONE

1. Error..... 217
2. Prob. — Bonum et utile est sanctos invocare. — Auctoritas concilii Tridentini..... 217
3. Prob. ex Sacra Scriptura..... 218
4. Ex traditione..... 218
5. Prob. ratione theologica..... 219
6. Notandum. Utile est etiam minores sanctos invocare..... 220
7. Solvitur tacita obiectio..... 220

Art. II. — *Utrum Christus, secundum quod homo, sit mediator Dei et hominum*

1. Errores..... 220
2. Prop. — Christus verissime dicitur mediator Dei et hominum secundum quod homo..... 221
3. Prob. ratione theologica..... 221
4. Confirmatur..... 221
5. Corollarium. Christus hoc habet a divinitate sibi hypostatice coniuncta, quod, ut homo est, mediator existat..... 222
6. Scholion. Christus et mediat in reconciliatione, et reconciliationem ipsam perfecit..... 222

APPENDIX

DE IIS QUAE CHRISTUS, SALVATOR NOSTER, EGIT ET PASSUS EST, SEU DE MYSTERIIS VITAE CHRISTI

PROLOGUS

1. Ratio huius partis..... 224
2. Divisio huius partis..... 225

CAPUT PRIMUM

DE PERTINENTIBUS AD INGRESSUM CHRISTI IN MUNDUM

Ordo capitis

§ I

De conceptione Christi

Paginae

1. Qualis Mater Dei esse debuerit 226
2. Quomodo Christus debuerit concipi 228
3. In quanam perfectione Christus fuerit conceptus 229

§ II

De Christi nativitate

1. Quaenam ad Christi nativitatem pertineant 230
2. Quo pacto Christi nativitas manifestari debuerit 231

§ III

De legalibus circa puerum Iesum observatis

1. Quare Christus debuerit circumcidi .....
2. Convenientia nominis Christo impositi 234
3. Christi oblatio in templo 235
4. Purgatio Mariae in templo 236

§ IV

De baptizatione Christi

1. Qualis fuerit baptismus Ioannis 236
2. Cur Christus baptizari debuerit 238
3. Circumstantiae baptizationis Christi 238

CAPUT SECUNDUM

DE PERTINENTIBUS AD PROGRESSUM VITAE CHRISTI IN HOC MUNDO

Ordo capitis

§ I

De modo conversationis Christi in mundo

1. Christus vitam solitariam ducere non debuit 241
2. Tenor vitae Christi 242
3. Cur Christus paupertatem elegerit 242
4. Christus legi paruit 242

§ II

De tentatione Christi

Paginae
1. Conveniens fuit Christum tentari 243
2. Circumstantiae tentationis Christi 244

§ III

De doctrina Christi

1. Christus iudaeis et non gentilibus praedicare debuit 245
2. Quomodo Christus suam doctrinam tradiderit 246

§ IV

De miraculis Christi

1. Quo pacto Christus miracula facere debuerit 248
2. Quaenam Christus miracula patraverit 249
3. De Christi gloriosa transfiguratione 251
4. Prophetiae a Christo factae 252
5. Efficacia miraculorum et prophetiarum Christi 253

CAPUT TERTIUM

DE PERTINENTIBUS AD EXITUM CHRISTI DE MUNDO

Ordo capitis

§ I

De passione Christi

1. Convenientia passionis Christi 254
2. Passionis Christi natura 255
3. Christi passionis extensio 259
4. Circumstantiae passionis Christi 263
5. Causa efficiens passionis Christi 264
6. Modus quo passio Christi nostram salutem operata est 265
7. Diversi effectus passionis Christi 268

§ II

De morte Christi

1. Convenientia mortis Christi 270
2. Conditio humanitatis Christi in triduo eius mortis 271
3. Effectus mortis Christi 272

§ III

De Christi sepultura

Paginae
1. Convenientia sepulturae Christi 272
2. Circumstantiae sepulturae Christi 273
3. Conditio corporis Christi in sepulchro 273
4. Tempus quo Christus iacuit in sepulchro 274

§ IV

De Christi descensu ad inferos

1. Convenientia descensus Christi ad infernum 275
2. Locus ad quem Christus descendit 275
3. Quosnam Christus liberaverit 276

CAPUT QUARTUM

DE PERTINENTIBUS AD EXALTATIONEM CHRISTI POST HANC VITAM

Ordo capitis

§ I

De Christi resurrectione

1. Necessitas resurrectionis Christi 278
2. Qualitas Christi resurgentis 280
3. Manifestatio resurrectionis 282
4. Modus manifestationis 282
5. Argumenta resurrectionis veritatem declarantia 283
6. Causalitas resurrectionis Christi 285

§ II

De Christi ascensione

1. Convenientia ascensionis 287
2. Modus ascensionis Christi 287
3. Locus ad quem Christus ascendit 288
4. Effectus ascensionis Christi 289

§ III

De Christi sessione ad dexteram Patris

1. Quid sit Christum sedere ad dexteram Patris 290

Paginae

2. Qua ratione Christus sedeat ad dexteram Patris 291
3. Nullus alius a Christo sedet ad dexteram Patris..... 291

§ IV

De iudiciaria Christi potestate

1. Convenientia potestatis iudiciariae in Christo..... 292
2. Qua ratione Christo competat iudiciaria potestas..... 293
3. Extensio potestatis iudiciariae Christi 293
4. Necessitas iudicii universalis..... 294

Epilogus..... 297

Adnotanda..... 299

Index quaestionum et articulorum..... 302

PARS SECUNDA

De consequentibus unionem et de his quae Christus egit et passus est

TRACTATUS
DE
INCARNATIONE VERBI

PROOEMIUM
IN SECUNDAM PARTEM

1. — Ratio huius secundae partis. — Cum iam in priori volumine actum fuerit de Incarnationis mysterio, tum quantum ad huius mysterii convenientiam (I), tum quantum ad modum unionis, consideratum quantum ad ipsam unionem (II), necnon quantum ad personam assumentem (III) et quantum ad naturam assumptam, sive per respectum ad assumpta (IV-VI), sive per respectum ad coassumpta (VII-XV), modo restat ut expendatur altera huiusce tractatus pars, quae est de consequentibus unionem.

Porro unionem aliqua consequuntur quae conveniunt Christo secundum se considerato (XVI-XXVI), alia autem quae ipsi conveniunt secundum totam illius vitae explicationem, scilicet habito respectu ad ea quae in mortali carne pro nobis egit et passus est (XXVII-LIX). Et haec quidem breviori compendio in appendice exponemus : unde ad illa utpote difficiliora, mentis attentionem prolixius modo convertimus.

2. — Ordo quaestionum huius partis. — Quod spectat ad ea quae consequuntur unionem tanquam Christo convenientia,

tria ordinatim investiganda proponuntur, secundum quod illa considerari possunt per respectum ad ipsum Christum, aut per respectum ad eius Patrem, aut demum per respectum ad homines.

Itaque dicendorum ordo in hac parte erit, ut *primo loco* agatur de iis quae consequuntur unionem duarum in Christo naturarum, quantum ad ea quae ipsi Christo conveniunt secundum se (XVI-XIX); *secundo*, de iis quae Christo conveniunt per comparationem ad eius Patrem (XX-XXIV); *tertio* denique de iis quae ipsi competunt per comparationem ad nos (XXV-XXVI).

Porro, quia passio propria cuiuslibet entis est unitas, ideo in prima consideratione duae quaestiones proponentur: altera, de consequentibus unionem quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum esse et fieri (XVI), altera de iis quae ipsi conveniunt quantum ad unitatem, *primo* relate ad esse (XVII), *secundo* relate ad voluntatem (XVIII), *tertio* relate ad operationem (XIX).

Ea autem quae conveniunt Christo per comparationem ad Patrem in duplici sunt differentia: aliqua enim dicuntur de Christo secundum habitudinem ipsius ad Patrem, alia vero secundum habitudinem Patris ad ipsum. Prior consideratio respicit *primo* ea quae Christo conveniunt secundum eius subiectionem ad Patrem (XX); *secundo* Christi orationem (XXI); *tertio* Christi sacerdotium (XXII). Altera vero complectitur quaestiones, si Pater Christum adoptaverit (XXIII), et quod eum praedestinavit (XXIV).

Demum ea quae ad Christum pertinent per comparationem ad nos duabus quaestionibus claudentur: *prima*, quo cultu sit Christus a nobis habendus, seu de eius adoratione (XXV); *secunda*, quod est Mediator noster ad Deum (XXVI).

Hinc, in hac secunda parte, quaerentur undecim.

Primo. De consequentibus unionem, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum esse et fieri (XVI).

Secundo. De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse (XVII).

Tertio. De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad voluntatem (XVIII).

Quarto. De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem (XIX).

Quinto. De convenientibus Christo, secundum quod Patri fuit subiectus (XX).

Sexto. De oratione Christi (XXI).

Septimo. De sacerdotio Christi (XXII).

Octavo. De adoptione, utrum scilicet Christus fuerit adoptatus (XXIII).

Nono. De praedestinatione Christi (XXIV).

Decimo. De adoratione Christi (XXV).

Undecimo. De eo quod Christus mediator Dei et hominum dicitur (XXVI).

QUAESTIO XVI

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI

PROLOGUS

1. — Ratio praesentis quaestionis. — Haec quaestio a recentioribus theologis inscribi consuevit de *idiomatum communicatione*. Porro ἴδίωμα graece (ab ἴδιος, *proprius*), idem sonat ac *proprietas* latine seu *attributum*, et ita ad ordinem ontologicum pertinet; unde communicatio idiomatum in nativo hoc sensu nihil aliud significat, nisi convenientiam sive concurrentiam proprietatum utriusque naturae in una Verbi hypostasi. Porro res ista, sub ontologico respectu considerata, satis in praecedentibus acta fuit; sed quia ordini rerum ordo praedicationum respondet, hinc modo de communicatione idiomatum agimus, secundum quod id quod ad unam alteramve naturam pertinet quocumque modo possit de eodem subiecto praedicari.

2. — Quid sit idiomatum communicatio. — Hoc autem sensu solet definiri communicatio idiomatum : *Mutua praedicatio proprietatum unius naturae de alia in concreto, non vero in abstracto.* Sequitur autem haec communicatio ex arctissimo foedere quo duae naturae, perfectae et integrae, distinctaeque manentes, in Christo nectuntur. Porro, quia hic plus praestatur, quam importare videtur vox *idioma* seu *proprietas*, non solum enim proprietatum fit communicatio, sed etiam naturarum in uno supposito, ideo S. Thomae consultius visum est praesentem quaestionem inscribere de *consequentibus unionem, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum se inspecto, tum quoad esse, tum quoad fieri.*

3. — Gravitas huius quaestionis. — Quanti sit momenti

praesens quaestio, apparet ex eo quod, ut dicit S. Hieronymus [1], *ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis*, quod quidem clarius infra patebit. Nam *ut conveniens et veritati consentaneus fiat terminorum usus, necesse est determinare qualem praecise, ex variis et multiplicibus significationibus, quas termini recipere possunt, actualiter recipiant, seu quonam sensu determinato tinganter termini; et ideo pro quali re ponantur in oratione, seu in propositione* [2].

Revera si aliquis terminus solitarie proferatur, non apparet qualis sit eius propria et actualis suppositio usquedum fiat aut subiectio aut praedicatio; cuius ratio est quia nomina finita sunt, res vero per nomina significatae, infinitae [3]; et cum nominibus loco rerum utamur, hinc oportet ut unus ille sensus qui intenditur, ex multis possibilibus secernatur, pro materiae, de qua agitur, exigentia.

Ubi singulare quid in praedicationibus, quae Incarnationis mysterium respiciunt, observatur, ex eo ductum, quod nullibi, in rerum natura, tanta invenitur rerum inter se tam maxime distantium unio, ita ut artis logicae armamentarium vix sufficere possit rebus tam ineffabilibus enunciandis.

4. — Ordo quaestionis. — Praesentis quaestionis doctrina duodecim clauditur articulis, ita distributis, ut quae in hoc mysterio praedicantur, se teneant vel ex parte naturae (1-11), vel ex parte hypostasis aut personae (12). Et nomina quidem aliquid significantia ex parte naturae, vel dicuntur categorice (1-9), vel reduplicative (10-11), quae sunt creatura (10) et Deus (11). Rursus, quae dicuntur categorice, aut pertinent ad esse (1-5), aut ad fieri (6-9). Ad fieri quidem, aut generaliter (6-8), aut per respectum ad determinatum tempus (9), et quidem generaliter, aut in fiendo hominem (6) vel Deum (7), aut in essendo (8). Quae autem categorice dicuntur pertinentia ad esse, aut dicuntur de natura significata in concreto (1-4), aut in abstracto (5). Quae dicuntur de natura in concreto, aut significant ipsam naturam (1-3), aut naturae proprietates (4). Demum, significantia naturam, aut

1. Cit. a Magistr. in 4 Sent. Dist. XIII. in fine. — 2. Lorenzelli, Sophist. Logicae pars. I. V, n. 1, Romae, 1896, p. 46. — Aristot. de Prima Elench., c. 1, § 5.

significant substantive naturam (1-2), tum humanam (1), tum divinam (2), aut illam significant adiective (3)[1].

1. Cf. Satolli, in h. l.

Hinc duodecim hic quaeruntur.

Primo. Utrum haec sit vera: Deus est homo.

Secundo. Utrum haec sit vera: Homo est Deus.

Tertio. Utrum Christus possit dici homo dominicus.

Quarto. Utrum ea quae conveniunt Filio hominis, possint praedicari de Filio Dei, et e contrario.

Quinto. Utrum ea quae conveniunt Filio hominis, possint praedicari de divina natura, et de humana ea quae conveniunt Filio Dei.

Sexto. Utrum haec sit vera: Filius Dei factus est homo.

Septimo. Utrum haec sit vera: Homo factus est Deus.

Octavo. Utrum haec sit vera: Christus est creatura.

Nono. Utrum haec sit vera: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse, vel fuit semper.

Decimo. Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Undecimo. Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus.

Duodecimo. Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona.

agitur de praedicatione

ARTICULUS I. — *Utrum haec sit vera: Deus est homo.*

1. — Praenotandum. — Propositio ista, ait S. Thomas, *ab omnibus christianis conceditur, non tamen ab omnibus secundum eamdem rationem.* Revera, cum haec propositio sit de tertio adiacente, id est tribus terminis constans: subiecto, praedicato et nexu seu copula, sequitur quod quis potest circa illam errare quantum ad falsam acceptionem uniuscuiusque horum trium terminorum.

2. — Errores. — α) Et primo quidem potest quis falli circa hunc terminum *homo*, nempe accipiendo hominem *similitudinarie*, non autem *vere*, scilicet pro eo quod gerit similitudinem hominis, non autem realitatem eius, quemadmodum cuprum figuratum interdum dicitur homo, quia habet similitudinem

hominis : aut illum accipiendo *figurative*, nempe pro eo quod partibus quidem humanae naturae constat, anima scilicet et corpore, sed non unitis.— Priori sensu hominem acceperunt Manichaei et Phantasiastae omnes; secundo autem sensu illi qui posuerunt quod in Christo anima et corpus non fuerunt unita[1].

β) Iterum potest error versari circa hunc terminum, *Deus*, sic ut non salvetur veritas ex parte Dei, dicendo quod Christus, qui est Deus et homo, non naturaliter, sed participative Deus est, scilicet per gratiam, sicut omnes sancti viri dicuntur dii, licet Christus excellentius aliis Deus appelletur, scilicet propter excellentiorem gratiam in ipso. Sic erravit Photinus, in cuius sensu haec propositio : *Deus est homo*, huic aequivalet: *Deus participative acceptus est homo.*

γ) Demum potest quis decipi non salvando veritatem propositionis quantum ad *nexum*, licet utrumque terminum recte admittat, ita ut Christus verus quidem Deus sit et pariter verus homo, sed homo non praedicetur de Deo per coniunctionem physicam, sed tantummodo per coniunctionem moralem, quod posuit Nestorius, dicens Deum hominem esse per coniunctionem sive dignitatis, sive auctoritatis, sive affectionis, sive inhabitationis per gratiam : unde non aliud significaretur ista locutione, nisi quod homo inhabitetur a Deo, et uniatur ei secundum affectum, et secundum participationem auctoritatis et honoris divini. In eumdem errorem incidunt qui, dum salvare se velle dicunt unitatem personae, ponunt tamen duas hypostases vel duo supposita in Christo[2], quorum unum non potest praedicari de altero, nisi secundum figuratam locutionem, quemadmodum si Petrus dicatur Ioannes propter similitudinem in vultu, quo etiam sensu amicus dicitur *alter ego* : ὁ φίλος ἄλλος αὐτός[3].

3. — Veritas catholica. — Sed quia veritas catholica exigit ut quilibet horum terminorum in sua nativa significatione accipiatur, ita ut Christum et verum Deum et verum hominem praedicare debeamus, et quidem in unitate non modo personae, verum etiam hypostasis, hinc necesse est dicere quod

1. Cf. Supra, quaest. II, art. 5. — 2. Cf. Ibid., art. 3. — 3. Ethic. ad Nicom., l. IX, c. IV.

4. — PROP. I. — **Haec propositio,** DEUS EST HOMO, **est vera, propria et per se, quasi in materia naturali et necessaria.**

Propositio haec de fide est, et traditur tum a S. Ioanne dicente[1]: *Et verbum caro factum est*, tum a S. Paulo qui ait[2]: *Qui cum in forma Dei esset, ... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Sed, qui in forma Dei est, est *Deus;* qui autem in similitudinem hominum factus est, est *homo.* Ergo Deus est homo.

5. — **Prob. rat. theol.** — Nomen, quod significat aliquam naturam communem in concreto potest supponere pro quolibet contentorum sub illa natura communi: sic hoc nomen *homo* potest supponere pro quolibet homine singulari. Ergo hoc nomen *Deus*, quod significat naturam divinam in concreto, potest supponere sive pro persona Patris, sive pro persona Filii, sive pro persona Spiritus Sancti. Sed de quolibet supposito alicuius naturae potest vere et proprie praedicari nomen significans illam naturam in concreto, sicut de Socrate et Platone vere et proprie praedicatur homo. Porro, persona Filii Dei est etiam suppositum humanae naturae. Ergo vere et proprie dici potest: *Filius Dei est homo*, sive: *Deus est homo*.

6. — **Explicatur.** — Iamvero, haec propositio: *Deus est homo*, dicitur vera *per se* et *proprie*, non vero per accidens; immo debet dici vera in primo modo dicendi per se, in quo de aliquo subiecto praedicatur aliquid quod inest ipsi tanquam definitio aut pars definitionis. Humana enim natura in Filio Dei ita ad ipsum pertinet, ut si vellet Christus definiri, deberet humanitas ingredi illius definitionem: praedicatur enim, ut ait S. Thomas, *sicut species de sua hypostasi, non quidem ratione formae significatae per hoc nomen Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis* humanae naturae[3].

Sed et haec propositio est quasi *in materia necessaria.* Nam, natura divina et humana inter se quidem maxime distant in ratione naturarum, sicut infinitum et finitum, ideoque impossibile est unam esse alterius formam; attamen non sunt contrariae,

1. C. I, 14. — 2. Phil. II, 6. — 3. Ad 1^m.

ita quod una excludat alteram ab eodem subiecto, sicut album excludit nigrum. Revera, quando duae formae possunt convenire in unum suppositum, non est materia impossibilis vel remota, sed aut contingens aut naturalis. Porro natura humana et natura divina conveniunt in unum suppositum; ideoque propositio ista : *Deus est homo*, est dicenda non in materia impossibili sive remota, sed in materia possibili. Sed possibile potest accipi, vel prout distinguitur contra contingens, vel prout continet sub se ipsummet contingens. Primo modo, idem est ac necessarium aut naturale ; alio modo, significat id quod est solum possibile, quocumque modo possibile dicatur[1]. Porro Nestorianum est dicere quod haec propositio sit in materia contingenti, cum non praedicatur homo de Deo per accidens, sed per se. Ergo propositio ista est in materia naturali seu necessaria, vel potius *quasi* necessaria, cum hoc *advenerit* Deo, scilicet esse hominem.

Quapropter talis est haec propositio, ex qua possint scientifice deduci theologicae conclusiones ; quandoquidem scientia est quae est ex propositionibus veris, propriis, per se et necessariis. Unde reprehendendus est Toletus quod existimaverit hanc propositionem potius dicendam esse contingentis materiae[2].

7. — Scholion. — Ordo quem in praedicando sequi debemus in praesenti tractatu, e diametro opponitur ordini qui in Trinitatis mysterio invenitur. Ibi enim tres personae in unam naturam convenire deprehenduntur; hic autem in duabus naturis distinctis unam hypostasim seu personam dicimus subsistere. Et ideo, propter distinctionem, hic naturae, illic personae, de se invicem non praedicantur: non enim in Christo natura divina est natura humana, nec in Trinitate Pater est Filius; sed quia

1. Sic in schemate haec differentia potest exhiberi

POSSIBILE
ALIUD EST

necessarium vel naturale	contingens vel mere possibile

Cf. 1, Quaest. XLI, art. 4, ad 2^m. — 2. In Summ. S. Thom. T. III, Q. XIV. IV Conclus. Romae, 1870, p. 236.

natura divina et natura humana in Christo conveniunt in supposito, ideo de se invicem in concreto praedicantur[1].

8. — Difficultates. — **I.** In Symbolo Athanasiano legimus : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus,* quia scilicet sicut anima et caro conveniunt in uno supposito, ita Deus et homo sunt una hypostasis in Christo. Atqui caro et anima de se invicem non praedicantur, non enim dicitur : *Caro est anima.* Ergo nec dici potest : Deus est homo.

Resp. *Conc. praem. Nego conseq. et conseq.* — Disparitas est quod ista nomina *caro* et *anima* non significantur in concreto, sed in abstracto : non sunt enim nomina suppositi, sed significant partes, quae non existunt per se, sed in alio, scilicet in toto : ideoque non significantur per modum habentis aut constituti, sed tantum per modum constituentis, et in abstracto, secus ac ista nomina : *Deus* et *homo.* Unde sicut in concreto dicitur : *animatum est carneum sive corporeum,* id est habens animam est habens carnem vel corpus, ita etiam dicitur : *Deus est homo,* id est habens deitatem est habens humanitatem[2].

II. Si Deus est homo, ergo Pater est homo, cum Pater sit Deus. Atqui Pater non est homo. Ergo Deus non est homo.

Resp. *Nego mai. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Revera, maior illa in hoc argumento fundatur : *Deus est homo, atqui Pater est Deus, ergo Pater est homo ;* at istud argumentum peccat contra regulam : *Aut semel aut iterum medius generaliter esto,* cum medius terminus *Deus* in *maiori* supponit particulariter, scilicet pro persona Filii; in *minori* vero particulariter etiam supponit, utpote praedicatum propositionis affirmativae. Et ita non tres termini, sed quatuor habentur, cum ille terminus *Deus,* cui comparatur homo in maiori non sit idem cum illo cui comparatur Pater in minori Deus enim est homo non deitate sua, sed supposito ; Pater vero est Deus deitate tanquam formali ratione.

Si autem *instetur* dicendo quod ea quae sunt absoluta sunt communia Trinitati, hoc nomen autem *homo* est nomen absolutum, — *respondetur* quod hoc nomen *homo* praedicatur de Deo ratione unionis in persona, quae unio relationem importat,

1. Ad 2^m. — 2. Ad 3^m.

ideoque non sequitur regulam nominum quae absolute praedicantur de Deo ab aeterno[1].

ARTICULUS II. — *Utrum haec sit vera: Homo est Deus.*

1. — PROP. — Haec propositio : HOMO EST DEUS, est vera et propria.

Haec propositio, non minus ac praecedens, resultat ex fide, iuxta illud [2] : *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Sed Christus secundum carnem est homo. Ergo homo est Deus.

Revera, cum utraque natura sit in Christo secundum rei veritatem, et in persona seu hypostasi Filii Dei unita, sicut verum est dicere : *Deus est homo*, ita etiam verum est dicere : *Homo est Deus.* Nam persona Filii Dei est hypostasis humanae naturae ; hoc autem nomen *homo* potest supponere pro qualibet hypostasi humanae naturae. Cum igitur de persona Filii Dei vere et proprie praedicari potest hoc nomen *Deus*, consequenter vere et proprie dici potest : *Homo est Deus.*

2. — Scholion. — Porro, ex eo quod dicimus : *Homo est Deus* nullimode incurrimus idololatriae crimen. Revera, in ista propositione, ly *homo* supponitur non pro natura humana, sed pro supposito aeterno divinae naturae ; ideoque divina natura quae de ipso praedicatur non attribuitur naturae creatae, sicut si diceretur : *Lignum est Deus*, aut : *Lapis est Deus*, quasi in istis esset aliquid numinis divini, quod in Sacra Scriptura reprehenditur [3]. Quocirca, rite condemnantur idololatrae, utpote qui *incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt* [4].

Pariter, nec offendimus contra praeceptum a Deo latum [5] : *Non erit in te Deus recens ;* quandoquidem *homo*, de quo praedicatur *Deus*, utpote suppositum aeternum, non est quid recens, sed aeternum ; hoc enim nomen *Deus* non praedicatur de homine ratione humanae naturae, sed ratione suppositi : hoc autem

1. Ad 4^m. — 2. Rom. IX, 5. — 3. Exod. XX, Levit XIX, Is. XLIV. — 4. Sap. XIV, 21. Cf. ad 1^m. — 5. Ps. LXXX, 10.

sequeretur, si *homo* hic supponeret pro supposito creato, quod dicunt illi qui ponunt duo supposita in Christo [1].

3. – **Difficultas**. — Quidquid praedicatur de praedicato, de subiecto quoque praedicatur. Atqui hoc nomen *Pater*, vel *Trinitas*, quod praedicatur de Deo, non praedicatur de homine. Ergo hoc est falsum : *Homo est Deus*.

Resp. *Dist. mai.* Si hoc de praedicato praedicetur per se, *conc.;* si praedicetur eo modo quo inferius praedicatur de superiori, *nego*. *Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Si de praedicato aliquid praedicetur per se, hoc utique praedicabitur etiam de subiecto, sicut quia sensibile praedicatur per se de animali, praedicatur etiam de homine qui est animal ; non autem ita est, si praedicetur de praedicato, eo modo quo inferius praedicatur de superiori, sicut ex eo quod homo est animal, animal autem est equus, non licet inferre : *Ergo homo est equus*. Pariter, hoc nomen *Pater* praedicatur de hoc nomine *Deus*, eo modo quo inferius de superiori praedicatur, secundum nempe quod nomen *Deus* supponit pro persona Patris : at, quia non est eadem persona Patris et Filii, ideo non oportet quod hoc nomen *Pater* praedicetur de hoc nomine *homo*, de quo tamen praedicatur hoc nomen *Deus*, non universaliter, sed in quantum ly *homo* supponit pro persona Filii. Quocirca, in hoc argumento : *Homo est Deus, atqui Deus est Pater, ergo homo est Pater*, medius terminus *Deus* nunquam distribuitur, ideoque argumentum non concludit [2].

ARTICULUS III. — *Utrum Christus possit dici homo dominicus.*

1.— PROP.— **Non potest vere et proprie dici quod homo ille, scilicet Christus, sit dominicus, sed magis quod sit dominus.**

Ratio huius propositionis est, quia quandocumque aliquod nomen essentialiter de aliquo dicitur, non debet dici paronymice seu denominative de ipso. Atqui hoc nomen dominus essentialiter dicitur de Christo, utpote qui est suppositum aeternum quod est

1. Ad 3^m^. — 2. Ad 2^m^.

persona Filii Dei qui est dominus omnium. Ergo non debet dici denominative de ipso.

Quod si hoc nomen Christus designaret suppositum creatum, iuxta Nestorium et eos qui ponunt duo supposita in Christo, sicut sunt Apollinaristae pro quibus alius erat homo et alius dominus, ut testatur S. Gregorius Nazianzenus [1], tunc Christus dici posset homo dominicus, in quantum assumeretur ad participationem honoris divini, sicut etiam Nestoriani posuerunt. — E converso, humana natura non debet dici *dea* quasi essentialiter, sed *deificata*, non quidem per conversionem ipsius in divinam naturam, sed per coniunctionem ad divinam naturam in una hypostasi [2].

2. — ***Verba S. Augustini.** — Porro, hanc locutionem S. Augustinus antea absolute concesserat, dicendo [3]: *Hic praestantissimum illud et unicum exemplum dominici hominis proponendum est;* itemque [4]: *Nulli licebit ignorare Dei regnum, cum eius Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine dominico de caelo venerit, iudicaturus vivos et mortuos.* At postea hoc retractavit, dicens [5]: *Non video utrum recte dicatur homo dominicus, qui est Mediator Dei et hominum Homo Christus Iesus: cum sit utique Dominus. Dominicus autem homo quis in eius sancta familia non potest dici? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum* [6]. *Sed ubicumque hoc dixi, divisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi,* nempe ratione humanae naturae, ut notat S. Thomas, non autem ratione suppositi, quia scilicet humanitas quae a supposito distinguitur et ad ipsum pertinet, Domini est [7].

3. — **Scholia.** — I. Attamen, consuetudo invaluit ut ly *divinum* praedicaretur de Christo, quemadmodum auctor libri *de Ecclesiastica Hierarchia* [8] eum nominat *divinis simum Iesum* (quod tamen in graeco habetur : θεαρχικώτατον, id est *principatum summe tenentem*). Fert enim usus ut *divinum* praedicetur etiam de iis de

1. Or. LI. — 2. Vide supra, Vol. I., Quaest. II. a. p. 101. — 3. L. LXXXIII Quaest., Qq. XXXVI. — 4. In l. II de Sermone Dom. in monte, c. 6. — 5. L. I, Retract. c. XIX, n. 8. — 6. Forte apud Athanasium in Exposit. fidei, et Epiphanium in Ancorato. — 7. Ad 1^m. — 8. C. 4.

quibus essentialiter praedicatur hoc nomen *Deus,* puta dicimus *essentiam Dei* seu *divinam,* quae Deus est, et *Verbum Dei* seu *divinum,* quod Deus est, et *personam divinam;* in quibus tamen locutionibus importatur diversus modus significandi. Sed homo qui dominus est non solet vocari dominicus; dicitur tamen dominicum id quod utcumque domini est, et in casu nostro id quod Dei est; puta, ut dicatur *manus dominica,* et *passio aut mors* dominica, necnon *dominica voluntas* [1].

II. Christus nequit dici *homo deificatus,* licet dici valeat *Deus humanatus. — Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum,* ait S. Ioannes Damascenus [2]. Cuius differentiae ratio est quia illud unum suppositum, quod fuit humanae et divinae naturae, primo quidem fuit divinae naturae, scilicet ab aeterno; postea autem ex tempore factum est suppositum humanae naturae per Incarnationem, ideoque humanatum dicitur, non quod hominem assumpserit, sed humanam naturam. Non autem suppositum humanae naturae in Christo fuit prius humanae naturae, et postea assumpsit naturam divinam; ideoque non potest dici *homo deificatus* vel *dominicus,* licet possit dici *Deus humanatus* [3]. Pari ratione, Christus nequit dici Θεόφορος, id est *Deifer* [4], licet possit dici *Deus carnifer,* quia non homo assumpsit aut sustentat divinam naturam, sed bene Deus carnem assumpsit et sustentat.

ARTICULUS IV. — *Utrum ea quae conveniunt Filio hominis possint praedicari de Filio Dei et e converso.*

1. — Ratio articuli. — Instituitur haec quaestio propter Nestorianos, qui ea quae de Christo dicuntur dividentes, negabant de homine posse praedicari ea quae pertinent ad divinam naturam, puta quod *homo est aeternus,* aut de Deo ea quae pertinent ad humanam naturam, puta quod *Deus mortuus est;* unde Nestorius anathemate percussit illum, qui *Dei Verbo tentat passiones tribuere;* ideoque admittere nolebat quod Deus fuerit natus de Vir-

1. Ad 3[m]. — 2. L. III, Orthod. fid. c. 2. — 3. Ad 2[m]. — 4. Conc. Eph. can. V.

gine, aut quod homo ab aeterno fuerit. Attamen de Christo, aut de Domino, tamquam de subiecto composito ex utraque persona, ut dicebant, Nestoriani ultro confitebantur et ea quae Dei, et ea quae hominis sunt propria, quia omnia ista pertinent ad utramque naturam; unde concedebant Christum esse natum ex Virgine, et fuisse ab aeterno.

Nos vero cum catholica Ecclesia ponimus de Deo et de homine, non secus ac de Christo, praedicari posse ea quae sive ad humanam, sive ad divinam naturam pertinent. Sit ergo

2. — PROP. — **Ea quae conveniunt Filio hominis possunt praedicari de Filio Dei, et e converso.**

Hanc propositionem ad fidei dogma pertinere α) eruitur ex *S. Scriptura*[1]. Sic legimus : *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo.* Rursus[2]: *Auctorem vitae interfecistis.* Iterum[3] : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*

β) Confirmatur autem iste loquendi modus ex auctoritate Ecclesiae, ea quae Dei sunt, Filio hominis, et quae hominis sunt Filio Dei, in *liturgia* passim attribuentis. Ita in hymno *Ex more docti*, dicitur Christus *Rex atque factor temporum;* et in hymno *Vexilla regis*, canitur : *Regnavit a ligno Deus.*

γ) Patet quoque *ex auctoritate Patrum.* Primo loco habetur solemne anathema IV S. Cyrilli contra Nestorium, superius recitatum[4] : *Si quis duabus personis vel hypostasibus eas voces attribuit, quae in evangelicis et apostolicis Scripturis passim occurrunt, quaeve tanquam a sanctis de Christo, aut ab ipso quoque Christo de semetipso dictae sunt, et alias quidem ex his homini seorsum a Dei Verbo adscribit, alias vero... soli Verbo ... accommodat A. S.* Similiter S. Ioannes Damascenus ait[5] : *Deus suscipit eas quae sunt coniunctae ac una subsistentis naturae, hoc est carnis proprietates, dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriae crucifixus est,* δέχεται τὰ τῆς συνυφεστηκυίας φύσεως ἰδιώματα, ἤτοι τῆς σαρκὸς, Θεὸς παθητὸς ὀνομαζόμενος, καὶ κύριος τῆς δόξης ἐσταυρώμενος.

3. — **Ratio theol.** — De una et eadem hypostasi unius tantum

1. Io. III, 13. — 2. Act. III. 15. — 3. Io. III, 16. — 4. Dissert. spec. § I, n. 6, p. 162. — 5. Lib. III, Orthod. fid., cap. 4. Cf. cap. 6.

naturae possunt univoce praedicari ea quae ad hanc naturam pertinent. Ergo de una et eadem hypostasi duarum naturarum possunt univoce praedicari ea quae ad utramque naturam pertinent. Atqui tum hoc nomine *Deus,* tum hoc nomine *homo,* supponitur una et eadem hypostasis utriusque naturae, divinae scilicet et humanae. Ergo et de Deo possunt praedicari ea quae humanae naturae sunt, et de homine ea quae sunt Dei.

Nec repugnantia habetur in eo quod de eodem, puta de Filio Dei, modo praedicantur contraria ; repugnantia enim haberetur, si praedicarentur de eodem secundum idem ; sed hoc modo opposita non praedicantur de Christo, sed secundum diversas naturas : unde potest simul dici Filius Dei corporeus et incorporeus, scilicet secundum diversas naturas quae realiter in ipso sunt, sicut homo dicitur simul magnus, puta, mente, et parvus corpore[1].

4. — Scholion. — Hic autem advertisse iuvabit quod, in quacumque praedicatione, satis non est attendere ad id de quo aliquid praedicatur, sed debet etiam attendi ad id secundum quod illud praedicatur. Igitur, licet ea quae de Christo praedicantur non distinguantur, tamen distinguuntur ab ipso secundum id secundum quod praedicantur; quia ea quae ad divinam naturam pertinent, praedicantur de Filio Dei secundum divinam naturam : ea vero quae ad humanam naturam spectant, de ipso praedicantur secundum humanam naturam. Ad quod attendens S. Augustinus, ait[2] : *Distinguamus quid in Scripturis sonet secundum formam Dei in qua aequalis est Patri, et quid secundum formam servi quam accepit, in qua minor est Patre;* et infra[3] : *Quid propter quid, et quid secundum quid dicatur, prudens et diligens et pius lector intelliget.*

Quae si sedulo advertantur, vilissima plura de Deo praedicari poterunt, quae tamen prima fronte ipsi maxime indigna reputarentur et blasphemia essent, si tribuerentur ipsi secundum divinam naturam. Sed cum tribuuntur ei secundum naturam assumptam, ideo nec iniuria Deo inde infertur, nec eius honor minuitur, sed talia catholico prorsus ore magnam Dei indulgentiam commendant. Quocirca in quodam sermone concilii

1. Ad 1^m. — 2. Lib. I, de Trin., c. 11.— 3. C. 13.

Ephesini dicitur[1] : *Nihil putat Deus iniuriam, quod est occasio salutis hominibus. Nihil enim abiectorum quae elegit propter nos, iniuriam facit illi naturae quae non potest esse subiecta iniuriis ; propria vero facit inferiora, ut salvet naturam nostram. Quando ergo quae abiecta et vilia sunt divinam naturam non iniuriantur, sed salutem hominibus operantur, quomodo dicis ea quae causa nostrae salutis sunt, iniuriae occasionem Deo fuisse*[2] ?

5. — **Difficultas.** — Assumi non convenit Deo. Atqui convenit humanae naturae. Ergo ea quae sunt humanae naturae nequeunt dici de Deo.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Assumi convenit naturae humanae ratione sui, *conc.;* ratione suppositi, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Revera, eorum quae conveniunt humanae naturae, alia conveniunt ei non ratione suppositi, sed ratione suipsius, sicut esse speciem communem pluribus individuis, assumi, aliaque similia; alia autem conveniunt ei ratione suppositi, ut nasci, pati, mori, etc. Porro, ea quae conveniunt naturae ratione suppositi Deo attribui possunt; ea vero quae ei conveniunt ratione ipsius naturae, non attribuuntur Deo; et ideo nequit dici quod Deus assumitur[3].

6. — ***Quaestio.** — *Cur Summus Pontifex Felix III damnaverit in Petro Cnaphaeo, episcopo Antiocheno, hanc propositionem :* UNUS DE TRINITATE PASSUS EST ?

Resp. Hoc non est propter obvium huius propositionis sensum, qui est quod una persona de Trinitate sit passa, qui sensus catholicus est, ut declaravit Ioannes II[4] ; sed propter falsum sensum Petri Cnaphaei et aliorum Eutychianorum, qui docebant divinitatem solam in Christo mansisse, humanitate absorpta, ideoque carni consubstantialem fuisse factam, vereque passam. In eamdem condemnationem inciderunt aliqui Scythiae monachi, quod asseruerint hanc loquendi formulam concilii Chalcedonensis definitioni necessario esse adiungendam, quasi illa sine hac additione manca fuisset[5], aut, ut alii tenent, quod ipsi revera haeresim Eutychianam sint amplexati.

1. Part. III, c. 10.— 2. Ad 2^m. — 3. Ad 3^m. — 4. Ep. ad Avienum. — 5. Ut constat ex epist. Hormisdae S. P. ad Possessorem.

ARTICULUS V. — *Utrum quae conveniunt Filio hominis possint praedicari de divina natura, et de humana ea quae conveniunt Filio Dei.*

1. — Error. — Fuit plurium ex Lutheranorum castris, in Eutychetis sententiam declinantium, error, quasdam divinitatis proprietates, eo quod haec Christi humanitati stricto nexu consociata fuit eamque quodammodo permeavit, huic attribui valere, ut verbi gratia, omnipraesentiam, seclusis tamen aliis attributis, sicut sunt aeternitas et simplicitas ; unde *ubiquistae* dicti sunt. Contra quos, sit

2. — PROP. — **Ea quae conveniunt Filio hominis non possunt praedicari de divina natura, nec de humana ea quae conveniunt Filio Dei.**

Hoc primo constat *auctoritate* S. Ioannis Damasceni qui ait[1] : *Deitatem quidem dicentes, non nominamus de ea quae humanitatis sunt proprietates*, οὐ κατανομάζομεν αὐτῆς (θεότητος) τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἰδιώματα : *non enim dicimus deitatem creabilem vel passibilem.* Deitas autem est divina natura : unde non possunt ea quae sunt humanae naturae propria, praedicari de natura divina.

3. — Prob. ratione theol. — Ea quae sunt propria unius, non possunt vere de alio praedicari, nisi de eo quod est idem illi. Atqui non est eadem, in Incarnationis mysterio, natura divina et humana. Ergo ea quae sunt propria unius naturae non possunt vere de alia praedicari. — *Exemplum maioris :* sic, risibile non potest praedicari nisi de homine, cui soli esse risibilem convenit.

Porro, argumentum istud valet pro nominibus naturam in abstracto significantibus, non autem pro nominibus concretis : ista enim supponunt hypostasim naturae quae una est ; ideoque indifferenter possunt praedicari ea quae ad utramque naturam pertinent de nominibus concretis, sive nomen istud de quo dicuntur det intelligere utramque naturam, ut hoc nomen Christus, in quo intelligitur et divinitas ungens, et huma-

1. L. III, Orthod. fid., c. 4.

nitas uncta; sive solum naturam divinam, sicut hoc nomen *Deus* aut *Filius Dei;* sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen *homo* vel *Iesus*. Unde ait S. Leo[1]: *Non interest ex qua Christus substantia nominetur; cum inseparabiliter manente unitate personae, idem sit et totus hominis Filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre deitatem.*

4. — Scholia. — I. Propter rationem in allato argumento adductam, abstracta unius naturae non possunt praedicari de nominibus alterius naturae sive in abstracto, sive in concreto: nequit enim dici: *Deus* vel *deitas est humanitas*, aut: *Homo* vel *humanitas est aeternitas*.

II. Quamvis in Deo sit realiter idem persona cum natura, ratione cuius identitatis natura divina potest praedicari de persona, puta, Filii Dei, ut dicatur *Filius Dei est deitas*, tamen, quia non est idem modus significandi, et in praedicationibus debet attendi nedum ad rem significatam, sed etiam ad modum significandi, ideo, sicut aliqua dicuntur de Filio Dei, quae de divina natura dici non possunt, sicut dicimus quod *Filius Dei est genitus*, non tamen quod *natura divina sit genita*, ita et in mysterio Incarnationis dicimus quod *Filius Dei est passus*, non tamen quod *divina natura sit passa*. Unde, si quis arguat: *Filius Dei est passus, atqui Filius Dei est deitas, ergo deitas est passa*, advertitur argumentum non concludere, cum medius terminus nunquam distribuatur[2].

Quod si Ecclesia canit: *In ligno quando mortua vita fuit*[3], hic *vita* sumitur secundum quod hoc nomine significatur Deus, qui essentialiter vita est. Et quia in nomine *Incarnatio*, magis importatur unio Verbi ad carnem quam carnis proprietas, aliunde utraque natura in Christo est alteri unita in persona, ideo Damascenus ait[4]: *Dicimus naturam Verbi incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyrillum*, quo sensu et quaestione tertia[5] natura humana dicta est deificata[6].

III. Aliqua quae sunt divinae naturae possunt dici de humana

1. Ep. 83 ad Palaest.— 2. Ad 1^m.— 3. Antiph. I,ad Laudes in Fest. Exalt. S. Crucis. — 4. L. III, Orthod. fidei, cap. 6 et 7. — 5. Art. 2. — 6. Ad 2^m.

natura in Christo, sicut cognoscere futura et habere salutiferam virtutem; sed non viceversa, ea quae sunt humanae naturae possunt dici de divina natura, sicut esse passibilem. Cuius differentiae ratio est, quia ea quae sunt divinae naturae participative derivantur ad humanam naturam; ideoque de ipsa dici possunt, non tamen secundum quod essentialiter competunt divinae naturae; quod si non possunt participari a natura humana, nullo modo de ipsa dicuntur, sicut dici nequit : *humana natura est increata* aut *omnipotens*. Sed ea quae sunt humanae naturae propria non participantur a divina natura; ideoque nullo modo dici possunt de divina natura[4].

IV. Speciatim contra Ubiquistas faciunt verba illa quae de se ipse Christus protulit[2] : *Gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi.* Pariter[3] : *Non est hic, surrexit enim.* Unde S. Augustinus[4] : *Cui immortalitatem dedit, naturam* (humanam) *non abstulit: secundum hanc formam* (humanam) *non est putandus ubique diffusus; cavendum enim est, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus; non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus.*

ARTICULUS VI. — *Utrum haec sit vera: Deus factus est homo.*

1. — **Ratio articuli.** — Disserere incipienti de iis quae conveniunt Christo quantum ad fieri, primo loco occurrit dubitatio duplex analoga geminae dubitationi in initio quaestionis propositae : sicut enim ibi quaerebatur de veritate harum propositionum : *Deus est homo*, et *Homo est Deus*, sic nunc quaeritur de veritate harum propositionum : *Deus factus est homo*, et *Homo factus est Deus :* quarum prior simpliciter concedetur; altera vero simpliciter negabitur. Sit ergo

2. — PROP. — **Haec propositio :** DEUS FACTUS EST HOMO, **est vera.**

Haec veritas *eruitur* ex S. Scriptura. Sic in evangelio S. Ioannis[5] legitur : *Verbum caro factum est,* quod explicans S. Athanasius[6],

1. Ad 3^m. — 2. Io. XI, 15. — 3. Matth. XXVIII, 6. — 4. Ep. 18 ad Dardanum. — 5. C. I, 14.— 6. Ep. ad Epictetum.

ait : *Simile est ac si diceretur quod Deus homo factus est.* Item apud S. Paulum[1] : *Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Ergo Filius Dei, seu Deus, factus est homo, *ad honorem Patris existens ex semine David secundum carnem,* ut exponit Glossa[2]. Revera, in citato Apostoli loco, hoc relativum *qui,* quod refert personam Filii Dei, intelligi debet ex parte subiecti, ut sensus sit : *Filius Dei factus est habens carnem ex semine David ad honorem Dei*[3].

3. — Prob. Rat. theol. — Unumquodque dicitur fieri aut factum esse id quod de novo incipit praedicari de ipso. Atqui de Deo de novo, id est in tempore et ex tempore, incepit praedicari esse hominem. Ergo Deus potest dici fieri aut factus esse homo. Quod tamen non ab omnibus catholice intelligitur, sicut dictum est supra de hac propositione : *Deus est homo.*

4. — Scholia. — I. Non tamen ex hoc potest concludi : *Ergo Deus factus est simpliciter ;* quia simpliciter hominem fieri dicitur de omnibus illis, in quibus humana natura incipit esse in supposito de novo creato ; Deus autem non ita factus est homo, quod humana natura incepit esse in supposito de novo creato, sed in supposito divinae naturae ab aeterno praecxistente. E contra, si dicam : *Petrus factus est homo,* possum concludere : *ergo factus est simpliciter,* quia humana natura in Petro incepit esse in supposito de novo creato[4].

II. Nec ex eo quod dicitur : *Deus factus est homo,* potest argui Deum esse subiectum alicuius mutationis. Nam, tunc aliquid praedicatur de novo de aliquo cum huius mutatione, seu eius fieri est mutari, quando *absolute* praedicatur, puta si dicatur : *Paries factus est albus vel niger ;* non potest autem albedo vel nigredo de novo advenire parieti, nisi per hoc quod hic de novo mutatur ad albedinem vel nigredinem ; et eadem ratio esset, si diceretur : *Deus factus est bonus ;* non autem ita est quando *relative* praedicatur, cum relatione reali ex parte praedicati tantum, puta si ego ex dextro fiam sinister, per mutationem eius qui prius ad

1. Rom. I, 2. — 2. Interlin. — 3. Art. seq. ad 1^m. — 4. Ad 1^m.

sinistram meam consistebat. Porro, fieri hominem, quod de Deo praedicatur, est per unionem humanae naturae ad personam Verbi. Unio autem huiusmodi est relatio, in Verbo quidem rationis, in humana autem natura realis. Ergo non arguit mutationem in Deo, sicut nec mutatio in Deo arguitur cum dicitur[1]: *Domine, refugium factus es nobis,* aut[2]: *Factus est protector meus;* aut rursus[3]: *Factus est* (Filius Dei) *omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.*

III. Tandem advertatur quod, licet dicatur quod *Deus factus est homo,* tamen non licet dicere: *Deus factus est persona Filii Dei aut persona divina;* quia, quanquam homo ibi supponat pro persona divina, tamen non supponit pro persona Filii Dei nuda, sed prout subsistit in humana natura; ideoque vera est haec propositio: *Deus factus est homo,* eo quod est humanae naturae unitus, non autem ista: *Deus factus est persona Filii Dei*[4].

ARTICULUS VII. — *Utrum haec sit vera: Homo factus est Deus.*

1. — Praenotandum. — Non quaeritur de ista propositione hoc sensu, quod hoc participium, *factus,* determinet absolute vel subiectum vel praedicatum: satis enim constat neque hominem illum, de quo Deus praedicatur, neque Deum ipsum esse factum; unde hoc sensu praedicta propositio est falsa; sed quaestio est proprio sensu, secundum quod participium *factus* ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum. Pro quo solvendo, sit

2. — PROP. — **Haec propositio:** HOMO FACTUS EST DEUS, **simpliciter intellecta, est falsa.**

Hoc constat *auctoritate* S. Damasceni dicentis[5]: *Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum.* Deificari autem idem est ac fieri Deum. Ergo falsa est haec propositio: *Homo factus est Deus.* Iam etiam supra[6] notatum est locum illum Apostoli[7]: *Qui factus est ei ex semine David,* intelligi debere hoc sensu quod relativum *qui* referat personam Filii Dei ex parte subiecti, non

1. Ps. LXXXIX, 1. — 2. Ps. XVII, 19. — 3. Hebr. V, 9. — 4. Ad 3^m. Cf. FRANC. SYLV., in h. l. — 5. L. III Orthod. fidei, c. 2. — 6. Art. praeced., n. 2. — 7. Rom. I, 2.

autem ex parte praedicati, quasi sensus sit quod aliquis existens ex semine David secundum carnem sit factus Filius Dei[1].

3. — Prob. rat. theol. — In hac propositione, terminus *homo*, quia est in sede subiecti, habet suppositionem *personalem*, seu accipitur cum sua subsistentia vel personalitate; terminus vero *Deus*, quia est in sede praedicati, supponit *simpliciter*. Ergo *homo*, hic acceptus, designat suppositum aeternum, quod aeternaliter fuit Deus; igitur non est factus Deus.

Revera hoc participium *factus* ponit fieri non quidem circa humanam naturam, sed circa hominem, tanquam factionis subiectum, in respectu ad Deum tanquam terminum factionis. Sed homo ille est suppositum divinae, non secus ac humanae naturae. E contra vero erat quando dicebatur : *Deus factus est homo*, eo quia tunc factio ponebatur circa suppositum aeternum in respectu ad terminum temporaneum, scilicet circa personam Verbi, in respectu ad humanam naturam quae ipsi accedere coepit ex tempore.

4. — *Tacita obiectio. — Nec dicatur quod, cum subiectum mutationis sit non Deus, sed humana natura, quam significat hoc nomen *homo*, magis deberet esse vera haec propositio : *Homo factus est Deus*, quam ista : *Deus factus est homo;* nam, cum terminus in subiecto positus tenetur materialiter, id est pro supposito, terminus autem positus in praedicato tenetur formaliter, id est pro natura significata, hinc, cum dicitur : *Homo factus est Deus*, ipsum fieri non attribuitur humanae naturae, sed supposito humanae naturae, quod cum sit aeternaliter Deus, ideo ipsi non convenit fieri Deum; cum vero dicitur : *Deus factus est homo*, factio intelligitur terminari ad ipsam humanam naturam, ideoque proprie loquendo nequit dici : *Homo factus est Deus*, licet dicatur : *Deus factus est homo*, sicut de Socrate potest dici : *Hic homo hodie factus est albus*, non autem : *Hoc album hodie factum est homo*[2].

5. — Corollarium. — Igitur, haec propositio, uti iacet, nestorianam sapit haeresim, eo quod dat intelligere quod supposito humano unitum fuit suppositum divinum per aliquam unionem accidentalem, sive affectionis, sive inhabitationis, sive dignitatis

1. Ad 1^m. — 2. Ad 4^m.

personalis, sicut si dicatur: *Hoc edictum hodie factum est regium edictum*, ex eo quod rex sua auctoritate illud hodie muniverit.

6. — **Scholia.** — **I.** Et haec quidem dicta sint de hac propositione in suo naturali sensu accepta. Contorto autem sensu sumpta, poterit utique salvari, scilicet ut intelligatur participium *factus* determinare compositionem, ita quod id quod dicitur: *Homo factus est Deus*, aequivaleat huic: *Factum est ut homo esset Deus*, quod verum est, sicut etiam vera est haec altera: *Deus factus est homo*. Sed hic sensus non est proprius, secundum quod ly *homo* sumitur, ut sumi debet, secundum personalem suppositionem, id est, secundum subsistentiam et personalitatem quam nomen importat.

Erit tamen sensus proprius, si ly *homo* sumatur secundum suppositionem simplicem, sic enim sensus erit: *Homo, communiter loquendo, factus est Deus*, quod verum est, quia sic non semper fuit Deus. Et secundum hunc sensum intelligendi sunt sancti Patres, si quando quid simile protulerint, puta S. Augustinus, cum ait[1]: *Talis erat illa susceptio, qua Deum hominem faceret, et hominem Deum*, aut S. Gregorius Nazianzenus[2]: *Deus quidem humanatus est, homo autem deificatus, vel quomodolibet aliquis nominaverit.* Quod autem habet S. Augustinus[3]: *Factus est homo Deus, ut homo fieret Deus*, intelligendum est causaliter dictum, scilicet ut homines Deus incarnatus faceret Deos, per accidentalem divinitatis participationem[4].

II. Pariter, si loco subiecti *homo*, ponatur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, poterit hoc modo significari ut subiectum factionis, puta: *Natura humana facta est Filii Dei*[5].

ARTICULUS VIII. — *Utrum haec sit vera: Christus est creatura.*

1. — Error. — Fuit arianorum haeresis, in Christi divinitatem infensissimorum, quod Christum dixerint creaturam,

1. L. I de Trin., c. 13. — 2. Epist. 1, ad Cledonium. — 3. Serm. 6 de Nat.— 4. Ad 2^m^ et 3^m^. — 5. Ad 4^m^.

Patreque minorem, non solum secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturam. Quorum causa ponitur sequens

2. — PROP. — Absolute non est concedendum quod Christus sit creatura, sed solum cum determinatione.

Exponitur.— Ea, de quibus dubitari non potest quin conveniant Christo secundum unam naturam, sive divinam, sive humanam, possunt simpliciter de ipso praedicari; sed si adsit periculum quod ea quae conveniunt ipsi ratione humanitatis, divinitati tribuantur, aut viceversa, particula determinans erit addenda. Puta, quod Christus sit natus, quod sit mortuus, nulli dubium est quin ipsi ratione humanae naturae conveniat, sicut et quod sit aeternus ratione divinae naturae: absolute igitur dicemus: *Christus est natus, Christus est aeternus.* Sed cum ariani hoc praedicatum, *creatum esse,* attribuerent divinae ipsius naturae, dicentes Christum et secundum humanam et secundum divinam naturam fuisse inferiorem Patre, fuisseque tempus quando non erat, ne ipsa vocabula cum haereticis communia habeamus, dicendum erit cum determinatione, quod *Christus est creatura secundum humanam naturam.*

Huius autem rei exemplum esto in Aethiope, de quo absolute dicimus quod crispus est, cum nulli detur ambigendum quod capillis tantummodo crispus sit; at vero cum determinatione dicitur quod est albus, scilicet dente, ne quod parti convenit credatur toti simpliciter esse attribuendum.

3. — Patrum auctoritas. — Quapropter, ut in pluribus, Patres nonnisi determinatione addita Christum appellant creaturam, scilicet secundum humanam naturam. Sic S. Ambrosius[1] excludendo quaerit: *Numquid dicto factus est Christus? Numquid mandato creatus est Christus? Quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturae simplicis est, non coniunctae.*

Aliquando tamen, brevitatis causa, determinatione omissa, sancti Patres nomine creaturae utuntur circa Christum; sed tunc subintelligenda est determinatio: *in quantum homo.* Sic, S. Leo Papa[2] Incarnationis mysterium appellat novam et inauditam

1. L. I de Trin., c. 7. — 2. In Serm. 3 Pent.

conventionem, qua *Deus qui est et erat, fit creatura*[1]. Pariter Damascenus[2] ait quod Christus, qui *Deus est et homo, dicitur et creatus et increatus, passibilis et impassibilis.* Canonem autem in usu huiusmodi locutionum ipsemet postea inferius[3] statuit : *Ipsa una hypostasis* (scilicet Christi) *et increata est divinitate, et creata est humanitate,* ἥ αὐτὴ μία ὑπόστασις ἄκτιστός τε ἐστὶ τῇ θεότητι, καὶ κτιστὴ τῇ ἀνθρωπότητι.

4. — **Scholion.** — Propter eamdem rationem, ad evitandum scilicet Manichaei errorem, qui posuit Christum verum corpus non habuisse, nec vere fuisse passum, non est concedendum simpliciter ipsum esse impassibilem, sed cum determinatione, scilicet secundum naturam divinam[4].

5. — **Difficultas.** — Ratione corporis quod traxit de Virgine, Christus dicitur simpliciter natus de Virgine. Ergo ratione animae, quae est creata a Deo, Christus debet simpliciter dici creatura. — *Prob. conseq.* Quia anima principalior pars hominis est quam corpus

Resp. *Nego conseq.* — Siquidem, de nativitate ex Virgine nulla dubitatio esse potest quod conveniat personae Filii Dei, sicut potest esse dubitatio de creatione: ideoque non est similis ratio de hoc quod est esse natum, et quod est esse creaturam[5].

ARTICULUS IX. — *Utrum haec sit vera : iste homo, demonstrato Christo, incepit esse* ∪

1. — PROP. — **Non est dicendum quod ille homo demonstrato Christo, inceperit esse, nihil addito.**

Revera, iste homo est Iesus Christus; sed *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula,* ait S. Paulus[6], Ἰησοῦς Χριστὸς ἐχθὲς καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, ubi voce *heri* designari omne praeteritum tempus, immo omne spatium aeternitatis, contra arianos probant et S. Ambrosius[7] et S. Maximus[8].

1. Cf. ad 1^m. — 2. L. III Orthod. fid., c. 4. — 3. L. IV, c. 5. — 4. Ad 2^m. — 5. Ad 3^m. — 6. Hebr. XIII, 8. — 7. L. V. de Fide. c. 2. — 8. In Hom. 3 de Paschate.

2. — Prob. rat. theol. — Cum terminus in subiecto positus supponat personaliter, hinc hoc quod dicitur, *iste homo*, designato Christo, supponit pro supposito Filii Dei. Atqui supposito Filii Dei, utpote aeterno, repugnat incipere esse. Ergo propositio ista est simpliciter falsa.— Esset autem vera, si homo poneretur in loco praedicati, ut diceretur : *Christus incepit esse homo*, quia tunc terminus *homo* non supponeret pro supposito aeterno, quod quidem esse non incepit, sed referretur ad naturam humanam[1].

Addit S. Thomas quod, etiamsi posset sustineri veritas huius propositionis, ut *incipere esse* attribueretur tantum humanae naturae, tamen catholico viro esset ab ea abstinendum, propter abusum arianorum, dictitantium Christum incepisse, non solum secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturam : dicebant enim quod erat tempus quando non erat Filius Dei.

3. — *Corollarium. — Quocirca non extendenda, sed pie exponenda cum determinatione sunt verba S. Augustini, qui illud Ioannis commentans[2] : *Clarifica me, Pater, apud temetipsum*, ait[3] : *Priusquam mundus esset nec nos eramus, nec ipse mediator Dei et hominum homo Christus Iesus*, scilicet secundum humanitatem[4].

4. — Difficultas. — Christus incepit esse homo. Ergo incepit esse simpliciter.— *Prob. conseq.* quia esse hominem est esse simpliciter.

Resp. *Negò conseq.* — Revera argumentum ab inferiori ad superius, quale est ab esse hominem ad esse simpliciter, valet quidem cum verbo *esse*, puta : *Est homo, ergo est animal,* non valet autem cum verbo *incipere*, sic : *Incipit esse homo, ergo incipit esse animal*, aut : *Paries incipit esse albus, ergo incipit esse coloratus.* Sic igitur non valet : *Christus incipit esse homo, ergo incipit esse.* Ratio autem distinctionis inter esse et incipere esse est, quod incipere importat nunc esse et non prius, quod non importat simpliciter verbum esse[5].

1. Ad 3^m. — 2. C. XVII, 5. — 3. Tract. 105. — 4. Ad 1^m. — 5. Ad 2^m.

ARTICULUS X. — *Utrum haec sit vera : Christus, secundum quod homo, est creatura.*

1. — Ratio articuli. — In tribus ultimis articulis, S. Thomas examinat veritatem trium propositionum exponibilium, scilicet apparenter quidem simplicium, re tamen compositarum ; quae propositiones reduplicativae sunt, scilicet, utrum Christus, secundum quod homo, sit creatura, utrum sit Deus, utrum sit hypostasis.

2. — Quid sit propositio reduplicativa. — Propositio vel enunciatio reduplicativa illa est in qua, geminato subiecto vel aliquo nomine ad subiectum pertinente, ratio redditur convenientiae praedicati cum subiecto. Ideoque, id quod reduplicatur per voces *ut, qualenus, secundum quod*, etc., est aliquo modo idem cum subiecto et aliquo modo idem cum praedicato, ad instar medii termini in syllogismo, qui refertur ad praedicatum, sicut ad id quod per se consequitur ipsum medium terminum, et ad subiectum, sicut ad id quod aliquo modo continet ipsum. Ideoque, ut ait B. Albertus Magnus[1] : *Reduplicatio proprietas est a praedicato inchoans et in subiectum procedens, et in ipso manifestans causam inhaerentiae praedicati.*

3. — Quomodo fiat reduplicatio. — Iamvero, aliquid potest esse in subiecto, aut tanquam substantia subiecti, aut tanquam antecedens, aut tanquam consequens. Substantia subiecti alia est prima, scilicet suppositum, alia secunda, scilicet natura, quae in rebus compositis constat ex materia et forma. Antecedentia sunt causae finalis et efficiens ; consequentia vero accidentia. Tot igitur modis potest aliquid reduplicari. *Primo*, ut nomen resumptum in reduplicatione teneatur pro substantia prima, id est ut praedicatum conveniat subiecto ratione hypostasis, ut, verbi gratia, in hac propositione : *Homo est subsistens*, vel pro substantia secunda, sive ratione formae, ut in hoc: *Homo ratiocinatur*, sive ratione materiae, ut cum

1. Prior. Analyt., l. I, tract. VII, c. 6.

dicitur : *Homo sentit. Secundo,* ut nomen resumptum in reduplicatione teneatur pro causa sive finali, ut in hoc : *Homo est ad gloriam Dei,* sive efficiente, ut in hoc : *Homo est a Deo. Tertio,* ut nomen resumptum teneatur pro subiecto accidentium, puta cum dicitur : *Homo est coloratus.*

Quocirca, in reduplicatione, illud exprimendum est, quod est vera causa huius convenientiae, ut dicatur, puta, *homo, ut est hypostasis, est subsistens ; ut rationalis, ratiocinatur ; ut animal, sentit ; ut ad finem, est ad Dei gloriam creatus ; ut causatus, est a Deo ; ut albus, est coloratus.*

Quod si terminus in reduplicatione positus non assignat veram causam inhaerentiae praedicati ad subiectum, propositio erit simpliciter falsa, licet secundum quid possit esse vera, puta si quis dicat : *Homo, ut homo, sentit,* propositio reduplicativa est simpliciter falsa, et solum vera in quantum terminus *homo,* in reduplicatione positus, accipiatur in sensu generico seu materiali ; ista vero : *Homo, ut homo, ratiocinatur,* est vera non solum materialiter, sed etiam formaliter[1].

4. — PROP. — **Potest secundum veritatem dici :** CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST CREATURA.

Nam, haec propositio est vera, in quantum nomen quod reduplicatur, scilicet, *homo,* resumitur ratione humanae naturae, Christus enim ratione humanae naturae est creatura, ut dictum est. Atqui nomen in reduplicatione positum magis proprie seu formaliter tenetur pro natura : resumitur enim in vi praedicati quod tenetur formaliter, siquidem indicat rationem cur praedicatum inhaeret subiecto. Ergo haec propositio est simpliciter vera.

1. Cf. S. Thom. 3, Dist. X, q. 1, a. 1, q. III. — Solent distingui propositiones verae in sensu specificativo a propositionibus veris in sensu reduplicativo ; at invenitur hac in re magna discrepantia inter auctores. Ut caeteros taceam, iuvat hic referre distinctionem quam CORNOLDI (Thesaurus philosoph. Brixinae, 1871. Dist. 63 voce *reduplicativa*) assignat inter sensum reduplicativum et specificativum, ex eo ductam quod ille habetur, cum eadem vox, sive expresse, sive implicite replicatur, ut : *Animal rationale, quatenus rationale, est risibile,* aut : *Homo, qua talis, est rationalis ;* ille vero cum vox nova additur, ut : *Homo, quatenus animal, est sensibilis,* aut : *Homo, quatenus crines habet, est crispus.*

5. — Scholion. — Quod si nomen istud resumatur ratione suppositi, tunc praedicatio erit falsa: suppositum enim humanae naturae in Christo est aeternum et increatum. Quapropter propositio ista est vera formaliter accepta, falsa vero materialiter sumpta. Pariter, si addatur aliquid per quod nomen *homo* absolute trahatur ad suppositum, propositio erit absolute neganda, puta : *Christus, secundum quod est hic homo, est creatura:* esset enim idem ac dicere : *Homo Christus est creatura.*

6. — *Notanda. — **I.** Creatura tam de concretis quam de abstractis praedicatur : aeque enim dicitur : *Humanitas est creatura*, et : *Homo est creatura.* Ergo non valet consequentia : *Christus, secundum quod homo, est creatura; ergo est humana natura :* humana enim natura nonnisi abstracte sumitur[1].

II. Ex eo quod Christus, secundum quod homo, est creatura, nequit concludi : *Ergo homo Christus est creatura*, quemadmodum alicui forsan concludendum videretur, eo quod praedicatum magis dicitur de termino in reduplicatione posito, quam de ipso subiecto propositionis, sicut ex eo quod corpus, secundum quod est coloratum, est visibile, magis sequitur : *Ergo coloratum est visibile ;* nam ly *homo*, in subiecti sede positus, magis exprimit suppositum ; positus autem in reduplicatione magis respicit naturam : non autem de supposito, sed tantum de natura humana licet praedicare creatum esse[2].

III. Nec sequitur : *Christus, secundum quod homo, est creatura, ergo per se et simpliciter est creatura ;* licet enim esse secundum quod homo, in aliis, sit esse simpliciter, quia homo generaliter sumptus, non habet esse nisi secundum humanam naturam, tamen aliter res in Christo se habet, qui cum sit suppositum divinae naturae, habet esse increatum[3].

ARTICULUS XI. — *Utrum haec sit vera : Christus, secundum quod homo, est Deus.*

1. — PROP. — **Haec propositio:** CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO EST DEUS, **magis est neganda quam asserenda.**

1. Ad 1^m. — 2. Ad 2^m. — 3. Ad 3^m.

Ratio est eadem ac in articulo praecedenti, nempe quia terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito; humana autem natura est distincta secundum differentiam naturae a divina : ideoque propositio ista est simpliciter falsa. — Esset tamen vera, si terminus in reduplicatione positus acciperetur ratione suppositi : tunc enim, quia suppositum humanae naturae in Christo est persona Filii Dei cui convenit esse Deum, ideo dici potest quod Christus, secundum quod homo, est Deus, sumpto termino *homo* in ratione suppositi.

2. — ***Notanda.** — **I.** Si trahatur nomen *homo* ad standum pro supposito, propositio erit magis vera quam falsa, puta si dicatur : *Christus secundum quod est iste homo, est Deus*[1].

II. Non valet argumentatio : *Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis; sed Christus, secundum quod habet gratiam unionis, est Deus; ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.* Nam *minor* sic debet distingui : Christus, secundum quod habet gratiam unionis, movetur ad hoc ut sit Deus, *conc.;* est Deus formaliter, *nego.* — Christo enim convenit moveri, ad hoc quod sit Deus, ratione humanae naturae, quae consideratur tanquam materia unionis; sed esse Deum substantialiter ipsi convenit ratione τοῦ esse divinae naturae, quae consideratur tanquam forma : moveri autem convenit alicui ratione materiae, esse vero ratione formae[2].

III. Si quando attribuitur Christo, ut homini, divina potestas, puta, cum dicitur[3] : *Ut sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, huiusmodi potestas est intelligenda instrumentaliter aut ministerialiter attributa humanae naturae, non vero auctoritative et principaliter. Sic enim competit soli Deo, iuxta illud[4] : *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me;* sed *humanae naturae potestatem divinitatis univit indivisibili unione*, ut ait S. Chrysostomus[5], ut esset instrumentum coniunctum divinitatis in opere redemptionis et sanctificationis hominum.

1. Ad 3^m^. — 2. Ad 1^m^. — 3. Matth. IX, 6. — 4. Is. XLIII, 25. — 5. Hom. XXX in h. loc.

ARTICULUS XII. — *Utrum haec sit vera : Christus, secundum, quod homo, est hypostasis vel persona.*

1. — PROP. — Haec propositio : CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO EST HYPOSTASIS VEL PERSONA, est simpliciter falsa.

Revera, haec propositio, uti sonat, dat intelligere quod humana natura in Christo subsistat per se seorsum a natura divina, seu quod propria personalitate terminetur, quod utique nestorianum est; nam, licet Christus sit *in similitudinem hominum factus*[1], tamen personalitate temporali et creata non donatur, praeter personalitatem aeternam et divinam, cum praedicta similitudo attendatur penes naturam, non autem penes personam, ut dictum est supra[2].

2. — Scholion. — Attamen si terminus *homo* in reduplicatione positus accipiatur non ratione naturae, sed ratione suppositi, propositio erit vera, quia suppositum humanae naturae nihil est aliud quam persona Filii Dei. Quinimmo, propositio potest etiam dici vera, etiamsi terminus *homo* accipiatur ratione naturae, sed hoc sensu ut intelligatur quod humanae naturae competat esse in aliqua persona : omne enim quod subsistit in humana natura est persona. Sed isti non sunt naturales huius propositionis sensus, quae ideo magis neganda est, quam affirmanda.

3. — Notanda. — **I.** Homini Christo hoc proprium est quod persona subsistens in humana eius natura, non est causata ex principiis humanae naturae, sed est aeterna; dum homini puro convenit esse personam secundum quod omne quod est subsistens in humana natura est persona[3].

II. Quia humana natura in Christo, licet sit substantia individua completa, et quidem rationalis naturae, tamen non est per se subsistens separatim ab aliis, sed in alio existens, ideo persona dici nequit, licet dicatur individuum vel singulare quoddam,

1. Phil. II, 7. — 2. Quaest. IV, art. 2. — 3. Ad 1^m.

sicut etiam manus, vel pes vel anima separata, persona dici non possunt[1].

III. Quemadmodum negatur quod Christus, secundum quod homo, est persona, ita etiam negari debet quod Christus, secundum quod homo, sit per se hypostasis, suppositum, aut res naturae: ista siquidem significant idem quod persona, scilicet quoddam per se subsistens in genere substantiae[2].

1. Ad 2[m]. — 2. Ad 3[m]. Argumentum de idiomatum communicatione egregie more suo prosequitur Petavius (Theol. Dogm. De Incarnat. L. VII, cc. 12, 13), qui etiam plura nomina humanae Christi naturae a scriptoribus passim attributa ad trutinam revocat, qualia suut *instrumentum, vestitus, trabea, subligar, templum.* De nomine *sponsa* haec habet (loco cit. c. 13. n. 8) : *Sponsum nominari Verbum, eiusque sponsam hominis assumptam naturam, non satis probat Gregorius Papa* (Hom. XXXVIII) *dum evangelicam illam parabolam enarrat regis* (Matth. XXII), *filio suo convivium nuptiale celebrantis. Quam cum de Dei Filio humanam sibi naturam copulante esset interpretatus, mox seipsum castigans, quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis coniunctio, persona autem Dei et hominis Redemptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis unita non est : idcirco alium potius sensum parabolae isti tribuit, ut Christi cum Ecclesia coniugium significet. At Augustinus* (Tract. VIII in Io.), *Verbum, inquit, sponsus, et sponsa caro humana, et utrumque unus Filius Dei et idem Filius hominis, ubi factus est caput Ecclesiae ; ille uterus Virginis Mariae thalamus eius, inde processit tanquam sponsus de thalamo suo. Innumera sunt huius generis ancipiti usu in utramque partem ab antiquis accepta, ut ex eo constet. nec omnia quae unius alteriusve Patris iudicio reiecta vel ascita fuerint, absolute statim probari a nobis aut repudiari oportere: et hanc divinis de rebus loquendi tenendam esse regulam, quam in latini delectu sermonis observari Gaesar voluit, uti tamquam scopulum declinemus insolens omne verbum, et ab consuetudine communi Theologorum alienum.*

*APPENDIX

REGULAE COMMUNICATIONIS IDIOMATUM

1. Principium generale. — Colligendo ea omnia quae in hac quaestione sunt tradita, dicimus in praedicationibus circa mysterium Incarnationis hoc esse generale principium attendendum, scilicet ut quidquid praedicatur de hypostasi nomine unius naturae nominata, praedicetur de eadem etiam designata nomine naturae alterius, non autem ut praedicetur de una natura quod de altera dicitur. Ratio primi est identitas hypostasis; ratio autem secundi est diversitas naturarum. Ex quo principio sequentes prodeunt regulae.

2. — Regulae speciales — I. Naturae et naturarum proprietates, possunt vere et proprie de se mutuo praedicari in concreto; verbi gratia, potest dici: *Deus est homo, Deus est mortalis;* aut, *Homo est Deus, homo est immortalis.* Ratio est, quia ista in uno supposito conveniunt; nomina autem concreta supponunt pro supposito sive pro persona. — Excipe, nisi illa concreta α) inferant suppositum creatum, sicut in hac propositione: *Homo factus est Deus;* β) nisi reduplicentur, sicut in hac propositione: *Christus, quatenus Deus, est homo;* γ) nisi faveant haeresi, sicut in istis propositionibus: *Christus est creatura*, aut *incepit esse*, aut *est minor Patre;* δ) nisi conveniant soli humanae naturae ratione suiipsius, verbi gratia: *Christus est assumptus*, aut *est pura creatura.*

II. Concreta unius naturae aut eius proprietatum nequeunt proprie et formaliter praedicari de abstractis alterius naturae aut illius proprietatum; verbi gratia, nequit dici: *Deitas est homo*, aut *est mortalis.* In sensu tamen identico posset salvari haec propositio, scilicet, secundum quod *homo* supponit pro supposito quod identificatur deitati.

III. Abstracta naturae divinae de persona Christi possunt prae-

dicari, cum Filius Dei sit sua divinitas, non vero abstracta humanae naturae, cum non sit sua humanitas; hinc dici potest : *Verbum est omnipotentia,* aut etiam : *Hic homo est divinitas,* non autem : *Verbum est humanitas aut mortalitas.*

IV. Abstracta naturarum earumque proprietatum nequeunt de se mutuo praedicari; quandoquidem naturae earumque proprietates sunt realiter distinctae, nec pro eodem supponunt; hinc dici nequit : *Humanitas est divinitas,* etc.

V. Concreta adiectiva, quae substantiam divinam designant, nequeunt de Christo praedicari : darent enim intelligere quod Christus non est Deus nisi accidentaliter, quod nestorianum est ; hinc nequit dici : *Christus est homo dominicus,* etc. Possunt tamen concreta adiectiva, quae proprietates humanae aut divinae naturae significant, de Christo praedicari, cum huiusmodi concreta significant suppositum quod est subiectum illorum attributorum : hinc dici potest : *Christus est aeternus et temporalis.*

3. — **Corollarium.** — Ex quibus resultat contrarium quid hic haberi ei quod verificatur relate ad praedicationes in mysterio Sanctissimae Trinitatis. Hic enim propter identitatem naturae cum personis et personarum proprietatibus, et abstractum de abstracto, et concretum de abstracto, et abstractum de concreto praedicantur, non autem concretum relativum de concreto relativo. In Incarnatione autem hoc tantum permittitur, caetera vero vetantur, ut dicatur : *Deus est homo,* non autem *Deitas est humanitas,* aut : *Deitas est homo,* aut : *Deus est humanitas.* E contra, in mysterio Trinitatis dicitur *Deitas est Paternitas, Deitas est Pater, Deus est Paternitas ;* minime vero *Pater est Filius.*

4. — **Scholion.** — Quod si penes aliquem ex Patribus scriptum reperiatur : *Christus est divinitas et humanitas simul,* hoc intelligendum est, aut ut abstracta sumantur pro concretis, aut ut significetur quod Christus est persona composita ex humanitate et divinitate hypostatice unitis, quo sensu dicitur : *Anima rationalis et caro unus est homo,* id est ex anima rationali et corpore unus homo constituitur. Igitur respuendus est eorum sensus, qui volunt his verbis significari Christum esse seorsum huma-

nitatem, et seorsum divinitatem, quod esset illum dividere, quod fuit condemnatum in Concilio Constantiensi[1] in ista Ioannis Huss propositione : *Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus.* Denique, respuenda est haec propositio in sensu collectivo intellecta, Christus enim plus includit, quam significant natura divina et humana, scilicet includit hypostasim, de qua abstracta humanitatis nullatenus possunt praedicari.

1. Sess. XV. Claudi potest haec de divinis Nominibus ad Incarnationem pertinentibus quaestio opportuna Petavii animadversione (loco prox. cit. n. 8.) : *Ac mihi tutissimum et ab omni offensione, ac periculo erroris remotissimum videtur, ut ab eorum, quibus vivimus, temporum usu quam minime discrepemus : atque ut vetustatis scientiam retinentes, eam loquendi nobis regulam praescribamus, quam fert aetatis nostrae mos, praestantium doctrina et pietate hominum auctoritate roboratus. Id si ad eum modum instituatur, minus erit temerariae novitati loci, ac rixis et ineptis contentionibus aditus obstruetur : quas quidem in hac nostra disciplina fatendum est plerumque ex dissimili vocum usurpatione, potius quam ex diversa rerum intelligentia proficisci. Denique sentiendi quidem divinis de rebus, quae catholica regula constitutae sunt, manet ac manebit in aevum omne fixa et immutabilis ratio : verborum autem, quibus eaedem res explicantur, saepe variatur usus ; cui non tam originis ac nativae linguae proprietas, quam popularis doctorum consuetudo moderari debet.*

QUAESTIO XVII

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE.

PROLOGUS.

Ratio et ordo quaestionis. — Cum ea quae pertinent ad unitatem vel pluralitatem in Christo in speciali, determinatis locis statuantur, ut puta quod in Christo non est una tantum scientia[1], et pariter quod non est una tantum nativitas[2], ideo hic agendum tantummodo est de iis quae pertinent ad unitatem in Christo in communi, scilicet, primo quantum ad esse (XVII), secundo quantum ad velle (XVIII), et tertio quantum ad operari (XIX).

Hic igitur de unitate Christi determinabitur, *quae disputatio*, monet Card. Satolli[3], *mere theologica est, celebris inter Doctores et ad sciendum gravissima*. Quod quidem fiet primo absolute (1), et secundo per respectum ad esse existentiae (2).

Hinc, duo hic quaeruntur :

Primo. Utrum Christus sit unum vel duo.

Secundo. Utrum in Christo sit tantum unum esse.

ARTICULUS I. — *Utrum Christus sit unum vel duo.*

1. — Praenotandum. — Ad huius dubii solutionem, sedulo advertendum est quid sibi vellet Christum esse duo. Siquidem, quemadmodum unum dicitur habens unitatem, non in aliquo alio, sed in ipso de quo *unum* praedicatur, ita duo dicitur quasi

1. Quaest. IX-XII. — 2. Quaest. XXXV. — 3. In h. l.

habens dualitatem, non quidem in aliquo alio, sed in eo ipso de quo *duo* praedicatur. In hac autem propositione *Christus est unum*, praedicatio fit de supposito quod importatur per hoc nomen *Christus*[1]. Igitur quaerendum est utrum dualitas naturarum in Christo, stante unitate suppositi, sit ratio sufficiens pro permittenda ista propositione : *Christus est duo*, sive neutro, sive masculino genere intelligatur.

Observat Caietanus[2] S. Thomam hic videri seipso doctiorem extitisse : quippe qui, cum in quaestione disputata de *Unione Verbi*[3], si tamen hoc sit genuinum Angelici opus[4], concesserat Christum esse duo secundum quid, hic tamen hoc absolute reiicit : unde etiam monemur auctoritati Summae theologicae, prae aliis Angelici Doctoris operibus, esse deferendum.

2. — PROP. — **Christus est non modo unus, sed etiam unum, non autem duo.**

Ita in Symbolo Nicaeno legimus : *Credo... in unum Dominum Iesum Christum ;* pariter in Symbolo Athanasiano : *Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus ;* et in Concilio Ephesino[5] anathemate plectitur qui non confitetur unum esse Christum, eumdem scilicet Deum simul et hominem ; et iterum dicitur[6] : *Ita Christum Deum et Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne divisionis quaedam species inducatur, sed unum iam et eumdem adorantes.*

Porro, quod Christus sit dicendus *unus* masculine satis constat ; *unus* enim est nomen personam significans : in Christo vero est una tantum persona. Sed quod dicendus etiam sit *unum* neutro genere, dubitatur, quia neutrum genus est naturae significativum : cuius signum est, quod dicit Christus[7] : *Ego et Pater unum sumus,* scilicet propter unitatem naturae, licet tres sint divinae personae. In Christo autem utraque est natura, divina scilicet et humana. Attamen, Christus non est dicendus *duo* neutro genere.

3. — **Prob. ratione theol.** — Ad hoc ut Christus posset dici *duo* neutro genere, esset necesse ut utraque natura de ipso

1. Ad 6^m. — 2. In h. l. — 3. Art. 3. — 4. Vide infra, art. 2, n. 10. — 5. Can. 2. — 6. Can. 13. — 7. Io. X, 30.

posset in abstracto praedicari : quemadmodum e converso unum dicuntur tres divinae personae, quia de ipsis in abstracto praedicatur deitas. Atqui utraque natura non potest de Christo in abstracto praedicari. Revera, cum in Deo solo verificetur quod subiectum vel suppositum est idem omnino cum natura propter summam eius simplicitatem[1], ideo Filius Dei est quidem sua divinitas, sed non est sua humanitas; unde humana natura praedicatur de Christo tantummodo in concreto; natura quippe humana non est nata praedicari de suo supposito. Ergo quod praedicentur de Christo ambae naturae, non est nisi per modum unius suppositi.

Quapropter, Christus esset quidem dicendus *duo*, non unum, si ambae naturae praedicarentur de ipso in abstracto per modum identitatis ; quia, cum istae duae naturae distinctae sint, oporteret ut haberentur duo supposita distincta, quod tamen non habetur. E contra, quia in mysterio Trinitatis, eadem natura divina praedicatur etiam in abstracto de tribus personis, ideo simpliciter dicitur quod tres personae sunt unum : unde in mysterio Incarnationis, si ambae naturae praedicarentur in abstracto de Christo, dici posset quod Christus est duo[2].

4. — Quomodo utraque natura praedicatur de Christo. — Sed utraque natura non modo praedicatur de Christo prout significatur in supposito, sed etiam prout significatur in supposito distincte. Nam de Christo dicitur quod est Deus, sicut et quod est homo. Porro, Deus significat habentem deitatem, et homo significat habentem humanitatem : aliter tamen habens humanitatem significatur per hoc nomen *homo*, aliter per hoc nomen *Iesus* vel *Petrus :* nam hoc nomen *homo* importat habentem humanitatem indistincte, sicut hoc nomen *Deus* indistincte importat habentem deitatem : e contra hoc nomen *Petrus* vel *Iesus* importat distincte habentem humanitatem, scilicet sub determinatis proprietatibus individualibus, sicut et hoc nomen *Filius Dei* importat habentem deitatem sub determinata personali proprietate. Igitur utraque natura praedicatur de Christo prout significatur in supposito uno, et quidem distincte. Unde sicut Petrus, licet

1. I, Quaest. III, art, 3. — 2. Ad 5^m.

constet ex pluribus, tamen non dicitur plura, ita Christus, licet constet ex natura divina et humana, non tamen plura est seu duo, sed unum, quia ista plura conveniunt in unum idemque suppositum. Ideoque in Christo sunt quidem aliqua duo, Christus autem non est duo, sed unum.

5. — *Excluditur falsa quorumdam positio. — Dictum autem est quod Christus est *unus et unum*. Porro hoc expresse positum est contra eos qui, distinguentes personam a supposito vel hypostasi, in eo quod persona sit suppositum completum ultima completione, admittebant quidem in Christo unam tantum personam, sed duo ponebant supposita; et quia neutrum genus designat quiddam informe et imperfectum, masculinum autem genus designat quiddam formatum et perfectum, ideo Christum dicebant *unum* masculino genere, sed *duo* neutro genere. Nestoriani vero non modo duo supposita, sed etiam duas personas ponebant; ideoque Christum et *duo* et *duos* dicebant.

Nos autem dicimus quod Christus et est unus masculine et unum neutraliter, non quidem eo sensu quo unum neutraliter dicitur in divinis, ad designandam unam trium divinarum personarum naturam, sed propter suppositi unitatem. Ideoque, cum *omne quod est, in quantum est, unum est*[1], ideo multo magis Christum esse unum confiteri debemus. Ex quo patet, ad hoc ut aliquid dicatur duo absolute, non satis esse ut habeat duplicem naturam, sed requiri etiam duplex suppositum; dum unitas in natura sufficit ut aliquid dicatur unum, sicut tres personae unum sunt.

6. — *Quaestiones. — I. *Quonam sensu sint intelligenda ista S. Augustini verba*[2] : QUIA FORMA DEI ACCEPIT FORMAM SERVI, UTRUMQUE DEUS PROPTER ACCIPIENTEM DEUM, UTRUMQUE AUTEM HOMO PROPTER ACCEPTUM HOMINEM?

Resp. Non hoc sensu quod ly *utrumque* teneatur ex parte praedicati, quasi dicatur Christum esse utrumque, sed secundum quod tenetur ex parte subiecti, quo sensu ly *utrumque* ponitur, non quasi pro duobus suppositis, sicut dicitur de Petro et Ioanne: *Uterque est homo*, aut *uterque currit*, sed pro duobus nominibus

1. BOETIUS, l. de duabus nat. — 2. L. I de Trin., c. 7.

significantibus duas naturas in concreto, sicut si dicatur quod *Petrus est utrumque,* scilicet sensitivus et intellectivus, aut quod pomum est utrumque, scilicet album et dulce : unde possumus dicere quod utrumque, scilicet Deus et homo, est Deus, propter accipientem Deum, et utrumque, scilicet Deus et homo, est homo, propter acceptum hominem[1]. Quod iste sit sensus huius loci, confirmatur hisce aliis verbis S. Augustini[2] : *Utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus,* etc.

II. *Quid sibivelit S. Augustinus, cum ait*[3] *:* CUM IN FORMA DEI ESSET, FORMAM SERVI ACCEPIT, UTRUMQUE UNUS ; SED ALIUD PROPTER VERBUM, ALIUD PROPTER HOMINEM ?

Resp. Cum dicitur : *Christus est aliud et aliud,* locutio haec non est extendenda, quia *aliud et aliud* significat diversitatem suppositi simul et naturae, quod in Christo non est; itaque potius est pie exponenda, ut sensus sit: *Habens aliam et aliam naturam,* sicut ipsemet S. Augustinus exponit[4]; nam, cum dixisset : *In mediatore Dei et hominum, aliud Dei Filius, aliud hominis filius,* subdit: *Aliud, inquam, pro discretione substantiae, non aliud pro unitate personae.*— Attamen, licet aliquo modo possit dici Christus *aliud et aliud,* nunquam tamen dicetur *alius et alius,* quod ita exponit S. Gregorius Nazianzenus[5] : *Si oportet compendiose dicere, aliud quidem et aliud ea ex quibus Salvator est, siquidem non idem est invisibile visibili, et quod absque tempore ei quod sub tempore : non autem alius et alius, absit : haec enim ambo unum*[6]. Optime tamen dicetur quod *in* Christo est aliud et aliud[7].

Ulterius[8] S. Doctor exponit quare non debeat Christus dici *aliud et aliud,* quanquam sit in ipso diversitas naturarum; nam si diversitas accidentium sufficit ut unum et idem dicatur alterum et alterum, videretur quod diversitas naturarum deberet facere *aliud et aliud.* — Ast *alterum* importat diversitatem accidentis, quae diversitas sufficit ad hoc quod aliquid simpliciter dicatur alterum ; sed quia *aliud* importat diversitatem substantiae, substantia vero dicitur non solum natura, sed etiam suppositum,

1. Ad 1[m]. — 2. Enchir. c. 38. — 3. Ibid.. c. 35. — 4. L. contra Felicianum, c. 11.— 5. Ep. 1, ad Cledonium. — 6. Cf. ad 2[m].— 7. Cf. q. II, art. 3, ad 1[m]. — 8. In resp. ad 7[m].

ideo ad hoc quod aliquid dicatur simpliciter *aliud*, non sufficit diversitas naturae, sed requiritur etiam diversitas secundum suppositum: siquidem sola diversitas naturae, remanente identitate suppositi, facit aliud secundum quid tantum, et non simpliciter [1].

III. *Utrum haec sit vera:* CHRISTUS EST TANTUM HOMO?

Resp. *Negative.* Nam, cum terminus in praedicato positus tenetur formaliter, ideo haec propositio non excludit aliud suppositum, sed aliam naturam; esset autem vera, si aliquid adderetur per quod traheretur ad suppositum, verbi gratia: *Christus est tantum id quod est homo.* Ex eo autem quod haec est falsa: *Christus est tantum homo*, non sequitur quod sit aliquid aliud quam homo: nam ly *aliud*, cum sit relativum diversitatis substantiae, proprie refertur ad suppositum, non secus ac omnia pronomina relativa, *qui, quae, quod*, etc.; sed sequitur: *ergo Christus habet aliam naturam* [2].

7. — Difficultas. — Quod est aliquid et aliquid est duo. Sed Christus est aliquid et aliquid. Ergo Christus est duo. — *Prob. min.* Christus est aliquid quod est Pater, et aliquid quod non est Pater.

Resp. *Dist. mai.* Si per aliquid et aliquid, intelligatur duplex natura, *conc.;* si per unum aliquid intelligatur natura, per alterum aliquid vero intelligatur suppositum, *nego. Dist. min.* Christus est aliquid et aliquid, ita quod per utrumque aliquid intelligatur natura, *nego;* sic quod per unum aliquid intelligatur natura divina, et per aliud intelligatur suppositum humanae naturae, *conc. Nego conseq. et conseq.*— Quando dicitur: *Christus est aliquid quod est Pater,* ly *aliquid* tenetur pro natura divina, quae praedicatur de Patre et de Filio etiam in abstracto; sed quando dicitur: *Christus est aliquid quod non est Pater*, ly *aliquid* non tenetur pro ipsa natura humana prout significatur in abstracto, cum Christus non sit sua humanitas, sed prout significatur in concreto. In concreto autem significata, non est aliud nisi suppositum humanae naturae in Christo, quod est persona Filii Dei. Sed persona Filii Dei non ponit in numero cum

1. Cf. quae scripsimus in Tr. de SS. TRINIT., Q. XXXI, art. 2.— 2. Ad 3^m.

natura divina quae de Patre et Filio praedicatur. Ergo non exinde sequitur Christum esse aliud et aliud, seu esse duo.

Idem autem hic debet adverti quod antea dicebatur, nempe quod licet hoc nomen *Iesus* importet habentem humanitatem distincte, seu cum determinata proprietate personali, tamen cum dicitur : *Christus est aliquid quod non est Pater*, importatur habens humanitatem non distincte aut cum proprietatibus individuantibus, sed indistincte[1].

ARTICULUS II. — *Utrum in Christo sit tantum unum esse.*

1. — Praenotanda. — I. Recolendum in antecessum venit quod cum in Christo duae sunt naturae et una hypostasis, necesse est ut quae ad naturam spectant duplicentur, quae autem ad hypostasim pertinent sint unum tantum. Porro unio hypostatica facta est immediate in persona Verbi, Verbo scilicet terminante humanam naturam; et mediante hac terminatione, communicando illi naturae esse divinum: quod sedulo advertendum est, ne credatur unio facta cum tribus divinis personis. *Potest esse considerari vel prout est essentiae, et sic non unitur humanitas in esse divino, unde non unitur Patri ; vel potest considerari prout est personae et sic unitur in esse divino*[2].

II. Revera, esse pertinet et ad naturam et ad hypostasim, aliter tamen et aliter : siquidem, pertinet ad naturam, sicut ad id quo aliquid habet esse, natura enim significatur per modum formae quae dicitur ens ex eo quod eâ aliquid est : esse autem pertinet ad hypostasim, sicut ad id quod habet esse[3]: unde utrumque comprehendentes dicimus, quod humanitate aliquis est homo, et albedine aliquid est album.

III. Denique, esse aliud est essentiae, aliud vero existentiae. Porro, quod hic non sit sermo de esse essentiae satis constat, cum iam compertum sit esse duas naturas, sive essentias completas in Christo, scilicet divinitatem et humanitatem; insuper, ut ait

1. Ad 4^m^. — 2. 3, Dist. VI, q. II, art. 2, ad 2^m^. Cf. quae diximus supra, Quaest. IV, a. 2, p. 234, et Tract. DE DEO UNO, Quaest. III, a. 3, p. 171. — 3. Ad 1^m^.

ipsemet S. Thomas[1], *licet ipsum esse non sit de ratione suppositi, pertinet tamen ad suppositum, et non est de ratione naturae :* unde proprie hic determinandum venit de esse actualis existentiae, utrum scilicet in Christo sit unum aut duo.

2. — Ratio dubitandi. — Huic autem dubitationi causa ex eo praebetur quod, cum divinitas sit suum esse infinitum, itidemque persona Verbi, non videtur quomodo possit etiam humanitas Christi isto esse actuari. Eo vel magis de hoc dubitatur quia humanitas unitur Verbo ut habitus : atqui, sicut non repugnat, esse accidentale multiplicari in una hypostasi, aliud est enim esse quo Socrates est albus et aliud quo Socrates est musicus, ita non videtur adesse repugnantia in eo quod in una hypostasi Verbi esse multiplicetur secundum naturarum multiplicationem.

3. — Distinctio esse a personalitate. — Huic autem quaestioni locus non daretur, si existentia seu esse, in rebus creatis, realiter non distingueretur a personalitate, quod supra[2] improbatum est, cum dictum est quod personalitas per se dicit terminum ultimum et purum naturae substantiae, ideoque consistit in perseitate independentiae ab alio ut a subiecto, et in incommunicabilitate ad aliud subiectum, existere autem est rem actuari seu poni extra suas causas. — Revera, si idem re essent persona et esse, cum de unitate personae in Christo iam satis supra[3] pertractatum sit, frustra hic eadem quaestio iteraretur; sed S. Thomae mens sat aperte manifestatur, cum dicit[4] quod esse sequitur personam sicut habentem esse. Quinimmo alibi[5] S. Doctor in distinctis articulis inquirit : *primo*, utrum in Christo sit tantum una hypostasis, et *secundo*, utrum sit tantum unum esse[6].

4. — Sententiae. — Contra S. Thomam eiusque sequaces nonnulli theologi, Suarezium secuti, docent humanitatem Christi propria existentia creata fuisse donatam : unde sequitur esse in Christo aliud esse existentiae Verbi, aliud humanitatis eius.

5. — PROP. — **Esse personale actualis existentiae in Christo est unum tantum.**

1. Quodlib. II, a. 4.— 2. Quaest. IV, art. 2. — 3. H. l.— 4. Ad 1^m. — 5. Quodlib. IX. — 6. Sufficere ista possent, ut eorum positio excludatur qui distinctionem personalitatis a natura singulari tanquam Caietani figmentum traducunt.

Haec veritas ita traditur in epistola Sophronii, in sexto Concilio generali recepta et adprobata[1], in qua de Christi humanitate dicitur : *In illo itaque* (nempe Verbo), *et non per semetipsam habuit existentiam unam*. Quae verba innuunt non modo humanitatem Christi non habuisse existentiam antequam Verbo uniretur, sed etiam post unionem, unam fuisse in ipsa existentiam ; quod constat ex iis quae addit, nempe personam Christi compositam *habere unum esse et permanere unum*.

Prob. Humana natura coniungitur Filio Dei hypostatice vel personaliter, non autem accidentaliter, ut ostensum est in secunda quaestione. Atqui esse, quod pertinet ad hypostasim vel personam secundum se, impossibile est in una persona vel hypostasi multiplicari. Ergo esse personale actualis existentiae in Christo est unum tantum.

6. — **Exponitur argumentum**. — In Socrate, est unum esse personale secundum quod est homo, et aliud esse secundum quod est albus : esse enim album non pertinet ad ipsum esse personale Socratis. Sed esse capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, seu in partibus integralibus, in parte materiali et in parte formali, non est aliud esse ab esse personali Socratis, sed totum pertinet ad unam eius personam ; ideoque ex his omnibus non fit nisi unum esse Socratis. Quocirca, si contingeret quod, post constitutionem Socratis, advenirent ipsi partes integrales, puta manus, vel pedes, vel oculi, sicut accidit in caeco nato, ex his non accresceret Socrati aliud esse, sed tantum nova relatio esse praeexistentis ad huiusmodi : diceretur enim esse non solum secundum ea quae prius habebat, sed etiam secundum ea quae sibi postmodum advenerunt.

Pariter, si humana natura adveniret Filio Dei non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter, sicut posuit Nestorius, oporteret utique ponere in Christo duo esse : unum secundum quod est Deus, aliud secundum quod est homo. Si enim sit aliqua forma quae non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personae simpliciter, sed secundum quid, sicut esse album est esse Socratis, non in quan-

1. Act. 11.

tum est Socrates, sed in quantum est albus : et huiusmodi esse potest multiplicari in uno subiecto, sicut aliud est esse quo Socrates est albus et aliud quo est musicus. Sed quia humana natura coniungitur Filio Dei hypostatice et non accidentaliter, ideo secundum humanam naturam non advenit ei novum esse personale, sed tantum nova habitudo esse personalis praeexistentis ad naturam humanam, ut scilicet persona Verbi iam dicatur subsistere non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam. Ergo est unum tantum esse personale actualis existentiae in Christo : impossibile quippe est quod unius non sit nisi unum esse : ideoque illud esse aeternum Filii Dei, quod est natura divina, fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personae[1].

Qua in re notanda sunt Angelici Doctoris verba [2] : *Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cuius integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturae, ideo oportet dicere quod esse substantiale, quod proprie attribuitur supposito, in Christo est unum tantum : habet autem unitatem ex ipso supposito, et non ex naturis. Si tamen ponatur humanitas a divinitate separari, tunc humanitas suum esse habebit aliud ab esse divino. Non enim impediebat quin proprium esse haberet, nisi hoc quod non erat per se subsistens, sicut si arca esset quoddam individuum naturale, ipsa tota non haberet nisi unum esse : quaelibet tamen partium eius ab arca separata, proprium esse habebit.*

7. — Confirmatur. — I. Unumquodque secundum hoc dicitur ens, secundum quod dicitur unum. Atqui Christus non est duo sed unum. Ergo est tantum in ipso unum esse.— Nec obstat quod ea quae consequuntur naturam in Christo duplicantur : hoc enim verum est de iis quae consequuntur naturam, ut eius perfectiones et proprietates independenter ab hypostasi, tanquam earum proximo principio : sed esse existentiae non consequitur naturam hoc modo, sed solum per respectum ad hypostasim.

II. Existentia, sive esse, est ultima uniuscuiusque rei actualitas, exindeque ultima eius perfectio, qua res sistitur extra suas

1. Ad 2^m. — 2. Quodlib IX, art. 3.

causas: ergo persona nequit terminare duplicem existentiam : repugnat enim *ultimam* actualitatem duplicari. Multo minus potest concedi Verbum suscipere aliquam perfectionem a creatura, quod tamen inferri deberet, si eius humanitas propria existentia donaretur.

III. Si in Christo sunt duo esse, ergo Beata Virgo non est Mater Dei. In eo enim consistit divinae Maternitatis ratio, quod Beata Virgo genuerit Hominem-Deum. Atqui non potuit generare Hominem-Deum, nisi humana natura circa quam exercebatur Virginis actio, subsisteret ipsamet Verbi subsistentia, cuius propria personalitate terminaretur, ita quod dici posset Homo-Deus.

8. — Corollarium. — Igitur in Christo est unum tantum esse, sicut est unum tantum esse trium personarum in mysterio Trinitatis, aliter tamen et aliter. Hic enim, quia persona est idem cum natura, ideoque in divinis personis non est aliud esse personae praeter esse naturae, ideo tres personae non habent nisi unum esse : haberent autem triplex esse, si in eis aliud esset esse personae et aliud esse naturae. In Incarnatione autem, ideo est unum tantum esse, non quia natura humana sit idem ac persona Verbi, sed quia trahitur in communicatione τοῦ esse personae divinae[1].

9. — *Scholion. — Quod si esse actualis existentiae intelligatur, non secundum se, sed secundum habitudinem ad divinam et humanam naturam, dualitas existentiae poterit in Christo secundum quid affirmari, scilicet, non quasi in ipso Christo sit duplex esse, sed quia in eo duplex est habitudo diversae rationis unius eiusdemque existentiae ad divinam et humanam naturam.

10. — Difficultates. — **I**. Impossibile est perfectionem infinitam actuare naturam creatam. Atqui esse Verbi est perfectio infinita. Ergo esse Verbi non actuat naturam creatam.

Resp. *Dist. mai.* Per modum formae intrinsece informantis, *conc.;* per modum actualitatis extrinsece perficientis, *nego. Conc. min.; nego conseq. et conseq.* — Esse quidem est formalissimum omnium, non sicut forma respectu materiae, sed sicut actuans

1. Ad 2^m.

respectu rei quae actuatur. Ideoque, cum forma debeat materiae proportionari, hinc repugnat rem aliquam informari per esse alicuius rei infinitae; sed potest hoc esse communicari naturae creatae, non quidem ut illo esse informetur, sed ut in illo subsistat complete et terminative.

II. Anima dat esse corpori, cum sit forma eius; ideoque et anima in Christo dat esse corpori eius, unde non videtur asserendum quod humanitas Christi actuetur per ipsummet esse Dei.

Anima in Christo, respondet Angelicus[1], *dat esse corpori, in quantum facit ipsum actu animatum, quod est dare ei complementum naturae et speciei; sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore, prout significatur nomine humanitatis, non significatur ut quod est, sed ut quo aliquid est : et ideo ipsum esse est personae subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam, cuius habitudinis causa est anima, in quantum perficit humanam naturam informando corpus.*

III. S. Thomas, in quaestione disputata de *Unione Verbi* asseruit duplex in Christo esse inveniri : unum aeternum, quod est esse principale, scilicet esse suppositi, et aliud temporale, seu in quantum Verbum factum est homo, quod est esse secundarium.

Resp. Dato quod opus illud tanquam genuinus S. Doctoris partus sit agnoscendum, de quo tamen multi dubitant, dicendum est S. Thomam maturiorem factum, sententiam mutasse in Summa Theologica, iuxta ea quae etiam alibi[2] docuerat[3].

1. Ad 4^m. — 2. In 3. Dist. VI. Quaest. II, a. 2, et Quodlib. IX, art. 3. — 3. Cf. Satolli, qui copiose et dilucide huiusmodi argumentum prosequitur, h. l.

QUAESTIO XVIII

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM

1. — Ratio quaestionis. — Quod ad ipsum factum de duabus voluntatibus admittendis in Christo pertinet, potest dici quaestio praesens iam sufficienter soluta fuisse, ubi sermo fuit de partibus humanae naturae assumptis. Siquidem, integra manente divina natura, quae est ipsamet voluntas Dei, dictum est Verbum assumpsisse humanam naturam integram; et signanter contra Apollinarem conclusum est quod assumpsit etiam intellectum. Porro, ubi est intellectus, ibi necesse est esse et voluntatem. Nam, sicut res naturales habent esse in actu per suam formam naturalem, ita intellectus per suam formam intelligibilem. Sed quaelibet res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, ut quando non habet ipsam, tendat in eam; quando autem habet, quiescat in ea: quae habitudo ad bonum in rebus ratione carentibus vocatur appetitus naturalis. Sic igitur et natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem hanc habitudinem habet, ut, cum habet ipsum, quiescat in eo, cum autem non habet, quaerat ipsum. Unde ad intellectum sequitur appetitus rationalis, seu voluntas, sicut etiam ad sensum sequitur appetitus animalis[1].

Attamen methodi ratio postulat ut de hac re hic ex professo pertractemus, non tam ut monothelitarum, unam tantum in Christo voluntatem praedicantium, errori occurramus, quam ut ostendatur ex assertis duabus in Christo voluntatibus nullum praeiudicium inferri ipsius unitati, de qua modo solliciti sumus, et ut via sternatur solvendae quaestioni de Christi operationibus.

1. I, Quaest. XIX, a. 1.

2. — Ordo quaestionis. — Iamvero, dicendorum ordo hic est, ut Christi voluntas humana, de qua potissime ambigitur, considerctur tum absolute (1-4), tum per comparationem ad alia (5-6), quae sunt, aut divina voluntas (5), aut aliae, quae in humanitate Christi ponuntur, voluntates (6). Rursus, humana voluntas in Christo inspicienda est tum quantum ad ipsum velle (1-3), tum quantum ad eligere (4). Voluntas considerata in quantum est mediorum electiva, dicitur liberum arbitrium ; quantum autem ad ipsum velle ita consideranda est, ut primo sciatur de ea an sit (1), et secundo de eius unitate vel pluritate determinetur, tum ex parte humanae naturae (2), tum ex parte rationis (3).



Hinc sex hic quaeruntur :

Primo. Utrum in Christo sit alia voluntas divina et alia humana.

Secundo. Utrum in humana natura Christi sit alia voluntas sensualitatis, et alia rationis.

Tertio. Utrum ex parte rationis fuerint in Christo plures voluntates.

Quarto. Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.

Quinto. Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito.

Sexto. Utrum in Christo fuerit aliqua contrarietas voluntatum.

ARTICULUS I. — *Utrum in Christo sint duae voluntates.*

1. — Quid hic quaeritur. — De humana voluntate hic expresse quaeritur; et quidem de ipsa adaequate spectata, id est accepta non solum pro potentia, sed etiam pro motu, sive naturali, sive rationali. Revera, voluntas ut potentia sequitur naturam ex necessitate, ideoque natura aut divina aut humana perfecta non esset, si ipsi voluntas deesset. Sed voluntas etiam aliquando dicitur actus, sive motus huius potentiae, qui aliquando necessarius est et naturalis, ut, verbi gratia, respectu felicitatis, aliquando autem ex libero arbitrio rationis procedens, et non necessarius aut naturalis, cuius principium est ipsa ratio[1].

2. — Dubitandi rationes. — Porro, ex triplici capite potest quis induci ad denegandum humanam voluntatem fuisse in Christo.

Primo quidem, considerato quod voluntas est primum movens et imperans in unoquoque volente, in Christo autem primum movens et imperans est voluntas divina, secundum quam omnia humana in ipso movebantur, posset quis inferre: ergo in Christo non fuit voluntas humana, imo non fuit anima intellectualis, in qua est voluntas, sed eius loco fuit Verbum ipsum, ut somniavit Apollinaris. Haec ratio procedit ex diminutione humanae naturae ex parte sui[2].

Pariter, ex eodem capite, diminuendo scilicet humanam naturam ex parte suae actionis, posset quis opinari quod, quamvis duae naturae in Christo fuerint unitae secundum hypostasim, tamen natura humana nunquam moveretur proprio motu, sed solum secundum quod erat mota a divinitate; eo vel magis, quia humana natura in Christo fuit instrumentum divinitatis, instrumentum autem non movetur propria voluntate, sed voluntate moventis[3]. Haec fuit sententia Macarii Antiocheni Patriarchae, Cyri Alexandrini, et Sergii Constantinopolitani.

Secundo, exagerando naturam divinam, potest fingi cum Eu ty-

1. Ad 3^m. — 2. Cf. ad 1^m. — 3. Ad 2^m.

chete quod humana natura ita fuerit consumpta a natura divina, ut haec sola remanserit, ideoque una tantum fuerit in Christo voluntas.

Tertio, exagerando rationem personae, vel posset asseri, cum Nestorio, quod in Christo fuerit, praeter personam Dei, etiam persona hominis, sed quod unio istarum duarum personarum fuerit facta solum secundum affectum et voluntatem : unde fuisset tantum una in Christo voluntas ; vel posset retineri quod unio quidem facta sit in persona, sed voluntas ad personam tantummodo pertineat, non ad naturam[1]. Contra quas omnes positiones sit

3. — PROP. — **Necesse est dicere quod in Christo sunt duae voluntates, una scilicet divina, et alia humana.**

Hanc propositionem *de fide* tenendam ita tradidit Concilium Lateranense sub Martino I[2] : *Si quis non confitetur proprie et vere duas eiusdem et unius Christi Dei voluntates, similiter et operationes cohaerenter unitas, divinam et humanam, A. S.* Quod pariter in Concilio Constantinopolitano III fuit definitum hisce verbis[3] : *Omnes qui docuerunt et dicunt unam voluntatem et unam operationem in duabus naturis unius Domini Nostri Iesu Christi, veri Dei nostri, anathematizamus.* Et additur : *Iuxta quod olim prophetae de Christo, et ipse nos erudivit, et sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum, duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes praedicamus*[4].

4. — **In Sacris Scripturis** plura sunt quae ad humanam, plura itidem quae ad divinam Christi voluntatem referuntur. Sic, de voluntate *divina* dicitur[5] : *Sicut Pater resuscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult vivificat.* Et iterum[6] : *Hierusalem, Hierusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti.*

Pariter, de *humana* voluntate legitur[7] : *In crastinum voluit exire in Galilaeam.* Et rursus[8] : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Et iterum[9] : *Et cum gustasset, noluit bibere*

1. Cf. ad 4^m. — 2. Can. X. — 3. Act. 8. — 4. Cf. Conc. VII, act 7. — 5. Io. V, 21. — 6. Luc. XIII, 34. — 7. Io. I, 43. — 8. Io. XVII, 24. — 9. Matth. XXVII, 34.

Praeterea [1] : *Post haec, ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare.* De ipso quoque Apostolus ait[2] : *Factus* (est) *obediens usque ad mortem.* Obedientia autem est actus tantummodo voluntatis humanae, cum respectu superioris praestetur. Solemne quoque est quod ipse de semetipso per prophetam ait[3] : *In capite libri scriptum est de me. ut facerem voluntatem tuam : Deus meus, volui,* etc. Magis adhuc ad rem nostram facit locus[4] : *Pater, si vis transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat,* quod inducens Ambrosius ad Gratianum Imperatorem, ait[5] : *Sicut susceperat voluntatem meam, suscepit tristitiam meam ;* et iterum dicit [6] : *Voluntatem suam ad hominem retulit, Patris ad divinitatem : voluntas enim hominis est temporalis, voluntas divinitatis aeterna.* Denique praetereundus non est locus Ioannis in quo Salvator expresse utramque voluntatem testatur dicens [7] : *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.*

5. — Prob. ratione theologica. — Per assumptionem humanae naturae, Filius Dei nullam diminutionem passus est in iis quae ad divinam naturam spectant. Atqui ad divinam naturam spectat voluntatem habere. Ergo Filius Dei factus homo habuit *divinam* voluntatem. Rursus, Filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam. Atqui inter ea quae ad perfectionem humanae naturae pertinent, eminet voluntas, quae est naturalis eius potentia, sicut et intellectus. Ergo Filius Dei factus homo habuit etiam *humanam* voluntatem.

Porro, haec ratio probat in Christo esse utramque voluntatem non modo ut potentiam, sed etiam ut actum, tum necessarium sive naturalem, ut qui est respectu felicitatis ultimae seu finis ultimi, tum liberum, cuius principium est ipsa ratio : ideoque voluntas ut potentia ponitur propter naturam ; voluntas autem ut actus necessarius ponitur propter bonum in communi necessarium, demum voluntas ut actus liber, ponitur propter rationem, quae est eius principium [8].

6. — Solvuntur difficultates. — Et *primo* quidem, contra

1. Io. VII, 1. — 2. Phil. II, 8. — 3. Ps. XXXIX, 8, 9. — 4. Luc. XXII, 42. — 5. L. II, c. 3. — 6. Sup. illud Luc. *Verumtamen non mea voluntas.* — 7. C. V. 30. — 8. Cf. ad 3^m.

Apollinarem iam ostensum est[1] necessarium esse admittere in Christo animam intellectualem. Sed insuper iuvat advertere quod in unoquoque homine primum movens est quidem divina voluntas, quae tamen non excludit propriam uniuscuiusque voluntatem. Revera, voluntas creata nequit quidem moveri interius ab ulla creatura, ideoque respectu moventis creati in unoquoque est ipsamet primum movens; sed tamen potest interius moveri a Deo, sicut ostenditur in prima parte[2]. Unde, respectu voluntatis divinae omnis voluntas creata est mota. Ex eo igitur quod quis movetur a voluntate divina, non excluditur quin moveatur voluntate propria, sicut videmus quod piae sanctorum voluntates moventur secundum voluntatem Dei, qui operatur in eis *velle et perficere*[3]. Ex eo igitur quod, quidquid in humanitate Christi erat, nutu divinae voluntatis movebatur, non sequitur quod in ipso non fuerit proprius humanae voluntatis motus; sed secundum voluntatem humanam, quae erat in ipso, ipsemet Christus sequebatur divinam voluntatem, secundum illud[4]: *Ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui.* Quapropter Augustinus dicit[5]: *Ubi dixit Filius Patri: Non quod ego volo, sed quod tu vis, quid te adiuvat, quod tua verba subiungis et dicis: Ostendit vere suam voluntatem subiectam suo Genitori : quasi nos negemus hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subiectam*[6] ?

Quod autem humana natura fuerit divinitatis instrumentum, non officit dualitati voluntatum in Christo. Revera, proprium quidem est instrumenti quod moveatur a principali agente, sed tamen diversimode, secundum proprietatem naturae ipsius. Siquidem, instrumentum inanimatum, ut securis, serra et calamus, movetur ab artifice, sed per solum motum corporalem ; instrumentum autem animatum anima sensibili, movetur per appetitum sensitivum, sicut equus a sessore; instrumentum vero animatum anima rationali movetur per voluntatem eius, sicut, per imperium domini, servus movetur ad aliquid agendum, servus autem est sicut instrumentum animatum. Pariter, humana natura in Christo fuit divinitatis instrumentum, ita quod move-

1. Quaest. V, art. 4. — 2. Quaest. CV, art. 4. — 3. Phil. II, 13. — 4. Ps. XXXIX, 9. — 5. L. III contra Maximinum, c. 20. — 6. Ad 1[m].

retur per propriam voluntatem scilicet per voluntatem humanae naturae propriam [1].

Secundo. Quid de Eutychetis sententia retinendum sit, iam satis dictum est.

Tertio. Pariter fide constat unionem Verbi cum humana natura non fuisse factam in affectu aut voluntate, sed in hypostasi.

Quod autem assumitur, quod voluntas pertinet ad personam, non est simpliciter verum. Non modo enim voluntas pertinet ad naturam, sicut intellectus et caeterae hominis potentiae, sed etiam determinatus modus volendi pertinet ad naturam, non secundum quod est absolute considerata, sed secundum quod est in tali hypostasi. Qui determinatus volendi modus exprimitur per id quod dicitur *aliqualiter velle*, id est velle hoc et illud tali vel tali ratione : qui modus et ipse ad naturam pertinet, sicut et res cuius est modus ; sed tamen pertinet ad naturam, prouti est in tali hypostasi designata, non autem secundum quod est absolute considerata ; unde ait Damascenus [2] : *Aliqualiter velle non est naturae, sed nostrae intelligentiae*, scilicet personalis. Quapropter, non solum fuit in humanitate Christi voluntas, sed etiam haec voluntas habuit determinatum quemdam modum ex eo quod fuit in hypostasi divina, ut scilicet moveretur secundum nutum voluntatis divinae [3].

ARTICULUS II. — *Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis, praeter rationis voluntatem.*

1. — Ratio dubitandi. — Prima fronte videretur contradictionem claudi in tituli terminis, cum voluntas in ratione sit, sensualitas autem significet appetitum sensitivum, qui est vel irascibilis, vel concupiscibilis. Sed rem intimius perpendenti patebit quod, cum sensualitas vel sensualis appetitus sit aptus natus obedire rationi, ideo rite dici potest rationalis per participationem ; et quia voluntas est in ratione, ideo sensualitas potest vocari voluntas per participationem. Nam, in aliis quidem animalibus, statim ad appe-

1. Ad 2^m. — 2. L. III, orthod. fid., c. 14. — 3. Ad 4^m.

titum sensitivum sequitur motus, sicut ovis timens lupum statim fugit ; sed in homine expectatur imperium voluntatis, quae est appetitus superior [1].

Cum igitur de voluntate essentialiter dicta, quae non est nisi in parte intellectiva, in articulo praecedenti fuerit tractatum, hinc modo dubitatur de voluntate dicta per participationem, quae scilicet potest esse in parte sensitiva, in quantum obedit rationi [2].

2. — PROP. — **In Christo fuit voluntas sensualitatis praeter voluntatem rationis.**

Constat haec veritas ex hoc *S. Ambrosii*[3] *: Mea est voluntas, quam suam dicit, quia ut homo suscepit tristitiam meam.* Ex quo patet quod, iuxta Ambrosium, tristitia pertinet ad humanam voluntatem. Sed tristitia est motus sensualitatis. Ergo est in Christo voluntas sensualitatis, praeter voluntatem rationis.

3. — **Prob. rat. theol.** — Ad perfectionem humanae naturae pertinet appetitus sensitivus, qui sensualitas dicitur : nam in humana natura includitur etiam natura animalis, sicut genus includitur in specie. Atqui Filius Dei assumpsit humanam naturam cum omnibus quae ad illius perfectionem pertinent. Ergo Christus assumpsit etiam sensualem appetitum, seu sensualitatem ; haec enim ad perfectionem naturae animalis pertinet, quae in natura humana includitur. Et quia ista apta nata est obedire rationi in qua est voluntas, ideo vocatur voluntas participative, ut dictum est. Ergo in Christo, praeter rationis voluntatem, est etiam voluntas participative.

4. — **Scholion.** — At vero cavendum est ne, dum ponitur in Christo sensualitas, ponatur etiam fomitis corruptio, quae in nobis naturam sensualitatis consequitur, et quae ab Augustino [4] per serpentem significatur : siquidem habuit quidem Christus similitudinem animalis venenosi, at sine veneno, ut Augustinus ipse abunde tradit, dum hoc exponit[5] : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto*[6] *:* unde et dicitur quod in ipso *nihil serpentinum* fuit [7].

1. 1. Quaest. LXXXI, art. 3. — 2. Ad 1^m. — 3. L. II de Fide ad Gratian., c. 3. — 4. L. XII de Trin., c. 13. — 5. Io. III, 14. — 6. L. I de Peccat. mer. et rem., c. 32. — 7. Ad 2^m.

Quoniam autem omnes motus proprii sensualitatis in propria obiecta erant voluntarii in Christo, siquidem disposuerat ut unaquaeque virium propria exerceret, ideo appetitus sensitivus in eo semper et in quolibet actu fuit rationalis, semperque participative voluntas [1].

5. — Corollarium. — Ex quo patet hanc voluntatem non esse dividendam a priori voluntate, tanquam potentiam a potentia, sed una eademque potentia voluntátis erat quae etiam appetitum inferiorem regebat : propter quod regimen, etiam inferior appetitus, potentia utique in sua specie distincta a voluntate, voluntas vocabatur, scilicet per participationem. Nam, ubi est unum propter alterum, ibi unum tantum esse videtur, quemadmodum superficies, quae est visibilis per colorem, est unum visibile cum colore ; ideoque, cum una sit natura humana in Christo, una quoque esse voluntas debet, quae consequitur naturam ; unde sensualitas non dicitur voluntas, nisi quia participat voluntatem rationis [2], secundum quod dixit Christus, quantum nempe ad voluntatem sensualitatis [3] : *Verumtamen, non sicut ego volo.*

ARTICULUS III. — *Utrum in Christo fuerint duae voluntates quantum ad rationem.*

1. — Praenotandum. — Ad huius dubii solutionem, recolendum est ex anteactis [4] voluntatem dupliciter sumi : uno modo pro ipsa potentia, alio modo pro motu vel actu huius potentiae.

2. — PROP. — **In Christo voluntas α) sumpta pro actu potentiae, duplex est : una ut natura, altera ut ratio ; β) sumpta vero pro potentia voluntatis essentialiter, est una tantum.**

Prob. 1ª Pars. — Voluntas et est finis, et est eorum quae sunt ad finem. Utqui alio modo fertur in utrumque. Ergo oportet ponere in Christo, ex parte rationis, duas voluntates, quod est, duas species actuum voluntatis.

1. Caiet, in h. l. — 2. Ad 3ᵐ. — 3. Matth. XXVI, 39. — 4. Art. 1, n. 1.

Exponitur minor. Nam, voluntas fertur in finem simpliciter et absolute, sicut in id quod est secundum se bonum ; in id autem quod est ad finem fertur cum quadam comparatione, secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud.

Consequentia patet : scilicet, alterius rationis est actus voluntatis secundum quod fertur in aliquid quod est secundum se volitum, ut sanitas, et alterius rationis est actus voluntatis, secundum quod fertur in aliquid quod est volitum solum ex ordine ad alterum, ut est sumptio medicinae amarae. Quorum actuum prior appellatur a Damasceno[1] θέλησις, id est simplex voluntas, et a magistris vocatur *voluntas ut natura;* alter vero ab eodem Damasceno[2] dicitur βούλησις, quod est consiliativa voluntas, et a magistris appellatur *voluntas ut ratio*[3].

3. — Scholion. — Ad voluntatem, ut *natura* est, reducitur illa voluntas, quae a quibusdam ponitur in Christo, sub nomine voluntatis *pietatis*, quae utique ex parte rationis ponitur, et aliud non videtur esse, nisi voluntas quae consideratur ut natura, in quantum refugit alienum malum absolute consideratum[4].

4. — Prob. 2ª Pars. — Porro, ista diversitas actuum non diversificat potentiam : cuius ratio est, quia uterque actus attenditur ad unam communem rationem obiecti, quod est bonum ; ideoque voluntas, sumpta pro potentia voluntatis in Christo essentialiter et non participative dicta, est una tantum.

5. — *Confirmatur. — In quolibet ordine est unum primum movens. Atqui, in genere humanorum actuum, voluntas ut potentia est primum movens. Ergo in uno homine non est nisi una voluntas proprie dicta, quae est voluntas rationis. Christus autem est unus homo. Ergo in Christo non est nisi una voluntas ut potentia.

Attamen, duo sunt actus distincti huius potentiae. Nam, vis appetitiva diversificatur in homine secundum diversitatem virtutis apprehensivae, ita quod, secundum differentiam sensus et intellectus, diversificetur in homine appetitus sensitivus et intellectivus. Atqui, secundum virtutem apprehensivam intellectivam,

1. L. II, Orthod. fid. c. 22; l. III, cc. 14 et 18.— 2. Ibid.— 3. Ad 1ᵐ. — 4. Ad 3ᵐ.

ponitur in homine differentia rationis et intellectus, non tanquam duarum potentiarum, sed tanquam duorum actuum : intelligere enim est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere, ratiocinari vero est procedere de uno intellecto in aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam[1]. Ergo pariter in appetitu rationali ponenda est differentia voluntatis ut naturae, et voluntatis ut rationis, non tanquam duarum potentiarum, sed duorum actuum eiusdem potentiae.

ARTICULUS IV. — *Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.*

1. — Ratio articuli. — Cum liberum arbitrium nominet facultatem electivam mediorum, servato ordine finis, non esset hic de eo ulterius inquirendum, post ea quae in articulo praecedenti dicta sunt, nisi ad hoc cogerent quaestiones gravissimae quae circa hoc dubium coacervantur.

Quod tamen ut ordinatim fiat, 1° recoletur quid sit liberum arbitrium ; 2° eius existentia et ratio vindicabitur in Christo ; 3° statuetur quo tempore Christus coeperit uti libero arbitrio ; 4° exponentur variae sententiae circa libertatem Christi sub vi paterni praecepti : 5° vera sententia statuetur et defendetur ; 6° solvetur dubitatio utrum Christus fuerit liber relate ad praecepta legis naturalis.

§ I

QUID SIT LIBERUM ARBITRIUM.

2. — Ratio liberi arbitrii. — Quia iudicium quo homo procedit in suis actibus non est ex naturali instinctu, sicut in brutis, sed ex collatione quadam rationis, ideo ipse agit libero iudicio, quasi potens in diversa particularia operabilia ferri : particularia enim ista operabilia sunt quaedam contingentia, circa

1. Cf. 1, Quaest. LXXIX, art. 8.

quae ratio viam habet ad opposita : quapropter pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quod rationalis est. Ex quo sequitur quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium movet seipsum ad agendum [1].

Porro, licet liberum arbitrium significetur nomine actus, tamen secundum communem loquendi usum, est id quod est huius actus principium, scilicet est *potentia qua homo libere iudicat :* iugiter enim manet in homine, etiam cum eius actus transierit [2]. Est igitur liberum arbitrium potentia quaedam appetitiva, electiva eorum quae sunt ad finem ; et quia ad electionem requiritur, ex parte quidem cognitivae virtutis, consilium per quod diiudicatur quid sit alteri praeferendum, ex parte autem appetitivae quod appetendo acceptetur id quod per consilium diiudicatur ; ideo solet liberum arbitrium dici intellectus appetitivus vel appetitus intellectivus, et electio vocatur *desiderium consiliabilis*, vel *appetitus praeconsiliati* [3].

3. — Advertenda. — I. Hic tamen sedulo adverti debet quod licet electio, ut in pluribus, importet dubitationem, hoc tamen non est de necessitate eius, cum etiam Deo convenit eligere, secundum illud [4] : *Elegit nos in ipso*, etc., in quo tamen nulla est dubitatio : accidit igitur dubitatio electioni, in quantum est in natura ignorante. Quapropter, posituri in Christo liberum arbitrium et consequenter electionem, removebimus tamen dubitationem, quae Christi perfectioni repugnaret ; quo sensu ait Damascenus [5] γνώμην *autem* (id est sententiam vel mentem vel excogitationem) *et* προαίρεσιν (id est electionem) *in Domino dicere impossibile est, si proprie loqui volumus* [6].

II. Insuper, pro tanto consilium electioni praerequiritur, quatenus ex ipso habetur iudicium, quasi consilii conclusio et determinatio ; unde et ipsa electio dicitur quoddam *iudicium*, a quo nominatur liberum arbitrium. Igitur id eligimus quod iudicamus agendum post inquisitionem consilii, non praecise et formaliter in quantum ipsum consilium est collatio cum dubitatione et inquisitione, sed in quantum ex hac collatione sequitur

1. 1. Quest. LXXXIII, art. 1. — 2. Ibid., art. 2. — 3. Ibid., art. 3. — 4. Eph. I, 4. — 5. L. III, Orthod. fid., c. 14. — 6. Ad 1[m].

iudicium practicae rationis : hoc igitur est quod formaliter et per se ad electionem pertinet, non autem dubitatio et inquisitio, quae solum in natura ignorante sunt, ideoque nec in Deo, nec in Christo inveniuntur [1].

§ II

EXISTENTIA ET RATIO LIBERI ARBITRII IN CHRISTO.

4. — Error. — Fuit error Lutheri, Calvini et Iansenii quod dixerint Christum non habuisse liberum arbitrium hoc modo expositum, seu libertatem a necessitate : sed omne quod voluit, voluisse sub necessitatis lege, seu fuisse in ipso tantummodo voluntatem ut naturam, licet libertatem a coactione admitterent, hoc sensu quod Christus in suis operationibus vim maioris causae non fuerit passus, quod Iansenius existimabat sufficiens esse ad salvandam meriti rationem [2].

5. — PROP. — Necesse est ponere in Christo liberum arbitrium.

De *fide* est propositio ista, in qua, ut clarius postea intelligantur loca Sacrarum Scripturarum, primo loco rationes theologicas proponemus.

6. — Prob. rat. theol. — In Christo ponitur voluntas ut ratio, ut dictum est ; haec autem non est sine electione ; electio vero est liberi arbitrii ergo in Christo est liberum arbitrium. Revera, ut supra diximus [3], duplex est in Christo, sicut in quolibet alio homine, voluntatis actus : *unus*, quo voluntas fertur in aliquid quod est secundum se volitum, et habet rationem finis et dicitur *voluntas ut natura ; alius*, quo voluntas fertur in aliquid per ordinem ad aliud, seu ad ea quae sunt ad finem, circa quae est electio et liberum arbitrium, quod etiam vocatur *voluntas ut ratio*.

7. — Ad quaenam se extenderit Christi libertas. —

1. Ad 2^m. — 2. Cf. Iansen., l. VI de Gratia Christi, c. 9 ; et l. VII, c. 15. — 3. Art. 3.

Porro, cum Christus non potuerit peccare, et plenitudo gratiae et gloriae in ipso illum determinaverit ad bonum non modo in confuso sub generali ratione boni veri vel apparentis (qua ratione omnes sumus determinati per naturam ad bonum in communi) sed etiam ad bonum in se vere et proprie consideratum, id est, ad Deum, a quo physice non poterat avelli, dicendum omnino est quod libertas Christi non se extenderit ad bonum vel malum amplectendum : sed fuit in eo libertas *exercilii*, ut scilicet ageret necne prout ipsi liberet, et libertas *contradictionis*, ut ponceret necne actum bonum determinatum sine boni ultimi praeiudicio ; fuit etiam libertas *specificationis* vel *diversionis*, secundum quod voluntas Christi, licet fuerit determinata ad bonum, tamen non fuit determinata ad hoc vel ad illud bonum, ideoque ad Christum pertinuit hoc vel illud eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut etiam ad beatos pertinet [1] : nullo autem modo fuit libertas *contrarietatis*, quo sensu talis libertas importat facultatem peccandi [2].

Praeclara sunt hac de re S. Augustini verba [3] : *Numquid metuendum fuit ne, accedente aetate, homo ille libero peccaret arbitrio ? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat ?* Potestas enim peccandi *nec libertas nec pars libertatis est*, ait S. Anselmus [4], sed potius defectus libertatis.

8. — Sacrae Scripturae auctoritas. — Quod in Christo talis fuerit libertas, evidentissime ex divinis Scripturis eruitur. Ita dicebat Iesus [5] : *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum ?* Pariter, de eo praedixerat propheta [6] : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Cuius sensus est quod Christus butyrum et mel comedens, aut cibis infantilibus nutritus, quod est, adhuc in iuvenili aetate constitutus, iam scire debebat malum reprobare et bonum eligere, quae profecto sunt actus liberi arbitrii [7].

1. Ad 3^m. — 2. Cf. S. Anselm. Dialog de lib. arbit. c. 1. Vide etiam L'Opera dei sei giorni, vol. II, p. 177. — 3. L. de Praed. SS. cap. 15. — 4. Loc. cit. — 5. Matth. XXVI, 53. — 6. Is. VII, 15. — 7. Ita SS. Basilius, Hieronymus, etc.

§ III

QUO TEMPORE CHRISTUS COEPERIT UTI LIBERO ARBITRIO

9. — Christus habuit liberum arbitrium in primo instanti suae conceptionis. — Revera, Christus in illo momento habuit ultimam perfectionem quae potest in instanti haberi : perfectio autem ultima consistit non in potentia vel in habitu, sed in actu. Porro, operatio voluntatis et intellectus, in qua consistit usus vel actus liberi arbitrii, subito et in instanti perficitur, eo quod intelligere et velle non est motus qui sit actus imperfecti, qui successive perficitur, sed est actus iam perfecti. — In illo itaque primo instanti suae conceptionis, Christus habuit usum perfectissimum liberi arbitrii. Nec ipsi opus erat, ut dictum est, ut ex deliberatione consilii acquireret certitudinem de eligendis, cum in primo instanti habuerit plenitudinem veritatis cognitae, sicut habebat plenitudinem gratiae sanctificantis.

10. — Solvuntur obiectiones. — **I.** Obiicienti autem non habuisse tunc Christum scientiam, cum deficerent perfecta organa ad sensus operationem requisita, *respondetur* quod potuit in eo esse operatio voluntatis et intellectus absque operatione sensus, propter scientiam infusam [1]; sed et potuit etiam in illo primo instanti esse operatio sensus, maxime sensus tactus : proles enim concepta sentit in matre etiam antequam animam rationalem obtineat ; quocirca, cum Christus in primo instanti suae conceptionis habuerit animam rationalem, formato iam et organizato corpore eius, multo magis in eodem instanti potuit habere operationem sensus tactus [2].

II. Pariter, arguenti quod esse est prius quam agere, *respondetur* quod esse est quidem prius natura quam agere, non tamen tempore ; sed simul cum agens habet esse perfectum, incipit agere, nisi sit aliquid impediens, sicut ignis simul dum generatur incipit

1. Cf. quae diximus supra, Quaest. IX, art. 3, n. 4. — 2. Quaest. XXXIV, art. 2.

calefacere et illuminare [1]. Quocirca de Christo ait S. Paulus[2]: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaulomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

§ IV

QUID DE CHRISTI LIBERTATE SUB VI PATERNI PRAECEPTI SIT DECERNENDUM

11. — Difficultas. — Hic autem difficultas haud levis oritur, ex eo ducta, hinc quod Christus passionis, mortisque praeceptum a Patre acceperit, ideoque citra peccatum illud transgredi non potuerit, illinc, quod in divinis Scripturis dicatur mortem libere subiisse: *Oblatus est quia ipse voluit*[3]; et : *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo* [4]. — *Quis ita dormit quando voluerit,* ait S. Augustinus [5], *sicut Iesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestem deponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit?* Et rursus[6] : *Dominus, quando voluit, carnem in utero virginali accepit;... quando voluit, a carne discessit, hoc est potestatis, non necessitatis.* Et Chrysostomus [7] : *Erat ei promptum, si voluisset, non venire ad Crucem: potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam* [8].

12. — Sententiae. — Ad hanc gravissimam quaestionem solvendam, diversi diversas vias ingressi sunt : aliis vim praecepti a Patre dati imminuentibus, aliis vero exagerantibus Christi libertatem

α) Priores sunt in duplici differentia. Alii imminuunt *intensionem* praecepti, dicentes Christum non fuisse capacem proprie dicti

1. Ibid., ad 1m.— 2. Hebr. X, 5-7. — 3. Is. LIII, 7. — 4. Io. X, 17, 18. — 5. Tract. CXIX, in Io. — 6. Tract. XXXVII. — 7. Hom. XXVIII, in Ep. ad Hebr.— 8. Cf. S. Cyrill., l. VII in Io , c. 7; Gregor., l. XXIV mor., c. 2, etc.

praecepti, quod includit culpae et poenae comminationem; ideoque hoc non fuisse nisi mandatum large acceptum, ad instar insinuationis cuiusdam non obligantis sed dirigentis, tanquam consilium, quod quidem obedientiae materia esse possit, non tamen sub peccato obliget. — Alii vero imminuunt *extensionem* praecepti, inducentes quidem verum praeceptum, sed dicentes illud affecisse tantummodo ipsam passionis et mortis substantiam, non vero circumstantias illius, puta temporis, loci, motivi, intensionis actus, etc.

β) Secundi, cum Tournely, recurrunt ad acceptationem ex parte ipsius Christi, quasi praeceptum ipsi impositum fuerit dependenter ab eius acceptatione, a quo praecepto fas ipsi fuisset, quando voluisset, dispensationem obtinere.

13. — Reiicitur prima sententia. — I. At, solutio ex qua parte excludit generaliter praeceptum, bona non est.

Revera, *primo*, verba S. Scripturae, iuxta regulam a S. Augustino traditam, sunt in proprio sensu accipienda, nisi aliquod inconveniens sequatur. Atqui saepius recurrunt verba *praeceptum, mandatum*, relate ad Christum, sic [1]: *Hoc mandatum accepi a Patre meo*; et Christus ipse acquiparat praecepta a Patre accepta praeceptis quae hominibus tradebat[2]: *Si praecepta mea servaveritis,... sicut et ego Patris mei praecepta servavi*, etc. Quod vero nullum sequatur inconveniens, postea apparebit.

Secundo, in Christo fuit vera obedientia: *Factus obediens usque ad mortem* [3]; et S. Paulus Christi obedientiam contraponit homini inobedientiae [4]: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi.* Verae autem obedientiae obiectum formale est voluntas superioris, qua superior est, id est non qua dirigens aut consilians, quod et inferior praestare potest, sed qua obligans. A contrario etiam constat, quia inobedientia constituitur talis per transgressionem praecepti proprie dicti. Igitur obedientia, quam Sacrae Scripturae praedicant de Christo, exigit ut Patris mandatum non esset merum consilium, sed verum praeceptum.

Tertio, hoc effugio difficultas non solvitur; nam sicut repugnaret

1. Io. X, 18. — 2. Ibid. XV, 10. — 3. Phil. II, 8. — 4. Rom. V, 19.

sanctitati Christi quod transgrederetur Patris mandatum, ita perfectioni eius repugnaret quod Patris consilia aeternae innixa sapientiae negligere potuisset.

II. Eadem sententia, ex qua parte coarctat extensionem praecepti, omnino implicat.

Primo, in Sacris Scripturis attribuitur redemptio ipsimet Christi morti et non solum circumstantiis eiusdem ; sic[1] : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.* Ergo etiam circa substantiam mortis, et non solum circa illius circumstantias, liber fuit Christus, nonobstante habito praecepto.

Secundo, Christi obedientia celebratur aeque circa mortis circumstantias, ac circa moriendi mandatum : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*[2].

Tertio, immo in hoc perfectissima apparet Christi obedientia, maiorisque meriti ferax evincitur, quod non modo substantiam operis ad unguem sit executus, sed etiam omnes eius, usque ad ultimas circumstantias.

14. — Reiicitur secunda sententia. — *Secunda*, quoque sententia, quae facit Patris praeceptum formaliter dependens a voluntate Christi non sustinetur.

Primo enim Scripturae non exhibent praeceptum mortis, sive quoad impositionem, sive quoad continuationem, a Christi voluntate dependens ; sic[3] : *Convenerunt... adversus sanctum Puerum tuum Iesum... Herodes et Pontius Pilatus... facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri ;* et rursus[4] : *Ingrediens mundum dicit : ... Ecce venio : in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.*

Secundo, haec sententia derogat dignitati Dei qui, utpote primum agens, non supponit agentis secundi determinationem ut aliquid statuat.

Tertio, derogat etiam efficaciae obedientiae Christi, quae ex hoc valde diminuitur, quod, in hoc casu, nonnisi id quod sibi placuisset, adimpleret.

1. Is. LIII, 10. — 2. Phil. II, 8. — 3. Act. IV, 27, 28. — 4. Hebr. X, 5, 7.

§ V

VERA SENTENTIA STATUITUR

15. — PROP. — **Christus verum et strictum moriendi praeceptum accepit e Patre, non modo quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias mortis, ab eius voluntate minime dependens; in quo adimplendo impeccabilitas eius non officit eius libertati, et consequenter eius meritum non tollit.**

16. — **Notanda.** — Supponimus, ut ex dictis resultat, verum *praeceptum* datum fuisse Christo; supponimus etiam Christum, per mortem et passionem suam, necnon per circumstantias eiusdem, nobis vitam aeternam *promeruisse;* ex quibus imprimis infertur quod Christus fuerit liber. — Nam *praeceptum* supponit libertatem, frustra enim, immo stulte, aliquid praeciperetur ei qui agendi necessitate tenetur: sic cordi non praecipitur ut moveatur. Rursus, libertas requiritur ad rationem *meriti*, quod in Christo est de fide agnoscendum.

Quod autem peccandi impossibilitas non officiat quominus quis praeceptum et libere recipere, et libere exequi possit, illustratur exemplo angelorum, qui mandatis Dei utique promptissime, at certe etiam liberrime obtemperant, qui tamen peccare nequeunt; licet in eis deficiat meritum, eo quod sunt totaliter in termino: Christus autem et libere exequebatur Patris mandata, et, utpote viator, merebatur. Igitur nec praeceptum ponit aliquid in voluntate eius, qui praecepto obedit, quod illius libertatem tollat aut minuat; nec impossibilitas non adimplendi praeceptum, ut praeceptum est, obedientiam evacuat aut meritum, in eo qui meriti capax existit.

17. — **Explicatur propositio.** — Igitur, ad intelligendum quomodo Christus, sub influxu paterni praecepti, et stante impossibilitate illud transgrediendi, liber remanserit, supposito quod, Deus movendo humanam voluntatem, illam tamen non determinat, et quod praeceptum aliud non imprimit, nisi mora-

lem directionem, utendum est distinctione quae est inter *non obedire negative*, et *non obedire privative*. Non obedire negative est non adimplere rem quae praecipitur, consideratam tantummodo materialiter, absolute, secundum se, antecedenter, praecisive a praecepto; non obedire autem privative est rem praeceptam non adimplere, ut formaliter praecepta est, et sic ut est sub praecepto. Igitur Christus potuit ponere vel non ponere actum, puta tradendi animam suam, antecedenter et secundum se, et sic potuit non obedire negative; non potuit tamen privative non obedire, et sic hunc actum omittere, consideratum sub formali ratione praecepti, seu consequenter.

Quapropter, urgenti : libertas Christi exigebat ut posset non ponere actum a Patre imperatum, respondendum est *distinguendo :* in sensu diviso, *conc. ;* in sensu composito, *nego*. — Nec inde sequitur Christum potuisse peccare : peccare enim esset transgredi praeceptum ut praeceptum est; et sic hoc inferre esset fallacia a sensu diviso ad sensum compositum[1]. Nec ex eo quod Christus praeceptum, ut praeceptum est, praeterire non potuerit, evacuatur illius meritum : cum talis esset in eo voluntatis dispositio, ut etiamsi illud transgredi potuisset, tamen nunquam transgressus fuisset; meritum autem non tam in operis executione consistit, quam in praeparatione animi, quaecumque Deus voluerit, amplectentis, dum tamen operans in statu viae inveniatur, ut dici de Christo nunc debet.

§ VI

UTRUM CHRISTUS FUERIT LIBER QUANTUM AD PRAECEPTA LEGIS NATURALIS

18. — Quaestio. — Huic autem subnectitur et aliud dubium, utrum scilicet Christus liber fuerit in adimplendis praeceptis naturalibus Decalogi, et potissimum in adimplendo praecepto de dilectione Dei, circa cuius rei exercitium videbatur necessitate

1. Cf. Billuart, Dissert. XVIII, a. 4.

teneri sicut et alii beati. Ad cuius dubii solutionem, haec nobis statuenda videntur.

19. - PROP. — **Christus, circa praecepta legis naturalis, sive positiva, sive negativa, liber non fuit.**

Ratio est quia nequit hic tradi distinctio superius data de non adimpletione negative, et non adimpletione privative; nam praeceptum naturale praecise propter hoc datur, quia res bona simpliciter est et eius contraria mala, ad differentiam praecepti positivi, in quo res bona est ex eo quod praecipitur, mala vero ex eo quod vetatur. Nequit igitur dividi praeceptum a re ipsa, ut liceat rem non facere, ut res est, non liceat, ut praecepta est. Mentiri enim semper malum est; ita etiam non adorare Deum quando quis debet. Christus igitur haec omnia de necessitate non modo adimplevit quoad substantiam, sed etiam quoad modum quo adimpleri debebant: deficere enim etiam in modo fuisset peccatum, cuius Christus non erat capax.

20. — Quid de Dei dilectione dicendum sit. — Specialiter autem quantum ad dilectionem Dei attinet, distingui in Christo debet quadruplex dilectio.

Primo, fuit in Christo dilectio Dei naturalis, secundum quam creatura magis diligit Deum quam seipsam, quae dilectio pertinet ad ipsam naturam cuiuscumque rei, et circa hanc proinde Christus non fuit liber. Huius dilectionis rationem ita exponit Angelicus Doctor[1]: *Quia bonum universale est ipse Deus; et sub hoc bono continetur etiam angelus et homo et omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter secundum id quod est, Dei est; sequitur quod naturali dilectione etiam angelus et homo plus et principalius diligat Deum quam seipsum. Alioquin, si naturaliter plus seipsum diligeret quam Deum, sequeretur quod naturalis dilectio esset perversa, et quod non perficeretur per charitatem, sed destrueretur.*

Praeter huiusmodi dilectionem naturalem, est ponenda in Christo alia dilectio, scilicet dilectio electiva ab illa dependens; nam, ut iterum argumentatur Angelicus[2], dilectio boni quod homo naturaliter vult sicut finem, est dilectio naturalis, a qua derivatur aliqua dilectio electiva, quae est boni quod diligitur propter finem;

1. 1, Quaest. LX, art. 5. — 2. Ibid., art. 2.

et circa hanc dilectionem Christus fuit liber: sed secundum hanc dilectionem, nostram salutem non meruit, quia radix meriti est charitas, haec autem dilectio ponitur in Christo ex viribus naturalibus elicita [1].

Praeter has dilectiones, quae ad ordinem naturalem pertinent, ponenda est, *tertio*, in Christo dilectio Dei quae sequitur ad visionem beatificam, quae quidem necessaria fuit, sicut necessaria est beatis Dei visio, et quae proinde non fuit in ipso causa alicuius meriti.

At, praeter hunc actum, qui correspondet dilectioni naturali de qua supra diximus, fuit, *quarto*, dilectio Dei, ut Deus est ratio creaturarum, scilicet, dilectio creaturarum propter Deum, quae quidem dilectio a priori dilectione non differt ut habitus, sed tantummodo ut actus entitative distinctus, et quem Christus libere elicere potuit, ea intensione et ea frequentia quas ipsemet elegerat, in quibus quidem actibus consistit potissima ratio meriti eius [2].

ARTICULUS V. — *Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito.*

1. — Ratio articuli. — Sub ultimis duobus articulis statuitur comparatio, hinc voluntatis humanae Christi cum voluntate divina respectu ad conformitatem in obiecto volito, illinc vero diversarum voluntatum inter se, ut sciatur utrum quaedam in ipsis contrarietas aut pugna locum habuerit. Saluberrima haec doctrina est, qua datur intelligi, ex Magistri exemplo, quomodo nostras voluntates Deo conformes facere possimus, iuxta illud: *Fiat voluntas tua.*

2. — Praenotanda. — In antecessum advertendum est illud quod iam dictum est, nempe ex divina dispensatione factum

1. Cf. 1, 2^ae, Quaest. CIX, art. 2; 3, Quaest. VII, art. 1; et Quaest. XLVIII, art. 1.— 2. Cf. inferius dicenda, Quaest. XIX, art. 3. Circa totam hanc quaestionem, videsis disertissimas elucubrationes Salmanticensium, Tract. XXI, de Incarnat. Disp. XXVII. Dub. III. ubi tamen forsan reperire est aliquid minus accurate dictum circa praesens argumentum.

fuisse quod Filius Dei ante suam passionem permitteret carni agere et pati quae sunt ei propria, extendendum esse generaliter ad omnes vires animae illius. Licet enim Christus secundum mentem frueretur Deo, tamen habebat carnem passibilem, ex qua parte aliquid ei accidere poterat repugnans et naturali voluntati eius et etiam appetitui sensitivo; et cum, ut ait Augustinus[1], *beatus est qui habet quaecumque vult et nihil male vult*, ideo Christus, ut viator, non perfecte beatus erat [2].

Praeterea recolenda venit duplex distinctio in voluntate Christi secundum humanam naturam, scilicet voluntatis sensualitatis, quae nonnisi participative voluntas dicitur, et voluntatis essentialiter rationalis, quae aut consideratur per modum naturae, et dicitur voluntas ut natura, aut consideratur per modum rationis, et vocatur voluntas ut ratio.

3. — PROP. — **Voluntas Christi α) ut est natura, aut etiam voluntas per participationem, potuit aliud velle quam Deus; β) ut est autem ratio, omnino fuit conformis divinae voluntati in volito.**

Prob. 1ª Pars. — Voluntas Dei erat ut Christus dolores, passiones, et mortem sustineret. Atqui voluntas sensualitatis refugit naturaliter dolores sensibiles et corporis laesionem; similiter voluntas ut natura repudiat ea quae sunt naturae contraria et quae sunt secundum se mala, puta, mortem et alia huiusmodi.

Nec in hoc est aliqua imperfectio tribuenda Christo: non enim est de ratione voluntatis per participationem seu sensualitatis, quod eius motus se extendat usque ad obiectum divinae voluntatis; et voluntas quae est per modum naturae, fertur in obiectum absolute consideratum, non in ordine ad divinam voluntatem [3].

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Deus tamen non volebat ista secundum se, sed ex ordine ad finem humanae salutis. Porro voluntas per modum rationis ea quae naturae sunt contraria, eligere potest ex ordine ad finem; sicut evenit in infirmo qui propter finem sanitatis eligit ustionem, quam tamen sensualitas eius et

1. L. XIII de Trin., c. 5. — 2. Ad 3^m. — 3. Ad 1^m.

etiam voluntas absolute considerata refugit. Christus igitur, qui humanam salutem volebat, elegit etiam passionem et mortem sibi a Patre impositas, quamvis ab istis naturaliter refugeret, de qua voluntate intelligendum est quod dicitur [1] : *Ut facerem Deus voluntatem tuam.*

Hanc autem conformitatem voluntatis humanae Christi cum voluntate divina pulcherrime illustrat ipsiusmet ante passionem oratio : cum enim postulasset Patrem, ut si possibile foret, transiret ab eo calix passionis, statim tamen subdidit : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*[2], orans scilicet ut non sua, id est naturalis et sensitiva, sed Patris voluntas, quam habebat cum Patre communem, fieret : in quo conformem divinae voluntati exhibebat suam deliberatam voluntatem.

5. — Scholion. — Sufficit autem quod Christus voluntate deliberata acceptaverit id quod Pater volebat, ut voluntas eius dicatur *simpliciter* conformis voluntati Patris, et nullo modo difformis. Conformitas enim voluntatis humanae ad voluntatem divinam attenditur secundum voluntatem rationis, secundum quam etiam voluntates amicorum concordant : eadem enim velle et intelligere est unum de amicabilibus. Christus igitur, cuius charitas in Deum comprehensionem nostrae scientiae excedit, iuxta illud[3] : *Scire supereminentem scientiae charitatem Christi*, voluntatem habuit maxime conformem Dei voluntati, in quantum eius ratio considerabat volitum aliquod in ordine ad Dei voluntatem [4].

Insuper illi actus voluntatis consideratae ut naturae, inefficaces sunt et naturales, eo sensu quod eliciuntur voluntate humana operante secundum inclinationem naturalem, qua naturaliter fertur in bonum secundum se naturae commodum et refugit a malo naturae adverso, ideoque possunt dici merae velleitates aut actus merae complacentiae et displicentiae. Et propterea, Christus viator distinguebatur ex hoc capite a beatis qui cum omne bonum desiderabile habent, ideo velleitates nullo modo patiuntur, et consequenter nec electiones nec velleitates a Dei voluntate dissonas : Christus autem viator, cum passibilis esset, velleitates

1. Ps. XXXIX, 9. — 2. Luc. XXII, 42. — 3. Eph. III, 19. — 4. Ad 2[m].

naturales patiebatur a Dei voluntate difformes, non autem electiones.

6. — Quaestio. — *Utrum in Christo fuerint actus inefficaces et imperfecti voluntatis deliberatae, seu consideratae ut est ratio, qui actus dicuntur etiam velleitates, sive secundum rationem superiorem, quae scilicet intendit aeternis, sive secundum rationem inferiorem quae intendit temporalibus, quale fuisset desiderium quod non moreretur ut impedirentur iudaeorum peccata, aut ut vitaretur Hierosolymorum eversio ?*

Verius respondetur *negando*, eo quia cum voluntas, ut ratio, fertur in bonum per ordinem ad finem, talia autem ad finem Incarnationis non essent ordinata, ideo Christus voluntate deliberata non est ea amplexatus, nihilque secundum voluntatem rationis voluit, nisi quod sciret Deum velle, iuxta illud [1]: *Qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum, quia ego quae placita sunt ei facio semper ;* et[2]: *Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est*, etc.

7. — Patrum dicta. — Quantum doctrina huius articuli cohaereat Patrum sententiis, paucis adiectis relegisse iuvabit. Sic S. Augustinus dicit [3]: *In hoc quod Christus ait : Non quod ego volo, sed quod tu, aliud se ostendit voluisse quam Pater ; quod nisi humano corde non posset, cum infirmitatem nostram in suum non divinum, sed humanum transfiguraret affectum.* Notanda quoque sunt verba quae habet S. Athanasius qui, commentans istum locum Lucae [4]: *Veruntamen, non mea voluntas, sed tua fiat,* ait[5]: *Geminum hic velle ostendit, alterum quidem humanum quod est carnis, alterum vero divinum: humanitas enim ob carnis fragilitatem recusat passionem, sed divinus eius affectus* (intellige *voluntas ut ratio*) *affectanter eam subit, eo quod non esset possibile eum detinere a morte.* Praeclare quoque Beda ait[6] : *Appropinquans etiam passioni Salvator infirmantium in se vocem sumpsit, ut cum hoc imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus ut voluntas Conditoris nostri etiam contra nostram voluntatem fiat.*

1. Io., VIII, 29.— 2. Rom. XV, 3. — 3. L. III contra Maxim., c. 20.— 4. C. XXII, 42. — 5. De Incarn. contra Arianos. — 6. In eumd. loc.

ARTICULUS VI. — *Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatis.*

1. — Ratio articuli. — Ex praecedenti articulo habetur quod voluntas rationalis Christi fuit omnino conformis voluntati divinae, non autem voluntas naturalis aut sensualitatis; quam dissentionem ita describit S. Athanasius [1]: *Quando Christus dicit: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, et tamen non mea voluntas, sed tua voluntas fiat, et etiam: Spiritus promptus est, caro autem infirma, duas voluntates hic ostendit: humanam, quae propter infirmitatem carnis refugiebat passioni, et divinam eius promptam ad passionem.* Quapropter, hic proprie quaeritur utrum haec qualiscumque dissentio sufficiat ad hoc, quod possit asseri contrarietatem voluntatis fuisse in Christo.

2. — Quid requiratur ad contrarietatem habendam. — Porro, contrarietas non habetur nisi attendatur oppositio et in eodem et secundum idem: si enim diversitas sit secundum diversa aut existat in diversis, hoc non sufficit ad contrarietatis rationem, sicut nec ad contradictionis rationem: quod enim homo sit sanus aut pulcher secundum manum et non secundum pedem non est contrarietas, aut quod sit in musica doctus et in theologia indoctus.

Ad hoc igitur quod habeatur in aliquo voluntatis contrarietas, requiritur, *primo,* quod diversitas voluntatis attendatur *secundum idem obiectum,* obiectum, inquam, *formale:* nam si unius voluntas esset de aliqua re fienda secundum quamdam rationem universalem, alterius autem voluntas de eadem re non fienda secundum quamdam rationem particularem, non esset voluntatum contrarietas. Exemplum esto, si rex velit latronem suspendi propter bonum publicum, et aliquis ex latronis consanguineis nolit eum suspendi propter amorem privatum, non erit voluntatum contrarietas, nisi in tantum se extendat privati hominis voluntas, ut bonum publicum impediri velit ad hoc ut

1. L. Adversus Appolinar.

bonum privatum conservetur; quo in casu oppositio voluntatum attenderetur circa idem obiectum formale.

Secundo, ad hoc ut sit contradictio voluntatis, requiritur ut attendatur *circa eamdem voluntatem*. Revera, si homo velit aliquid secundum rationis appetitum, et aliud secundum appetitum sensitivum, non erit hic contradictio, nisi forte appetitus sensitivus in tantum praevalcat, quod immutet vel retardet appetitum rationis: tunc enim aliquid de motu contrario appetitus sensitivi perveniret usque ad voluntatem rationis.

3. — Advertendum. — Porro, oppositio ex hoc duplici capite orta requiritur ut habeatur contrarietas voluntatum in uno eodemque subiecto: in diversis enim subiectis sufficit oppositio ex primo capite tantum ut habeatur vera contrarietas: hinc consanguinei voluntas latronem servari volentis, etiam praetermisso bono publico, contrariatur regis voluntati, illum propter bonum publicum suspendi volentis, quo sensu peccatoris voluntas solet dici contrariari Dei voluntati.

4. — PROP. — **In Christo non fuit aliqua contrarietas voluntatum.**

Ita legimus in concilio C.P. III[1]: *Praedicamus duas naturales voluntates non contrarias, iuxta quod impii asserunt haeretici; sed sequentem eius humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.* Pariter[2]: *Cum duas autem naturas duasque naturales voluntates et duas naturales operationes in uno Domino Nostro Iesu Christo confitemur, non contrarias eas, nec adversus ad alterutrum dicimus, sicut a via veritatis errantes apostolicam traditionem accusant: absit haec impietas a fidelium mentibus.* Concilium quoque Lateranense sub Martino I[3] anathema dicit in illos qui *ex pie praedicatis duabus voluntatibus et duabus operationibus, dissentiones et divisiones insipienter inducunt.*

5. — Prob. rat. theol. — Ratio autem est quia, licet naturalis Christi voluntas et voluntas sensualitatis aliquid aliud voluerint quam voluntas divina et voluntas rationis ipsius, tamen, *primo*,

1. Act. 3. — 2. Act. 4. — 3. Can. 15.

haec oppositio non fuit circa *idem obiectum formale*, quia nec voluntas naturalis nec voluntas sensualitatis repudiabat illam rationem qua et voluntas divina et voluntas rationis humanae, quam etiam possumus nominare voluntatem charitatis, cum a Spiritu Sancto moveretur, in Christo passionem volebat: nam, quod ad voluntatem absolutam spectat, haec quoque volebat salutem humani generis, quam apprehendebat ut bonum quoddam; sed quia eius non est velle aliquid in ordine ad aliud, ideo tali voluntate refugiebat a morte, quam non pertinebat ad se ut apprehenderet tanquam medium ad salutem hominum. Motus autem voluntatis sensualitatis non valebat ad hoc se extendere.

Secundo, haec oppositio non fuit circa eamdem voluntatem: nam, nec voluntas divina, nec voluntas rationis in Christo, impediebatur aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per sensualitatis appetitum. Ex alia vero parte, nec voluntas divina, nec voluntas rationis in Christo refugiebat aut retardabat motum voluntatis naturalis humanae et motum sensualitatis in eo: placebat enim Christo secundum voluntatem divinam et etiam secundum voluntatem rationis, ut voluntas naturalis in ipso et voluntas sensualitatis moverentur secundum ordinem suae naturae: unde oppositio voluntatis, si quae fuit, non fuit secundum idem et in eodem, et sic verae contrarietatis aut repugnantiae rationem non habuit: immo quod voluntas humana in Christo aliud voluerit quam voluntas divina, ex ipsa voluntate divina procedebat, cuius beneplacito humana natura motibus propriis movebatur [1], ut exponit Damascenus [2].

6. — ***Corollarium.** — Unde pax summa et tranquillitas perfecta fuit in viribus animae Christi Domini, secus ac in nobis, in quibus per motum sensualitatis aut per concupiscentiam carnis impeditur vel retardatur motus appetitus rationalis: ad quam pugnam attendens S. Paulus ait[3]: *Caro... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*[4]. — *Si caro concupiscit per spiritum*, ait S. Thomas commentans hunc locum, *quomodo concupiscit adversus eum? In hoc scilicet quod concupiscentia carnis*

1. Ad 1^m. — 2. L. II Orthod. fid., cc. 15 et 19. — 3. Gal. V, 17. — 4. Cf. ad 2^m.

impedit concupiscentiam spiritus. Cum enim delectabilia carnis sint bona quae sunt infra nos, delectabilia vero spiritus bona quae sunt supra nos, contingit quod cum anima circa inferiora, quae sunt carnis, occupatur, retrahitur a superioribus, quae sunt spiritus. Ad quod etiam attendens sanctus Iob, aiebat [1]: *Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?*

7. — Quaestio. — *Quisnam sit sensus istorum verborum* [2]: FACTUS IN AGONIA PROLIXIUS ORABAT?

Resp. Agonia potest esse quantum ad partem animae rationalem, et quantum ad partem sensitivam. Cum enim agonia nominet quamdam pugnam aut concertationem animi in contraria tendentis, hinc habetur agonia secundum partem animae rationalem, quando quis, secundum quod ratio eius considerat unum, vult hoc, secundum vero quod considerat aliud, vult contrarium : exinde habetur concertatio voluntatis ex diversitate rationum procedens. Quod autem in Christo talis agonia non fuerit, constat : talis enim concertatio contingit propter debilitatem rationis, quae non potest diiudicare quid sit simpliciter melius ; Christus autem per suam rationem iudicabat simpliciter melius esse quod, per suam passionem, divina voluntas impleretur circa salutem humani generis. Sed quia in parte sensitiva timorem habuit infortunii imminentis, ideo in Christo ponitur agonia quantum ad partem sensitivam, eo modo quo tale certamen conspicitur etiam in pueris et in animalibus ratione carentibus [3].

8. — Quaestio. — *Quonam sensu accipienda sint verba orationis dominicae :* FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CAELO ET IN TERRA?

Resp. Verba ista possunt intelligi *primo* de voluntate beneplaciti, in quantum scilicet homo laudet, benedicat et adoret divinam voluntatem, ipsique in omnibus se subiiciat. *Secundo* intelligi possunt de voluntate signi, in quantum homo statuit obtemperare divinis mandatis, vitare quae Deus prohibuerit, illius consilia, quantum in se est, sequi. *Tertio* accipi etiam possunt de voluntate signi hoc sensu quod homo desideret et vehementer optet ut omnes divinis mandatis obtemperent, et nullus a norma quam

1. C. VII, 20. — 2. Luc. XXII, 23. — 3. Ad 3^m.

Deus ostenderit in terra discedat, sicut nullus etiam in caelo ab hac norma discedit. Quoniam vero multa sunt quae Deus nobis nonnisi oratione mediante dare decreverit, ideo *quartus* sensus esse potest nos Deum postulare, ut adimpleatur conditio ab eo posita ad gratias nobis concedendas : sic quippe, ut observat S. Augustinus[1], *si S. Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet.* Hisce quoque addi possunt plures alii sensus qui in hac oratione claudi possunt, verbi gratia, sensus patientiae in adversis quae nobis evenire Deus sinit, spei in divino auxilio, etc.

Huc faciunt sequentia verba S. Francisci Salesii[2] : *La doctrine chrestienne nous propose clairement les vérités que Dieu veut que nous croyions, les biens qu'il veut que nous espérions, les peynes qu'il veut que nous craignions, ce qu'il veut que nous aymions, les commandemens qu'il veut que nous fassions et les conseilz qu'il désire que nous suivions : et tout cela s'appelle la volonté signifiée de Dieu, parce qu'il nous a signifié et manifesté qu'il veut et entend que cela soit creu, espéré, craint, aymé et prattiqué*[3]. Explicat autem postea[4] idem sanctus quomodo verba illa intelligi etiam possint de voluntate beneplaciti, quam laudare et adorare, et cui nos ipsos consecrare iubemur[5].

1. Serm. in Nativ. S. Steph. VI, n. 5. — 2. *Traité de l'Amour de Dieu*, l. VIII, c. III, Annecy, 1894. — 3. Forsan melius diceretur : *Parce qu'il nous a signifié et manifesté qu'il veut et entend que nous soyons obligés à croire, espérer, craindre, aimer et pratiquer tout cela :* praeceptum enim non est signum divinae voluntatis in se, sed potius est signum verae obligationis. — 4. Loc. cit. — 5. Excellentissimam orationis formam pro divino beneplacito perficiendo exhibet auctor Imitationis Christi, his verbis (l. III, c. XV) : *Concede mihi, benignissime Iesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret. Da mihi hoc semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est, et carius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur, et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum; nec aliud posse velle aut nolle; nisi quod tu vis aut nolis. Da mihi omnibus mori quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi super omnia desiderata in te requiescere, et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies : extra te dura sunt omnia et inquieta. In hac pace in idipsum, hoc est, in te uno summo aeterno bono, dormiam et requiescam. Amen.*

QUAESTIO XIX

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Quaestionem de duabus Christi voluntatibus, quam quidem ex adserta illius unitate in persona et in esse prodire diximus, sponte suscipit quaestio de duabus in uno operante Christo operationibus : siquidem voluntas non solum est principium illorum actuum qui ab ipsa eliciuntur, sed etiam eorum qui ab alia potentia executioni mandantur; unde et illi haeretici qui negaverunt in Christo duas esse voluntates, duas quoque operationes inficiari conati sunt. Ubi de operationibus in Christo agitur, non numerice, sed specifice distinctis, id est, secundum propria principia utriusque naturae operantis, divinae scilicet et humanae.

2. — Divisio quaestionis. — Porro, quoniam proprius effectus operationis humanae naturae in Christo est meritum, ideo nedum hic erit de operatione humana quaerendum (1-2), verum etiam de merito quod ex hac operatione consecutum est (3-4). Et quidem, de Christi operatione humana, primo, quaerendum erit an sit (1), ut mox de eius unitate determinetur (2). Meritum vero considerabitur, tum quoad ipsum agentem (3), tum quoad alios (4).



Hinc quaeruntur hic quatuor :

Primo. Utrum in Christo sit una operatio divinitatis et humanitatis vel plures.

Secundo. Utrum in Christo sint plures operationes secundum humanam naturam.

Tertio. Utrum Christus secundum humanam operationem aliquid sibi meruerit.

Quarto. Utrum per eam aliquid meruerit nobis.

ARTICULUS I. — *Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis.*

1. — Ratio articuli. — Quod graeci ἐνέργειαν, latini duobus vocabulis aliquando *virtutem*, aliquando vero *actionem* nominant. Est autem actio id, quo mediante, agens aliquid producit ; ideoque intelligitur media inter operantem et operatum, et proinde dupliciter potest considerari, scilicet secundum quod refertur vel ad operantem vel ad operatum.

Porro, quia operatio una est quae est ab uno tantum activo principio virtute propria, quaerere utrum sit in Christo una tantum operatio, perinde est ac quaerere utrum in Christo sit unum tantum principium operandi virtute propria, sive illud sit sola divinitas, sive compositum quid ex humanitate et divinitate, sive sola humanitas. Dubitandi autem ratio est haeresis tum ponentium in Christo unam tantum naturam compositam ex deitate et humanitate, tum dicentium solam deitatem esse principium activum virtute propria, quales fuerunt qui subtraxerunt Christo humanam voluntatem vel eius actum [1].

2. — PROP. — In Christo non est una tantum operatio divinitatis et humanitatis.

De fide est ista propositio ita in Concilio CP. III [2] exposita : *Duas naturales voluntates in eo* (Iesu Christo), *et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam adaeque praedicamus.* Et S. Ioannes

1. Caiet. — 2. Act. XVIII.

Damascenus[1] : *Cum duae in Christo naturae sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est. Quorum enim natura diversa est, horum quoque dispar est actio; et contra, quorum natura est eadem, horum et actio est eadem; quorum autem actio una est, horum etiam substantia una est, secundum divinorum interpretes Patres.* Ambrosius quoque ait[2] : *Quomodo eadem operatio diversae est potestatis? Numquid sic potest minor, quemadmodum maior operari, aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?*

3. — Haereticorum sententia. — Porro, negatio duarum voluntatum haereticos necessario induxit ut negarent etiam in Christo duas operationes: non enim potest duplex operatio salvari, perempta voluntatum dualitate. Nam agimus modo de operatione quae sit formaliter divina et de operatione quae sit formaliter humana, ad quam proinde et divinum principium requiritur et humanum.

Illi autem hoc modo argumentabantur. Ubicumque sunt plura agentia ordinata, inferius a superiori movetur, sicut in homine corpus ab anima, et inferiores vires a ratione ; et propterea, inferebant, id quod ad supremum principium pertinet est proprie operatio ; actiones vero et motus inferioris principii sunt magis operata quaedam quam operationes. Puta, si dicamus quod in homine ambulare, quod est pedum, et palpare quod est manuum, sunt quaedam hominis operata, quorum unum operatur anima per pedes, aliud per manus ; et quia est eadem anima operans per utrumque, ex parte operantis, quod est primum principium movens, est una et indifferens operatio, ex parte autem ipsorum operatorum differentia invenitur.

Porro, addebant, quemadmodum in puro homine corpus movetur ab anima, et appetitus sensitivus a rationali, ita in Christo humana natura regebatur et movebatur a divina ; unde, sicut in homine est una et indifferens operatio ex parte animae operantis, quae est primum principium movens, ita, dicebant, in Christo est una et indifferens operatio ex parte divinitatis, quae est primum principium movens in ipso, licet diversitas si operatorum, secundum quod eadem divinitas aliud operabatur per-

1. L. III Orthod. fid., c. 15.— 2. L. II, ad Gratianum Imper., c. 4.

seipsam, aliud per humanam naturam. Per seipsam *portabat omnia verbo virtutis suae* [1]; per humanam autem naturam corporaliter ambulabat ; unde unam dicebant Christi Domini operationem, licet duo sint operata. — *Ea quae agebantur et operabantur ab uno Christo*, aiebat Severus haereticus [2], *multum differunt. Quaedam enim sunt Deo decibilia, quaedam humana ; velut corporaliter vadere super terram, profecto humanum est; cruribus vero vexatis et ambulare super terram penitus non valentibus, sanum gressum donare, Deo decibile est. Sed unus, scilicet incarnatum Verbum, hoc et illud operatus est; et nequaquam hoc quidem huius, hoc vero huius est naturae; neque eo quod diversa sunt operamenta, ideo duas operatrices naturas atque formas iuste definimus.*

4. — **Refutatio** — Sed in hoc decipiebantur haeretici. Revera, quandocumque aliquid habens propriam formam movetur ab alio, id quod movetur habet duplicem operationem : unam quidem quae ipsi competit secundum propriam formam, aliam vero quae ipsi competit secundum quod movetur ab alio ; aliis verbis, una operatio competit ipsi ut *res* quaedam est, alia ut est *mota* a movente. Sic, operatio propria securis, quae scilicet competit ipsi secundum propriam formam, est facere incisionem, sed insuper alia operatio ipsi competit ut movetur ab artifice, seu ut est formaliter mota, quae est, puta, facere scamnum. Prior operatio ipsi propria est, nec pertinet ad moventem, nisi secundum quod movens utitur huiusmodi re ad suam operationem : sicut calefacere est propria operatio ignis, non fabri, nisi secundum quod iste utitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed posterior operatio, quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia ab operatione artificis moventis securim ; ideoque facere scamnum non est seorsim operatio securis ab operatione artificis, sed securis participat instrumentaliter operationem artificis.

Quapropter, haeretici non considerabant nisi hanc secundam operationem, quae scilicet est moti a movente. Sed, ut dictum est, ipsum motum, ut res quaedam est, habens suam propriam formam, habet etiam suam propriam operationem. Et idem est

1. Hebr., 1, 3. — 2. Haec verba inducuntur in citato concilio CP. III, act. X.

in omni instrumento, quod, ut res quaedam habens propriam formam, propriam habet operationem; sed ut instrumentum, et sic ut movens motum, participat operationem principalioris agentis. — Quae cum ita sint, argumentum potest ita proponi:

5. — Ratio theol. — Ubicumque movens et motum habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti. Atqui in Verbo incarnato divinitas movens et humanitas mota habent diversas formas, seu virtutes operativas. Ergo in Verbo incarnato alia est operatio propria divinitatis moventis et alia operatio propria humanitatis motae.

Maior huius argumenti huic principio innititur: forma est propter operationem. *Minor* autem simpliciter asserit tum divinam tum humanam naturam perfectam esse in sui essentia.

6. — Scholion. — Attamen, ita se habent istae duae distinctae operationes, divinitatis scilicet et humanitatis, ut tamen divina natura utatur operatione humanae naturae, sicut operatione sui instrumenti, et similiter humana natura participet operationem principalis agentis, quod S. Leo[1] ita exponit: *Agit utraque forma* (scilicet divina et humana natura in Christo) *cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est.* Incarnatione enim peracta, ut advertit Hyppolitus Portuensis [2], neque Deus-Homo aliquid operatur carne veluti nudatus seu seorsum ab humana natura in qua assumpta subsistit, neque aliquid agit desertus divinitate in qua aeternaliter subsistit.

Quanti sit momenti ista doctrina pro tota oeconomia christiana, superius animadversum est [3], cum dictum fuerit nedum ipsam Christi humanitatem instrumentum Verbi extitisse in opere nostrae redemptionis, verum etiam multa alia instrumenta per ipsam advocata fuisse ad idem opus perficiendum, sicut, verbi gratia, aquam in baptismate. *Baptizatus est Dominus,* ait S. Ambrosius [4], *non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per car-*

1. In Ep. ad Flav. — 2. Fragm. 8, Sermo adv. Ber. et Helic. — 3. Quaest. XIII, art. 2, n. 4. — 4. Sup illud Luc. III : *Factum est autem,* etc.

nem Christi qui peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent, et ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis.

7. — ***Confirmatur.** — **I.** Si una tantum esset in Christo humanitatis et divinitatis operatio, oporteret dicere, vel α) quod humana natura in ipso non habuerit propriam formam et virtutem, de divina enim natura hoc asserere esset impium immo impossibile, vel β) quod ex divina virtute et humana esset conflata in Christo una virtus tantum. — Sed primum importaret quod humana natura in Christo fuerit imperfecta, cum e contra, secundum fidem catholicam, confitenda sit undequaque perfecta ; alterum vero induceret in eo confusionem naturarum, quod ad Eutychianam haeresim spectat. Unde, vicissim, ex ista duplici operatione in Christo argumentum deducitur ad probandam dualitatem naturarum. — Nulla enim potest esse tam manifesta probatio Christum simul fuisse Deum et hominem, quam naturalium operationum, quae propriae ex respectivis principiis procedunt, differentia specifica[1].

II. Si esset in Christo una tantum operatio, haec esset humana et creata tantum, vel increata et divina tantum, vel utrumque simul. Atqui nullum horum est possibile. Nam, si sit creata vel humana tantum, ergo deitas propria agendi vi in Christo fuit destituta ; si divina tantum, ergo cum occasionalistis consentiendum esset, dicentibus res naturales omni efficacia ad operandum destitui, non enim potest dici humanitatem Christi omni alia re esse imperfectiorem, cum potius contrarium inferendum sit ex propinquitate illius humanitatis ad divinitatem : quanto enim aliqua res ad Deum propinquius se habet, tanto maiori perfectione donatur. Demum, dicere operationem Christi esse simul divinam et humanam, creatam et increatam, est ponere cum Eutychete unionem factam fuisse in natura.

8. — **Corollarium.** — Ex dictis sequitur aliud quidem esse in Christo operatum proprium operationis divinae, aliud vero operatum proprium operationis humanae, sicut operatum proprium divinae operationis est sanatio leprosi, operatum vero proprium humanae naturae est physicus illius contactus. Attamen, cum

1. Cf. Agath. Pp. in Ep. ad Imperat. adv. Monothelitas.

ambae operationes concurrunt ad unum operatum, secundum quod una natura agit cum communione alterius, ideo, cum operatis propriis singularum operationum stat unitas operati respectu utriusque, non quidem per viam proprietatis, sed per viam concursus seu communionis, sicut sanatio leprosi, licet sit proprium operatum divinae operationis, tamen commune est operatum huius et humani contactus, divinam operationem communicantis [1].

9. — Quaestio. — *Quonam sensu dicere liceat Christi operationem esse theandricam?*

Resp. Desumitur haec denominatio ex libro de *divinis Nominibus*[2], ubi dicitur : *Discreta autem est benignissima circa nos Dei operatio, per hoc quod secundum nos ex nobis integre vereque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, et operatum et passum quaecumque humanae eius divinaeque operationi congruunt,* ubi humana et divina operatio graece θεανδρική (a θεός et ἀνήρ) id est *deivirilis* vocatur.

Equidem falsus esset huius locutionis sensus, si quis illam acciperet ad significandam unam confusam utriusque naturae operationem seu virtutem, in quo sensu decernit concilium Lateranense sub Martino I [3] : *Si quis secundum scelerosos haereticos deivirilem operationem, quod graeci dicunt* θεανδρικήν, *unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, hoc est divinam et humanam ; aut ipsam* θεανδικήν, *quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit.*

Igitur poterit Christi operatio dici *theandrica*, hoc sensu quod divina operatio Christi utitur humana, et humana eius operatio participat virtutem divinae operationis. *Super hominem operabatur ea quae sunt hominis, quod monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, et aqua instabilis terrenorum pedum sustinens gravitatem*[4] *:* nam concipi et ambulare est humanae naturae, sed utrumque fuit in Christo supernaturaliter. Pariter, Christus divina ope-

1. Ad 5^m. Cf. Caiet. — 2. C. 2. Cf. S. Thom. lect. 3. — 3. Can. 15. — 4. Ita habetur in Ep. IV, ad Caium, quae Dionysio falso tribuitur.

rabatur humanitus, ut cum leprosum tangendo sanavit. *Non secundum Deum divina faciens, non humana secundum hominem, sed Deo homine facto, nova quadam Dei et hominis operatione*[1].

Advertendum autem est non omnes divinitatis operationes in Christo cum humanitate communicare, dum, e contra in omnibus operationibus humanitatis, divinitas quodammodo communicabat, vel formaliter, scilicet in iis in quibus humanitas erat instrumentum divinitatis, vel materialiter, ratione suppositi operantis. Unde operationes theandricae tripliciter distingui possunt: *primo*, ex parte divinitatis utentis humanitate; *secundo*, ex parte humanitatis dum communicabat, tanquam instrumentum, cum divinitate; *tertio*, ex parte eiusdem humanitatis, cuius omnes operationes, ratione suppositi, erant operationes Dei.

10. — ***Confirmatur** autem haec interpretatio ex eodem libro *de divinis Nominibus* distinguente in Christo operationem in qua Pater et Spiritus Sanctus non communicant, nisi secundum acceptationem misericordiae suae, quae profecto est operatio humana, qua utitur Verbum et cum eo Pater et Spiritus Sanctus, et aliam operationem in qua communicant Pater et Spiritus Sanctus, quae profecto est operatio divina Verbi, quae cum sit divinae naturae, communis est tribus divinis personis. Dicit enim[2] quod his *quae pertinent ad humanam eius* (sc. Christi) *operationem, Pater et Spiritus Sanctus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam misericordem voluntatem*, id est secundum quod Pater et Spiritus Sanctus ex sua misericordia voluerunt Christum agere et pati humana. Addit autem: *Et secundum omnem sublimissimam et ineffabilem Dei operationem, quam homo pro nobis factus adimplevit, immutabilis profecto Deus et Dei Verbum*[3].

11. — **Difficultates.** — **I.** Instrumenti non est alia operatio ab operatione principalis agentis. Sed humanitas Christi fuit instrumentum divinitatis. Ergo non fuit alia operatio divinitatis et humanitatis in Christo.

Resp. *dist. mai.* Instrumenti, in quantum est instrumentum, *conc.*; secundum formam propriam, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique, instrumenti, in quantum est instrumentum,

1. Sic subditur in citata Ep. — 2. C. 2. — 3. Ad 1m.

non est alia actio ab actione principalis agentis, sicut actio calami, in quantum adhibetur ut instrumentum scripturae, quae actio est formare litteras, alia non est, nisi forte ratione, ab actione scribentis. Sed quia, uti est res quaedam, habet propriam formam, ideo actionem propriam, ab operatione principalis agentis realiter distinctam, sibi vindicat. Et sic, operatio quae est humanae naturae in Christo in quantum haec est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis : eadem quippe est salvatio, qua salvat humanitas Christi et divinitas eius ; sed humanitatis Christi, in quantum est res quaedam, est propria operatio distincta ab operatione divinitatis, puta contactus manuum eius[1].

II. *Instabis.* Atqui humanitatis Christi, etiam ut est res quaedam, non est alia operatio ab operatione divinitatis. Ergo una tantum est in Christo operatio. — *Prob. antec.* Quod pertinet ad hypostasim Christi est unum et idem. Sed operatio humanitatis Christi, etiam ut humanitas est res quaedam, pertinet ad hypostasim Christi, nihil enim operatur, nisi suppositum subsistens, seu, ut dicit Aristoteles, αἱ πράξεις καὶ αἱ γενέσεις πᾶσαι περὶ τὸ καθ' ἕκαστόν εἰσιν, *actiones ac generationes omnes circa singulare sunt*[2]. Ergo operatio humanitatis Christi, etiam ut est res quaedam, est una et eadem cum operatione divinitatis.

Resp. *Dist. mai.* Quod pertinet ad hypostasim Christi ratione sui, est unum et idem, *conc.* ratione formarum seu naturarum, *nego*, *Dist. min.* Operatio humanitatis Christi, etiam ut humanitas res quaedam est, pertinet ad hypostasim ratione ipsius hypostasis, *nego;* ratione formae seu naturae cuius est, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Operatio pertinet ad hypostasim subsistentem, non quidem ratione hypostasis, sed ratione naturae in qua talis hypostasis subsistit, et a qua suam speciem sortitur ; sed individualitas actus pertinet ad hypostasim praecise ratione hypostasis, seu ab hypostasi habetur unitas operationis secundum numerum. A natura igitur sumitur unitas seu multiplicitas specifica operationum ; ab hypostasi vero, unitas numerica. Revera, idem hypostatice ignis habet duas operationes specie differentes, imo plures propter differentiam proprietatum suarum, puta illuminare

1. Ad 2^m. — 2. L. I, Metaph.

propter qualitatem lucis, et calefacere propter qualitatem caloris, etc. ; sed unaquaelibet harum operationum specie differentium semel facta, una est, puta, una numero illuminatio ignis semel illuminantis. Et ita in Christo, ex diversitate naturarum, exsurgebat diversitas specifica operationum ; puta, in una sanatione leprosi contactus manuum et iussio divinitatis ; sed propter unitatem suppositi, erat unus contactus semel factus, una iussio semel peracta [1].

III. *Urgebis.* Atqui operatio humanitatis Christi, etiam ut humanitas est res quaedam, pertinet ad hypostasim Christi ratione sui, id est ipsiusmet hypostasis. Ergo una tantum est operatio divinitatis et humanitatis. — *Prob. antec.* Ea ratione operatio humanitatis, etiam ut humanitas est res quaedam, pertinet ad hypostasim Christi, qua esse ad eamdem pertinet, nam operari sequitur esse, et eius est operari cuius est esse. Atqui esse pertinet ad hypostasim Christi ratione ipsiusmet hypostasis, non enim multiplicatur esse, praecise, quia non multiplicatur hypostasis. Ergo operatio humanitatis, etiam ut humanitas est res quaedam, pertinet ad hypostasim Christi ratione ipsiusmet hypostasis.

Resp. *Dist. mai.* Quantum ad communia τῶν esse et operari, *conc.;* quantum ad specialia utriusque, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Commune est τῶν esse et operari, ut sint personae a natura : persona enim habet esse a natura, sicut etiam habet operari ab ipsa. Sed differunt quantum ad propria utriusque. Siquidem esse pertinet ad constitutionem personae, ad quam se habet in ratione *termini ;* non quidem in ratione termini simpliciter terminantis, hoc enim est de ratione ipsius hypostasis, sed in ratione termini ultimo actuantis ; sed operatio est quidam *effectus* personae secundum aliquam formam vel naturam. Porro repugnat rem aliquam pluribus terminis terminari, vel ultimo actuari, ideoque unitas personae requirit unitatem ipsius esse completi et personalis, non repugnat autem rem aliquam esse principium plurium effectuum secundum multiplicationem formarum : ideoque pluralitas operationum non praeiudicat unitati personali, sicut praeiudicaret pluralitas τοῦ esse [2].

1. Ad 3^m. — 2. Ad 4^m.

ARTICULUS II. — *Utrum in Christo sint plures operationes humanae.*

1. — Ratio dubitandi. — Comperto ex articulo praecedenti quod, praeter operationem divinam, quae una est sicut ipsa essentia Dei, est etiam in Christo operatio humana, de huius unitate statim quaeritur, quae ex hoc excludi videretur, quod Christus, in quantum homo, communicat cum plantis in natura nutritiva, cum animalibus in natura sensitiva, et cum angelis in natura intellectiva, sicut et caeteri homines : at, cum alia sit operatio plantae in quantum est planta, et alia operatio animalis in quantum est animal et alia operatio hominis in quantum est homo, hinc videretur asserendum plures fuisse in Christo operationes humanas[1].

2. — Sensus quaestionis. — Porro, hic non quaeritur de pluralitate et diversitate operationum, quae est per comparationem ad diversa obiecta : cum enim actus specificentur ab obiectis, satis compertum est diversitatem obiectorum inducere diversitatem actuum ; quinimmo, ipsamet diversitas potentiarum et habituum, quam in Christo agnoscimus, diversitatem etiam actuum vel operationum supponit, cum potentiae et habitus distinguuntur secundum actus. Quapropter, hic proprie quaeritur utrum operatio humana in Christo sit una, non ex parte obiectorum, habituum et potentiarum eis correspondentium ; sed ex parte unius primi principii activi, quod est voluntas vel ratio[2].

3. — Quid sit operatio humana. — Revera, operatio illa simpliciter dicitur esse humana, quae a ratione procedit per voluntatem, quae est rationalis appetitus : si quae autem sit in homine operatio, quae non procedat a ratione et voluntate, non est simpliciter operatio humana, sed convenit homini secundum aliquam partem humanae naturae, et potius dicitur operatio *hominis*, quam operatio *humana*[3].

Iamvero, operationes quae proprie humanae non sunt, in triplici sunt differentia : α) quaedam enim conveniunt homini

1. Ad 1^m. — Ad 2^m. — 3. 1 2^ae, Quaest. I, art. 1.

secundum naturam elementi corporalis, ut ferri deorsum; β) quaedam autem ei conveniunt secundum virtutem animae vegetabilis, sicut nutriri, generare, etc.; γ) demum, quaedam ei conveniunt secundum partem sensitivam, ut videre, audire, imaginari, memorari, concupiscere et irasci. Inter has tamen operationes, est aliqua differentia: nam operationes quae sequuntur naturam corporalis elementi, et pariter operationes animae vegetabilis, non sunt rationi obedibiles, ideoque nullimode rationales sunt, nec humanae simpliciter; at operationes animae sensitivae sunt aliqualiter obedibiles rationi et sic aliqualiter rationales et humanae, et sic homini convenire possunt ut homo est, et non solum secundum partem humanae naturae, sicut aliae operationes.

4. — Principium. — Ad investigandum autem quomodo et quando operatio humana sit una vel multiplex, recolendum est illud quod articulo praecedenti dictum est, scilicet, quando agens inferius agit per propriam formam, tunc est alia operatio inferioris agentis et superioris; quando vero agens inferius non agit nisi secundum quod est motum a superiori agente, est eadem operatio inferioris agentis et superioris.

5. — Corollarium. — Ex hisce sequitur α) quod, in homine puro, operatio elementaris corporis et animae vegetativae semper est alia ab operatione voluntatis, quae proprie humana dicitur. β) At, operatio animae sensitivae, quantum ad id quod movetur a ratione, est eadem cum operatione quae est a voluntate; si autem non sit a ratione ordinata, est alia ab operatione rationis. γ) Denique operatio animae rationalis per respectum ad rationem vel voluntatem, est una, utpote quae est ab uno principio operativo; licet sit diversa per respectum ad diversa obiecta, ut dictum est[1]; quam tamen diversitatem aliqui magis appellarunt diversitatem operatorum quam operationum, iudicantes unitatem operationis solum ex parte principii operativi, quo modo nos hic loquimur de unitate vel pluritate operationum in Christo.

Quae omnia colligentes, dicimus in homine puro operationes quae sunt ex elementis et ex anima vegetativa semper esse alias ab operatione humana, quia rationi non subduntur; operationes vero

1. N. 2.

animae sensitivae, si quidem non sint a ratione ordinatae, distingui ab humana operatione, secus non distingui; ipsam denique operationem rationis, licet ex parte obiectorum plurificetur, tamen ex parte principii operativi esse unam, de qua quidem unitate solliciti sumus. Ut autem ad solvendum propositum dubium deveniamus, sit

6. — PROP. — **In Christo est operatio humana una, multo magis quam in quocumque alio homine.**

Prob. In Christo quidem erant operationes convenientes secundum virtutem rationalem, et virtutem sensitivam, et virtutem vegetativam,et virtutem elementorum. Iamvero,nullus erat in Christo motus sensitivae partis, qui non esset ordinatus a ratione; quinimmo, ipsae operationes naturales et corporales aliqualiter ad eius voluntatem pertinebant, in quantum voluntatis eius erat, ut caro ageret et pateretur quae sibi erant propria, quod quidem in nullo alio homine reperitur. Ergo in Christo est operatio humana una, multo magis quam in quolibet alio homine.

7. — ***Confirmatur.** — In Christo Domino est quidem una tantum natura humana, quae tamen duabus partibus essentialibus constat, scilicet anima et corpore; et in ipso corpore humano multa sunt membra differentia secundum formam, sicut etiam in anima multa sunt specifice distinctae virtutes. Quae quidem omnia diversis sunt operationibus accommodata, et sic, absolute loquendo, diversas habent operationes nedum numerice, sed etiam generice et specifice[1] : at quia in Christo, melius quam in quolibet alio homine, est unum primum principium operativum, ideo in ipso, potius quam in quovis alio, est una tantum operatio humana.

1. Ad 3[m].

*DISSERTATIO SPECIALIS

Synopsis Haereseos Monothelitarum

1. — Monothelismus (a μόνος, *unus*, et θέλησις *voluntas*), cuius tessera fuit ἓν θέλημα καὶ μία ἐνέργεια, *una voluntas et una operatio*, naturalis progenies extitit erroris Monophysitarum, in quem etiam naturali consequentia reincidit. Asserere enim Christum fuisse unius tantum naturae, secumfert naturali consequentia quod in ipso quoque sit una tantum voluntas unaque operatio, quod vicissim nequit sustineri, servata naturarum dualitate.

Revera cum, initio saeculi septimi, aliqui orientalium episcoporum, quos inter Theodorus Pharanitanus Arabiae episcopus, Concilii Chalcedonensis decreta, dualitatem naturarum in Christo statuentia, aegre recepissent, unam tantum in ipso operationem praedicare coeperunt propter personae unitatem. Hoc autem sibi Sergius Patriarca CP comparavit, ut recenti haeresi omnium primus vestem texeret (A. D. 626). Scribens quippe Cyro, tunc temporis Episcopo Phasidico, quem postea Heraclius Imperator ad sedem Alexandrinam promovit, quid de una vel duabus in Christo operationibus tenendum esset ab illo quaeritavit, aiens nihil se hac de re a Conciliis definitum reperisse; allegans quoque Cyrilli auctoritatem, quasi hic unam tantum vivificatricem operationem in Christo posuisset, addens S. Leonis in Epistola ad Flavianum verba: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est*, non fuisse intellecta a Patribus in sensu duarum operationum.

Porro, cum Heraclius imperator Hierapoli in Superiori Syria versaretur (A.D. 629), ab Athanasio Iacobitarum Patriarca[1], natione

1. Cum Eutychiani in Concilio Chalcedonensi condemnati, in plures partes essent divisi, a. 541 episcopum elegerunt, cum titulo Metropolitae Oecumenici, Iacobum Zanzalum, a quo *Iacobitarum* nomen sortiti sunt. Qui vero in Syria concilium Chalcedonense receperunt, *Melchitae* (a מֶלֶךְ, *rex*) sunt dicti, quasi regales aut imperiales, quod Imperatoris religionem sequerentur.

Syro, vaferrimo viro accersitus est, qui cum de mysteriis fidei collocutus esset, id tandem ab imperatore promisso obtinuit ut antiochenus Patriarca renunciaretur, si Chalcedonense Concilium recepisset. Itaque Athanasius fidem simulans, duas in Christo naturas confessus est, simulque imperatorem sciscitatus, utrum una vel duae essent operationes in Christo agnoscendae. Dubius imperator Sergium consuluit, qui inde propitiam nactus est occasionem errorem suum divulgandi.

2. — At vero Cyrus, renunciatus Patriarca alexandrinus cupiens aggregare Eutychianos Ecclesiae catholicae (A. D. 633), formulam fidei novem canonibus constantem eis proposuit, catholicam doctrinam circa Trinitatem et Incarnationem continentibus, excepto tamen septimo canone, in quo Christo unica *deivirilis* operatio tribuebatur[1]. At Sophronius Monachus, doctrina et pietate clarus, qui postea invitus ad Hierosolymitanam Sedem evectus est, tunc temporis Alexandriae degens, Cyrum fusis lacrymis supplicationibusque deprecatus est, ne detestandum errorem divulgaret, sed frustra; nam communio hoc de pacto die 3 Iunii subsequuta est, iacobitis exultantibus, quasi non ipsi concilium Chalcedonense recepissent, sed potius Chalcedonense concilium ad eos accessisset.

Quam agendi rationem cum Sergius approbasset, litteras summa calliditate concinnatas ad Honorium Romanum Pontificem dedit, in quibus referebat exortas fuisse inter Catholicos ex una parte, et Nestorianos ac Iacobitas ex altera, acres disceptationes circa operationem Christi; ex imposito tamen silentio de una vel duabus operationibus pacem et haereticorum unionem secutas fuisse; praeterea non inveniri in scriptis Patrum mentionem de duabus in Christo operationibus; Sophronium vero, qui pro hac re contendebat, non potuisse ex Patribus contrariam doctrinam probare; pro bono pacis utendum esse moderatione erga haereticos; aliunde duas operationes stare non posse absque duabus voluntatibus, seu duobus principiis harum operationum, quod impium est dicere, cum Patres doceant carnem

1. ὁμολογοῦμεν..... αὐτὸν ἕνα Χριστὸν ἐνεργοῦντα τὰ θεοπρεπῆ καὶ ἀνθρώπινα μιᾷ θεανδρικῇ ἐνεργείᾳ κατὰ τὸν ἐν ἁγίοις Διονύσιον.

Domini anima rationali informatam, nunquam habuisse naturalem motum separatum ab imperio Verbi, ipsive contrarium; et sicut corpus nostrum anima rationali gubernatur, ita compositum humanitatis Christi semper et in omnibus subiectum fuisse divinitati Verbi : demum prudentia postulari ut nil hac super re ultro investigaretur, sed potius ad doctrinas Patrum attenderetur.

Haec ea est celebris Sergii Epistola[1], quam signat duplex illa malae fidei indicatrix nota : scilicet suppressio veri et suggestio falsi. Non enim ibi loquitur ille de suis scriptis ad Theodorum Pharanitanum episcopum et ad alios, nec de epistola imperatoris ad Arcadium Cyprensem, fingitque se quaestionem ignorasse antequam Cyrus ad ipsum Phaside scripsisset. Introducit quoque scriptum Mennae, olim CP antistitis, ad Vigilium R. P. circa unam voluntatem et unam operationem, quod tamen contendunt eruditi ab ipsomet Sergio fuisse confectum : demum graecorum Patrum doctrinam, necnon ipsiusmet Sophronii agendi rationem perperam exponit.

3. — Honorius, Sergii calliditate deceptus, ad ipsum rescripsit[2], laudans quod novitatem vocum, quibus fideles scandalo affici potuissent, e medio sustulisset : unicam in Christo voluntatem se confiteri dicit, eo quod divinitas non peccatum nostrum, sed naturam sumpsit ante peccatum incorruptam ; nec conciliis nec Scriptura suaderi unitatem aut dualitatem operationum ; si quis unquam ita locutus sit, quasi balbutiens, et infirmis sese accommodans ; Scripturas potius testari Christum esse unum operantem divinitate et humanitate ; utrum vero propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad grammaticos pertinere ; reiicienda esse verba nova, ne simplices, auditis duabus operationibus, nestorianos nos existiment, aut iacobitas, si unam tantum operationem audierint.

Licet vix aut ne vix quidem inconsultae oscitationis nota Honorius in re tanti momenti excusari valeat, tamen haec in eius defensionem compendio afferri possunt.— α) Epistola haec potius disciplinaris fuit, quam dogmatica : nullam enim ex cathedra

1. Hanc reperire est penes Mansi, t. XI. p. 529. — 2. Mansi, Ibid., p. 537.

definitionem Honorius edidit ; sed a Sergio deceptus, tantum hortatus est, pro bono pacis, abstinendum esse a vocabulo unius vel duplicis voluntatis. β) Pontifex asserere voluit non esse realem conflictum voluntatum in Christo, sive humanae voluntatis contra divinam, sive sensualitatis contra rationem, ut indicat istud ipsiusmet Honorii commentum[1] : *Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum ut sequamur vestigia eius, pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus praeferat voluntatem ;* quem fuisse sensum, Ioannes IV, secundus Honorii successor, postea testatus est his verbis : *Decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi, dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates.* γ) Sanctus Maximus, in disputatione cum Pyrrho, ostendit et epistolae auctorem fuisse eiusdem Honorii secretarium, nempe Ioannem abbatem, et Honorium nonnisi voluntatum conflictum respuisse.

4. — Notanda specialiter sunt verba ista Honorii : *Unde et unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa in illa... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura... Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis.*

Quocirca damnatio Honorii a Concilio VI prolata, siquidem huius acta ut authentica et genuina haberi debeant, hoc tantum arguit, Honorium, silentio, quod ut Sergius exoptabat inopportune indixerat, haeresim indirecte fovisse, quod verum est, licet Pontificis intentio laudabilis fuerit. Quapropter verba : *Apostolicam Sedem non apostolica traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit;* et haec alia : *Quia in omnibus, eius* (Sergii) *mentem secutus est et impia dogmata confirmavit,* referri debent ad effectum qui citra Pontificis intentionem secutus est, ideoque infallibilitati eius non adversantur.

5. — Currebat annus 638 cum Heraclius, finem controversiae imponere cupiens, edictum evulgavit, cui titulum dedit : ἔκθεσις τῆς πίστεως, *expositio fidei*, a Sergio confectum, in quo monothe-

1. Super illud Luc. XXII, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

litarum haeresis de una tantum in Christo voluntate formaliter continebatur, et expresse prohibebatur quominus diceretur una vel duplex operatio. Missa Romam ad Severinum Summum Pontificem examinanda, damnata fuit ab huius successore Ioanne IV, qui Honorium declaravit epistola sua ad Sergium voluisse tantummodo negare in Christo fuisse voluntatum contrarietatem atque conflictum.

6. — Porro, tunc temporis vivebat monachus quidam, nomine Maximus, vir magnae sanctitatis et doctrinae, quem Deus suscitasse videtur, ut esset dogmatis de duabus in Christo voluntatibus invictus defensor. Is, cum Pyrrho, qui Sergio successerat (639), et a populo depositus et extra civitatem eiectus in Africam discesserat, procurante Gregorio provinciae gubernatore, celebrem habuit collationem (645)[1], in qua veritatem catholicam accuratissime exposuit, auctorque fuit ut Pyrrhus erroneam esse Sergii doctrinam confiteretur. Pauca heic subnectimus ex hoc documento excerpta, quibus apparebit et quam stricto nexu dogma istud dogmati duarum naturarum in una Christi persona colligetur, et quanta sit in illa argumentandi methodo affinitas cum S. Thomae de hoc mysterio doctrina.

Praefatur S. Maximus rem immanem sibi visam esse veritati praeferre ipsius Pyrrhi benevolentiam; quandoquidem impietas est asserere una eademque voluntate, eumdem Christum, et ante Incarnationem omnia fecisse ex nihilo, conservasse et gubernasse, et post Incarnationem voluisse manducare aut bibere, aut ab uno loco ad alium se transferre, etc. Arguenti vero Pyrrho Christum, tanquam unam tantum personam voluisse, consequenter unicam voluntatem habuisse, obiicit Maximus eum fuisse simul Deum et hominem, proindeque voluisse et operatum fuisse tanquam Deum et tanquam hominem, scilicet conformiter naturis quibus constabat.

Urgenti autem Pyrrho tot esse voluntates quot sunt personae, respondet Maximus, si ita esset, ergo in Deo aut non esset nisi una persona iuxta Sabellium, quia est ibi una tantum voluntas; aut quia sunt ibi tres personae, tres essent voluntates iuxta Arium,

1. Vide Migne Patr. Graec., t. X, p. 891-902. Harduin, t. I, p. 711-719.

ideoque tres naturae, cum, iuxta regulam Patrum, voluntatum differentia secumferat differentiam naturarum.

Quod ad contrarietatem voluntatum spectat, monet Maximus illam in Christo non adfuisse, cum peccatum, quod huius contrarietatis causa est, non commiserit. Proponentem autem Pyrrhum ut. dissentientes animos uniendi causa, Christi voluntas diceretur composita ex duabus naturalibus voluntatibus, perstringit S. Maximus hac animadversione, quod compositum nequit partium suarum nomine vocari; nisi quis velit ponere in Christo novam quamdam naturam, ex duabus naturis compositam, aut naturam divinam absorbentem humanam, iuxta antiquos haereticos.

Demum, arguit Maximus, si una tantum est in Christo voluntas, aut est ut divina, aut ut angelica, aut ut humana, et consequenter Christus ipse aut est ut Deus tantum, aut ut angelus tantum, aut ut homo tantum, quae omnia evidenter repugnant. Replicanti autem Pyrrho quod voluntas non est natura, sed potius natura est capax voluntatis, — ergo, reponit Maximus, si ita est, voluntas erit quidam habitus acquisibilis; ideoque Christus illam acquisierit discendo et in ipsa proficiendo, quod profecto nestorianum est.

Quod vero ad operationem Christi attinet, S. Maximus ostendit non debere dici Iesum Christum, consideratum ut quoddam totum, unam tantum operationem habuisse, similitudine desumpta ex cultro candente, qui simul urit et secat: quae sunt duae operationes in eodem subiecto distinctae, licet inseparabiles. Tum S. Cyrilli locum[1] de una tantum operatione, tanquam de solis operationibus divinis dictum interpretatur, ut sunt miracula, in quibus tamen humana natura concurrebat, cum ipse Christus loquebatur, aut aegrotos tangebat, aut aliquem motum corporis perficiebat. Quod autem habet Pseudo-Dionysius de operatione *nova* et *theandrica*, S. Maximus ita explicat, ut *nova* dicatur, quia supernaturali modo completa; *theandrica* vero, quia ad ipsam utraque concurrebat natura. Secus, addit, si operatio theandrica unicam operationem significat, Christus, ut Deus, aliam opera-

1. T. IV, in Io.

tionem haberet ab operatione Patris, quae profecto theandrica non est, et consequenter esset alterius naturae.

7. Igitur veritatis evidentia coactus, Pyrrhus Romam se contulit sanctos apostolos, ut aiebat, veneraturus, et Sanctissimi Papae vultum conspecturus, eique retractationis suae libellum porrecturus. At paulo post, Ravennae palinodiam recantavit; unde a Theodoro Summo Pontifice in Ecclesia S. Petri coram episcopis et clero, depositionis et anathematis sententia fuit mulctatus, ipsomet Iesu Christi Sanguine de calice sumpto subscripta. Sanctus autem Maximus, ab adversariis de proditione accusatus, postquam Constantinopoli dire fuisset tentatus, verberibus coram affectus, lingua abscissa et dextra amputata, in exilium crudeliter relegatus est, ubi vitam finivit die 13 Augusti 662.

Paulus vero qui Pyrrho in sede CP simul et in haeresi monothelitica successerat, auctor fuit ut imperator Constans II, loco Ecthesis quam catholici exhorrebant, novum edictum promulgaret (a. 648), cum hoc titulo: τύπος τῆς πίστεως, *forma fidei*, quo silentium omnibus imponebatur. In eo vetabatur ulterior circa unitatem vel dualitatem voluntatum aut operationum disceptatio; decernebaturque standum esse Scripturis, quinque oecumenicis conciliis, necnon Patrum scriptis. Sed S. P. Martinus I, habito anno sequenti concilio in sacrario Basilicae Lateranensis, *Typum* ipsum condemnavit, una cum *Ecthesi* et omni errore monothelitarum, necnon praecipuis haereseos ducibus, Theodoro Pharanitano, Sergio, Pyrrho et Paulo. Quae causa fuit Constanti Martinum per fraudem captum et CP perductum, in Chersonesum relegandi; ubi graviter affectus, sanctus Pontifex, anno Domini 655, cessit e vita.

8. — Tandem (A. D. 680), Concilium generale in sacello Palatii imperialis Constantinopoli convocatum fuit ab imperatore Constantino Pogonato, consentiente Agatone Romano Pontifice. A trulla, quod est vas ad modum conchae excavatum, *trullanum* dictum est, propter formam sacelli camerae. Macario Patriarca antiocheno Monothelitarum partes sustinente, lecta sunt acta Conciliorum Ephesini et Chalcedonensis, necnon epistola dogmatica quae dici potest appendix quaedam epistolae S. Leonis ad Flavianum: Patribus fatentibus S. Petrum per Agathonis os locu-

tum fuisse. Tandem, actione XVIII haec fidei definitio promulgata est :

Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος... συμφώνως ὁρίζουσα (ὁμολογεῖ) τὸν Κ. Ἡ. Ἰ. Χ. τὸν ἀληθινὸν θεὸν ἡμῶν, τὸν ἕνα τῆς ἁγίας ὁμοουσίου καὶ ζωαρχικῆς Τριάδος, τέλειον ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, κ. τ. λ. καὶ δύο φυσικὰς θελήσεις ἤτοι θελήματα ἐν αὐτῷ, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως, ἀμερίστως, ἀσυγχύτως, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων διδασκαλίαν ὡσαύτως κηρύττομεν· καὶ δύο μὲν φυσικὰ θελήματα οὐχ ὑπεναντία, μὴ γένοιτο, καθὼς οἱ ἀσεβεῖς ἔφησαν αἱρετικοί, ἀλλ' ἑπόμενον τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ θέλημα καὶ μὴ ἀντιπίπτον ἢ ἀντιπαλαῖον, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ ὑποτασσόμενον τῷ θειῷ αὐτοῦ καὶ παντοδυνάτῳ θελήματι· ἔδει γὰρ τὸ τῆς σαρκὸς θέλημα κινηθῆναι, ὑποταγῆναι δὲ τῷ θελήματι τῷ θεϊκῷ κατὰ τὸν πάνσοφον Ἀθανάσιον·... καὶ τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ θέλημα θεοθὲν οὐκ ἀνηρέθη, σέσωσται δὲ μᾶλλον, κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον λέγοντα· τὸ γὰρ ἐκείνου θέλειν, τοῦ κατὰ τὸν σωτῆρα νοουμένου, οὐδὲ ὑπεναντίον θεῷ θεωθὲν ὅλον· δύο δὲ φυσικὰς ἐνεργείας ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως, ἀμερίστως, ἀσυγ-

Sancta et oecumenica Synodus... consonanter definiens (confitetur) *D. N. I. C. verum Deum nostrum, unum de sancta et consubstantiali et vitae originem praebente Trinitate, perfectum in Deitate, et perfectum eumdem in humanitate,* (et caetera, ut in definitione Concilii Chalcedonensis)[1], *et duas naturales voluntates in ipso, duasque naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, iuxta magisterium sanctorum Patrum similiter praedicamus; et duas naturales voluntates non contrarias, quod absit, sicut impii dixerunt haeretici, sed sequentem humanam eius voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, quin potius subiectam divinae eius et omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri voluntate divina eique subiici, iuxta sapientissimum Athanasium... et humana eius voluntas deificata non est peremta; salvata est autem magis secundum deiloquum Gregorium : nam illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo deificatum totum, duas vero naturales opera-*

1. Vide t. I, p. 173.

χύτως, ἐν αὐτῷ τῷ Κ. Ἡ. Ἰ. Χ. τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν δοξάζομεν, τουτέστι θείαν ἐνέργειαν, καὶ ἀνθρωπίνην ἐνέργειαν, κατὰ τὸν θεηγόρον Λέοντα τρανέστατα φάσκοντα· ἐνεργεῖ γὰρ ἑκατέρα μορφὴ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ὅπερ ἴδιον ἔσχηκε, τοῦ μὲν λόγου κατεργαζομένου τοῦτο, ὅπερ ἐστὶ τοῦ λόγου, τοῦ δὲ σώματος ἐκτελοῦντος ἅπερ ἐστὶ τοῦ σώματος... πάντοθεν γοῦν τὸ ἀσύγχυτον καὶ ἀδιαίρετον φυλάττοντες, συντόμῳ φωνῇ τὸ πᾶν ἐξαγγέλλομεν... καθ' ὃν δὴ λόγον καὶ δύο φυσικὰ θελήματά τε καὶ ἐνεργείας δοξάζομεν πρὸς σωτηρίαν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους καταλλήλων συντρέχοντα.

tiones indistincte, inconvertibiliter, indivise, inconfuse in ipso D. N. I. C. vero Deo nostro glorificamus, hoc est divinam operationem et humanam operationem, iuxta divinum praedicatorem Leonem apertissime dicentem : Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo operante quod verbi est, et carne exequente quod carnis est... undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus... iuxta quam rationem et duas naturales voluntates et operationes confitemur, ad salutem humani generis convenienter concurrentes.

Paulo post, Concilium Trullanum II fuit celebratum quo praefati Concilii decreta confirmata sunt. In eo canones ad ecclesiasticam disciplinam spectantes additi sunt canonibus quintae et sextae synodi : unde Concilium istud dictum est *quinisextum* (σύνοδος πενθέκτη).

ARTICULUS III. — *Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria.*

1. — Ratio articuli. — Ex consideratione duarum voluntatum et operationum in Christo, sponte resultat consideratio de merito Christi : siquidem, homo, in quantum propria voluntate facit illud quod debet, meretur[1]; debitum autem est ut merenti merces rependatur ; et quamvis Deus nulli sit debitor, tamen ipse praeordinavit ut operanti sua retribueretur merces : unde

1. 1 2ae, Quaest. CXIV, art. 1, ad 1m.

meritum nostrum facit eum non nobis, sed potius, si ita loqui fas sit, sibi ipsi debitorem.

2. — Praenotanda. — Porro, meritum hic respicit obiectum non increatum aut infinitum, qualis est gloria divina aut dominium omnium rerum : hoc enim Christo debetur secundum quod est Deus et Dei filius per naturam ; sed respicit obiectum quoddam creatum, quod Christo debeatur secundum quod homo est, ut est gloria corporis[1], ut mox fusius declarabitur. Ulterius satis compertum est Christum, non per actum divinitatis meruisse : cum ratio meriti importet quemdam respectum merentis ad dona impetranda et ad mercedem consequendam, ideoque quamdam subiectionem merentis ad praemiantem.

De merito autem agimus quod est secundum totum rigorem iustitiae, ut supra dictum est [2], cui meritum nostrum innititur, quod proinde vocatur *de condigno*, quasi quodammodo accedens ad rationem stricti illius meriti : huiusmodi tamen meritum nostrum est verum et proprie dictum meritum, importat enim ius quoddam ad mercedem : meritum autem *de congruo*, quod oritur solum ex quadam condecentia, hic non respicitur. — Ubi notandum est, ad meritum proprie dictum requiri α) ex parte *remunerantis*, ut interveniat ordinatio quaedam operis ad mercedem, β) ex parte *merentis*, ut sit Deo gratus et viator ; γ) demum ex parte *actus* requiritur ut sit supernaturalis et libere positus, ut cedat in bonum remunerantis, et ut sit acceptus, sin minus interpretative, ab eo in cuius gratiam fit [3].

3. — Errores. — Imprimis, occurrit Calvinus, qui ita depressit Christi meritum, ut praetextu extollendi eius amorem erga nos, illum contenderit nihil sibi meruisse. At, longe deterius est eorum placitum, qui volunt Christum pro nobis ita per meritum suum satisfecisse, ut illius satisfactio omnem nostram satisfactionem evacuaverit. Denique, non est tacendus Ioannis Monsonii error, qui asseruit posse inveniri aliquam puram creaturam, ad merendum efficaciorem quam ipsammet Iesu Christi animam, quam propositionem Universitas Parisiensis, anno 1387, damnavit [4].

1. Ad 2^m. — 2. Quaest. I, art. 2, n. 7. — 3. Cf. Tract. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 1, n. 6. — 4. Cf. FLEURY, H. E., l. XCVIII n. 38.

4. — PROP. — **Actio humana Christi fuit sibi meritoria, non tamen omnium eorum quae habuit.**

Haec propositio *de fide* est, et sic in Sacris Scripturis exhibetur [1]: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* — *Suam* dicit, quia propriis comparatam meritis. Rursus Christus postulabat Patrem, ut claritas divinitatis, quam ab aeterno cum Patre communem habebat, derivaretur usque ad corpus: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te* [2]. Item exhibetur exaltationem suam obediendo meruisse: *Factus* (est) *obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum* [3], etc. Rursus expresse Iesus dicitur gloria et honore coronatus, propter ea quae in passione sustinuit [4]: *Videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* Et [5]: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem*, etc. Unde Augustinus concludit [6]: *Humilitas passionis claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium.*

5. — **Prob. rat. theol.** — Ratio utriusque haec est. Omnis perfectio et nobilitas est Christo tribuenda. Atqui nobilius est quod Christus habuerit aliqua, non tamen omnia, per proprium meritum, quam sine merito. Ergo Christus plura eorum quae habuit, habuit per meritum proprium, non tamen omnia.

Maior relinquitur ut abunde ex anteactis comprobata. *Minor* expenditur. Habere aliquid per meritum, est illud habere per seipsum. Atqui nobilius est aliquid habere per seipsum, quam illud habere per aliud: causa enim quae est per se, potior est ea quae est per aliud: ὅταν δὴ τινι κινῇ ἀεί ἕτερον, ἀνάγκη εἶναι πρότερον τὸ αὐτὸ αὑτῷ κινοῦν [7]. Ergo nobilius est quod Christus aliqua habuerit cum merito, quam sine merito.

Ad cuius evidentiam, sciendum est quod illud dicimur habere per nos ipsos, cuius nobis sumus aliquo modo causa. Porro cuiuscumque rei alia est causa prima, alia causa secunda. Prima omnium rerum causa Deus est et ita Deus solus est prima causa omnium bonorum nostrorum per auctoritatem, quo modo nulla

1. Luc. XXIV, 26. — 2. Io. XVII, 5. — 3. Phil. II, 8, 9. — 4. Hebr. II, 9. — 5. Ap. V, 12. — 6. Tract. 104, Sup. Ioan. — 7. Phys. l. VIII, t. 39.

creatura habet aliquid boni per seipsam; unde dicitur[1]: *Quid habes quod non accepisti?* Potest tamen quis secundario esse sibi causa alicuius boni habendi, in quantum in hoc ipse Deo cooperatur : cooperatur autem quis Deo, comparando meritum; ideoque qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum, quod proinde nobilius est quam si illud habeat sine merito. Quocirca, perfectio Christi exigebat ut plura sibi ipse mereretur.

6. — Non tamen omnia Christus sic habuit. — Quod enim per meritum acquirimus, oportet ut aliquando illo careamus. Si quid igitur sit in Christo, cuius carentia magis praeiudicet dignitati et perfectioni eius, quam eius acquisitio per meritum hanc dignitatem et perfectionem augeat, tunc dicendus est Christus illud sine merito habuisse, et omnino gratis recepisse. Huiusmodi autem sunt divinitas, gratia, scientia et beatitudo animae : ideoque ista statim ab initio suae conceptionis sine merito habuit. Caetera vero per meritum sortitus est, quorum possessio aliquid minus est quam dignitas merendi: cuiusmodi est gloria corporis, et ea quae pertinent ad Christi exteriorem excellentiam, sicut ascensio, veneratio, et alia huiusmodi: haec enim omnia minora sunt quam virtus charitatis, ex qua meritum suam efficaciam desumit.

7. — Tacita obiectio. — Sed dubium ex hoc praecise oritur quod, cum Christus fuerit ante mortem comprehensor, charitas eius, quae est meriti principium, fuit charitas comprehensoris. Charitas autem comprehensoris pertinet ad praemium beatitudinis, cum secundum eam attendatur fruitio; ideoque non videtur esse principium merendi, cum non sit idem meritum et praemium ; quapropter videretur Christum non meruisse ante suam passionem, sicut etiam modo non meretur.

Solvitur haec dubitatio advertendo quod Christus, ante suam passionem, fuit non modo comprehensor, sed etiam viator: nunc autem non est viator, sed solum comprehensor. Igitur per charitatem meruit, non in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat charitas viatoris : fruitio autem, quae est

1. 1, Cor. IV, 7.

actus charitatis, pertinet ad gloriam animae, quam Christus non meruit : meruit igitur Christus per actum charitatis, non quae est fruitio, quae ad comprehensorem formaliter pertinet, sed per actum charitatis, qualis ad viatorem spectat [1]. Quocirca rationabiliter dici potest Christum meruisse, non per actum amoris, quem ex visione beatifica eliciebat, qui quidem actus in ipso liber non erat, sed per actum amoris quem eliciebat ex scientia indita vel etiam acquisita, qui actus ab ipso libere procedebat [2]. Vel dicatur quod actus charitatis in Christo, secundum quod pertinet ad beatitudinem animae, habet rationem praemii, et liber aut meritorius non est; secundum vero quod pertinet ad beatitudinem corporis, habet rationem meriti, et liber et meritorius est. Priori autem actu Christus ferebatur in Deum in se absolute consideratum, secundo autem actu ferebatur in Deum, ut Deus est ratio formalis diligendi res alias ab ipso Deo: quo actu beati in coelo non merentur, quia non sunt in statu acquirendi [3].

Sic autem Christus statim a primo momento suae conceptionis potuit mereri, quia id Christo est attribuendum, quod perfectius est: est enim Christus causa perfectionis aliorum. Atqui comparatis inter se sanctificatione pucrorum qui non sanctificantur secundum proprium actum sed secundum fidem parentum vel Ecclesiae, et sanctificatione adultorum qui secundum proprium actum sanctificantur, invenitur illa sanctificatio perfectior. Porro perfectio quae fit per proprium actum importat proprium motum liberi arbitrii in Deum, qui motus est meritorius : ergo Christus per liberum arbitrium, in primo instanti mereri potuit [4].

8. — **Scholion.** — Praestat heic ex S. Bonaventura [5] replicare quotuplici modo contingere possit quod quis quidpiam mereatur.

Primo modo, quando aliqua res ex indebita fit debita, ut cum quis ex primo motu charitatis meretur vitam aeternam. Secundo, cum aliqua res ex debita fit magis debita, sicut cum

1. Ad 1^m.— 2. Cf. quae diximus supra, Quaest. XVIII, sub fine art. 4. — 3. Cf. 3. Dist. XVIII, art. 2, ad 2^m; et de Veritate, Quaest. XXIX, a. 6, ad 6^m. — 4. 3, Quaest. XXXIV, art. 3. Cf. supra, Quaest. XI, art. 3, n. 4 ; Quaest. XVIII, art. 4, § III. Cf. etiam quod de hoc argumento scripsimus in Append. ad Tract. de Bma Virgine, § II.— 5. 3, Dist. XVIII, q. I, a. 2.

charitas alicui augetur[1]. Tertio, cum aliqua res, iam ex uno titulo debita, fit debita ex alio titulo, sicut vita aeterna puero baptizato debita, ipsi denuo debetur, cum adultus actum charitatis elicit. — *Omnibus his modis*, concludit Seraphicus Doctor, *Christus meruit nobis; sibi autem non meruit, nisi tertio modo tantum post conceptionem.* — *Nihil prohibet*, ait Angelicus [2], *idem esse alicuius ex diversis causis; et secundum hoc Christus gloriam immortalitatis, quam meruit in primo instanti suae conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus et passionibus mereri, non quidem ut esset sibi magis debita, sed ut sibi ex pluribus causis deberetur.*

9. — **Corollarium.** — Ex quibus potest inferri quod Christus non modo non meruerit unionem hypostaticam, sed nec gratiam, aut scientiam, aut gloriam animae, immo nec augmentum gratiae, cum *ad statum merendi*, ut ait S. Thomas [3], *requiritur quod sibi desit id quod mereri dicitur.* Accedit etiam, quantum ad gratiam et scientiam, quod huiusmodi sunt merendi principium : principium autem meriti nequit cadere sub meritum. Quidquid autem de alio ordine, de quo tamen nobis modo non constat, dicatur, absolute repugnat Christum potuisse sibi merito comparare primam gratiam, quae sub merito eius qui illam obtinet cadere non potest [4].

10. — ***Quaestiones.** — **I.** *Utrum Christus eodem modo meruerit gloriam proprii corporis et manifestationem suae excellentiae sive altitudinis?*

Resp. *Negative;* sed illam principalius pro se, hanc vero principalius pro aliis meruit.

Imprimis, quod ad gloriam corporis attinet, dubitari posset utrum illam meruerit, eo quod gloria corporis sequitur naturaliter gloriam animae, quam Christus gratis habuit; et nonnisi ex dispensatione factum est quod non derivaretur ad corpus, ideoque haec gloria corporis non videtur in Christo cadere sub meritum, sed potius sequitur gloriam animae, sicut accessorium sequitur principale. At, quod Christus habuerit gratis gloriam animae, non impedit

1. Hoc intellige iuxta ea quae ex S. Thoma explicuimus in Tract. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 8. — 2. 3, Quaest. XXXIV, a. 3, ad 3^m. — 3. De Ver. Quaest. XXIX. a. 6. — 4. Cf. DE GRATIA, loco cit. art. 5.

quominus mereri potuerit gloriam corporis. Revera, quod gloria animae redundet in corpus, est ex divina ordinatione, et praecise secundum congruentiam humanorum meritorum ; ut, sicut homo bonum facit per actum animae quem exercet in corpore, ita remuneretur per gloriam animae redundantem in corpus ; idcoque in caeteris hominibus tum gloria animae, tum gloria corporis cadit sub meritum, secundum illud[1] : *Vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Quod autem Christus non debuerit mereri gloriam animae, non evacuat meritum eius relate ad corpus [2].

Quantum vero ad manifestationem excellentiae Christi, haec profecto pertinet ad bonum eius secundum esse quod habet in notitia aliorum ; principalius tamen pertinet ad bonum eorum qui eum cognoscunt, secundum esse quod habent in seipsis ; unde pro praemio repromittitur dilectoribus Christi : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* [3]. Sed et hoc ipsum, quod alii videant excellentiam Christi, ad ipsum Christum refertur, in quantum sunt membra eius [4].

II. *Quomodo Christus meruerit exaltationem animae et corporis ?*

Resp. Christus exaltationem animae meruit per priora merita informata charitate et virtutibus ; exaltationem vero corporis meruit per passionem. Nam sicut ei qui iniusta voluntate sibi attribuit id quod sibi non debetur, iustum est ut diminuatur quantum ad id quod sibi debetur, iuxta illud[5] : *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem,... quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove,* ita a contrario iustum est ut ei qui, humiliando se, aliquid sibi detraxit eorum quae ad ipsum spectabant, abunde restituatur id quod suum erat.

Porro Christus se humiliaverat potissime quantum ad quatuor, pro quibus fuit singulariter praemiandus : α) quantum ad *passionem* et *mortem*, pro qua data est ei gloriosa resurrectio : *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam* [6] ; β) quantum ad *locum sepulturae* et *descensus*, scilicet quantum ad sepulchrum et inferos,

1. Rom. VIII, 11.— 2. 2. Ad 3[m].— 3. Io. XIV, 21.— 4. Ad 4[m].— 5. Exod. XXII, 1. — 6. Ps. CXXXVIII, 2.

pro quo triúmphanter in coelum conscendit : *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae* [1] ; γ) quantum ad *ignominiam* et *confusionem,* pro qua obtinuit consessum ad dexteram Patris : *Factus* (est) *obediens... propter quod et Deus exaltavit illum* [2] ; δ) quantum ad *iudicium iniustum,* pro quo iudiciaria ipsi potestas collata est : *Causa tua quasi impii iudicata est : causam iudiciumque recipies* [3].

ARTICULUS IV. — *Utrum Christus aliis mereri potuerit.*

1. — Praemonendum. — Non de merito *de congruo* hic agitur, cuius etiam viri sancti capaces sunt [4], sed proprie de merito *stricte accepto* quod, iuxta antea explicata [5], uni Christo singulariter convenit.

2. — PROP. — **Christus aliis mereri potuit.**

De fide hoc est, ita in Concilio Tridentino expressum [6] : *Dominus Noster Iesus Christus,... propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno Crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit.* Hoc autem in Sacris Scripturis aperte traditur, ut cum passioni, tanquam causae meritoriae, salus nostra tribuitur [7] : *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Rursus Paulus comparat Christi meritum demerito Adae, dum efficaciam illius supra lethalem huius virtutem extollit [8] : *Sicut per unius delictum, in omnes homines, in condemnationem, sic et per unius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitae.* Quae comparatio est rectissima. Nam, cum Adam constitutus esset a Deo principium totius naturae, peccatum suum ad alios per carnis propaginem traduxit : ita Christus, cum a Deo constitutus esset caput omnium hominum, habuit ex gratia sibi, tanquam capiti, collata, quod illam derivaret ad omnia membra sua. Non autem ita est in aliis hominibus, in quibus sicut pecca-

1. Eph. IV, 9. — 2. Phil. II, 8, 9. — 3. Iob. XXXVI, 17. Haec omnia fusius declarabuntur in APPENDICE ad hunc Tract. — 4. Vide Tract. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 6. — 5. Quaest. I, art. 2, nn. 7 et 8. — 6. Sess. VI, cap. 7. — 7. Hebr. V, 9. — 8. Rom. V, 18.

tum est singulare, et non nocet nisi ipsi personae peccanti, iuxta illud[1]: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur*, ita et meritum personale est, ideoque illamet anima quae meretur ipsa remunerabitur[2].

Infinita autem esse Christi merita docet Clemens VI, dum dicit de Ecclesiae thesauri *consumptione aut diminutione non* (esset) *aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi*[3].

3. — Ratio theol. — In Christo fuit gratia, non modo sicut in quodam homine singulari, sed etiam sicut in capite totius Ecclesiae, cui omnes homines uniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice unum corpus. Atqui in uno homine, actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra eius : non enim sibi solum sentit, sed omnibus membris. Ergo meritum Christi se extendit ad alios, in quantum sunt membra eius.

Huius igitur ratio est quia gratia collata est Christo sicut cuidam universali principio in genere habentium gratiam ; alii vero homines, licet gratiam accipiant de plenitudine Christi, tamen non fontem ipsum gratiae, sed quamdam particularem gratiam accipiunt: ideoque Christus potest aliis mereri, non autem puri homines ; unde etiam de Christo dicitur[4]: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, de aliis autem[5] : *Si fuerint tres viri isti in medio eius* (domus Israel), *Noe, Daniel et Iob,... vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas*[6].

4. — Scholia. — I. Notandum tamen est meritum Christi ad homines non derivari, nisi Christo incorporentur, quasi spiritu eius induti, sicut olim Iacob nonnisi vestibus Esau indutus paternam benedictionem meruit accipere. Quae quidem incorporatio fit per spiritualem regenerationem in baptismo, secundum illud[7]: *Quicumque... in Christo baptizati estis, Christum induistis*, quemadmodum, a contrario, peccatum Adae ad alios non derivatur, nisi ipsi continuentur per carnalem generationem[8].

II. Omnia quae ad salutem pertinent Christus nobis promeruit, scilicet primam gratiam, fidem, poenitentiam, peccatorum remis-

1. Ezech. XVIII, 4. — 2. Ad 1m. — 3. In Extrav. *Unigenitus*. — 4. Io. I, 17. — 5. Ezech. XIV, 14, 20. — 6. Ad 2m. — 7. Gal. III, 27. — 8. Ad 3m.

sionem, virtutes, perseverantiam in bono et vitam aeternam : quemadmodum, ait S. Paulus[1], *Deus... benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo ;* et Christus ipse[2] : *Sine me nihil potestis facere ;* quem locum commentans S. Augustinus ait [3]: *Hoc uno verbo initium finemque comprehendit... Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Unde Ecclesia omnes orationes concludit per Dominum Nostrum Iesum Christum.

5. — **Difficultas** hic movetur, ex hoc ducta quod, si Christus meruit salutem nostram, ergo nostra salus non est ex gratia Dei, sed ex iustitia, quia merces quam quis meretur, debetur ei secundum iustitiam et non secundum gratiam ; et cum meritum Christi ad omnes se extendat, consequenter Deus iniuste ageret cum eis quos non salvat[4].

Cui *respondet* S. Thomas merita Christi non derivari ad homines, nisi regeneratos : *et hoc ipsum est gratiae, quod homini conceditur regenerari in Christo, et sic salus hominis est ex gratia.* — Ex quibus aliqui deducunt S. Thomam sentire quod gratia omnis, etiam quae confertur in baptismo aut dum homo post peccatum iustificatur, sit ex merito Christi, non tamen hoc ipsum, quod quis baptizetur, aut ad iustificationem moveatur. At, Angelici doctrina est ipsam quoque baptismi collationem, aut motum ad iustificationem, quae profecto et ipsa gratia sunt, esse ex merito Christi, aliter tamen ac merita Christi nobis iustificatis applicantur. Habito enim baptismo aut iustificatione, derivantur ad nos ipsa Christi merita ; licet ex ipso Christi merito proveniat nobis id quod praerequiritur ut eius merita ad nos usque applicentur, scilicet baptismi gratia aut motus ad iustificationem ; ideoque hoc non tollit quin salus nostra sit ex gratia, quia hoc ipsum quod ex merito Christi derivatur ad nos baptismi gratia, est ex gratuita Dei voluntate profectum[5].

Nec inde sequitur omnes debere aequaliter salvari ; quia licet Christus pro omnibus hominibus meruerit quoad *sufficientiam*, tamen pro solis electis *efficaciter* meruit ; ideoque, cum merita eius pro omnibus salvandis sufficientissima fuerint, tamen ea in-

1. Eph. I, 3. — 2. Io. XV, 5.— 3. L. contra duas Epist. Pelag., c. 8, et Tract. 81, in Io.— 4. Ad 3^m. — 5. Cf. Quaest. XXIX de Verit., art. 7. ad 8^m.

tentione merita sua Patri obtulit, ut illis efficaciter prodessent quos Pater ab aeterno elegerat: hinc ait Christus in oratione[1]: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.*

6. — Quaestio. — *Quando Christus meruerit?*

Resp. A primo instanti suae conceptionis, usque ad finem vitae mortalis.

Revera, Christus in primo instanti suae conceptionis, fuit sanctificatus per gratiam, propter unionem humanitatis eius ad Verbum: non quidem motu a contrario, quasi ex peccatore factus sit sanctus, nec privative, quasi aliquando fuerit homo et non fuerit sanctus, sed negative, quia cum sanctus non erat, nec homo erat[2]. Porro haec sanctificatio perfectissima fuit, ut diximus[3], ad instar scilicet sanctificationis adultorum qui, non sicut pueri per actum Ecclesiae, sed per proprium actum liberi arbitrii sanctificantur. Motus autem liberi arbitrii meritorius est: ergo Christus in primo instanti suae conceptionis mereri coepit[4]. Unde de Christo dicitur[5]: *Ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... tunc dixi: ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Tempus autem merendi pro Christo fuit vita mortalis eiusdem; propterea quod morte adveniente, desiit esse viator; quocirca, post mortem non amplius meretur: unde dicit[6]: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies* (id est tempus vitae mortalis) *est; venit nox* (scilicet tempus mortis), *quando nemo potest operari*. Unde, si ex aperto latere Christi in Cruce mortui, Patres aliquando agnoscunt sacramenta profluxisse, hoc intelligendum est non meritorie, sed figurative; item, quod Apostolus ait Christum *resurrexisse propter iustificationem nostram*[7], secundum causam exemplarem et efficientem, non meritoriam, intelligendum est; denique quod dicitur Christus in coelis *semper vivens ad interpellandum pro nobis*[8], accipiendum est hoc sensu quod Christus pro nobis Patri semper offerat merita non nova, sed vetera[9].

1. Io. XVII, 9. — 2. 3. Quaest. XXXIV., a. 1. — 3. Art. praec. n. 7. — 4. Ibid., a. 3. — 5. Hebr. X, 5, 7. — 6. Io. IX, 4. — 7. Rom. IV, 25. — 8. Hebr. VII, 25. — 9. Cetera quae ad meritum passionis Christi relate ad nostram salutem procurandam pertinent, exponentur in Appendice huius Tract. cap. III, § 1, n. 6.

QUAESTIO XX

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBIECTUS

1. — Ordo quaestionis. — Expositis iis quae consequuntur mysterium Incarnationis absolute, restat ut considerentur ea quae hoc mysterium consequuntur relative, instituta scilicet comparatione, primo, Christi ad Patrem (XX-XXIV), secundo Christi ad nos (XXV-XXVI). Eorum autem quae ad priorem considerationem spectant, primum locum tenet, iuxta superius praestituta[1], quaestio de subiectione Christi ad Patrem, quae duobus clauditur articulis, secundum quod, primo, quaeritur an sit (1), secundo, quomodo sit talis subiectio praedicanda (2).

Quapropter, hic quaeruntur duo :

Primo. Utrum Christus sit subiectus Patri.

Secundo. Utrum sit subiectus sibi ipsi.

ARTICULUS I. — *Utrum dicendum sit Christum esse subiectum Patri.*

1. — Praenotandum. — Ad quaestionem de subiectione Christi refertur etiam quaestio de Christi servitute : servitus enim species quaedam subiectionis est; quod praemonetur, quia nonnulli cum Vasquez aliisque, concedentes quidem Christum Patri esse subiectum, verentur ne etiam servus eius dicatur, ad quod quorumdam Patrum sententiis male intellectis adducti sunt.

2. — PROP. — Christus est Patri subiectus α) subiectione minorationis, β) servitutis, γ) et obedientiae.

Prob. rat. theol. — Christus habuit vere naturam humanam. Ergo habuit ea quae sunt propria humanae naturae. Atqui

1. Quaest. XVI, Prol. n. 1.

humanae naturae proprium est, ut in ipsa existens, Deo, tanquam maiori, utpote minor, subdatur. Ergo Christus secundum humanam naturam est subiectus Patri. Quapropter, cum Dominus ipse testatus sit[1] : *Pater maior me est*, profecto inferendum est : Ergo Christus est minor Patre, sicut in Symbolo Athanasiano legimus : *Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. — Non immerito*, ait Augustinus[2], *Scriptura utrumque dicit, et aequalem Patri Filium, et Patrem Filio maiorem ; illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi sine ulla confusione intelligitur.*

3. — Exponitur. — Quaenam autem sit ista subiectio ulterius debet exponi. Siquidem compertum est humanam naturam, ex sui conditione, triplicem habere ad Deum subiectionem : *primo*, secundum gradum *bonitatis*, in quantum divina natura est ipsa essentia bonitatis, natura autem creata participationem divinae bonitatis habet, quasi radiis illius bonitatis subiecta; *secundo*, humana natura Deo subiicitur quantum ad Dei *potestatem*, in quantum humana natura, sicut et quaelibet creatura, divinae dispositionis operationi subiacet, et secundum hoc dicitur quod omnis creatura Deo servit[3] : *Creatura tibi factori deserviens; tertio*, quantum ad *proprium actum*, in quantum divinis mandatis humana natura libere subiicitur per *obedientiam*. Hanc igitur triplicem subiectionem Christus ad Patrem habet, quam quidem de seipso testatur.

4. — Subiectio minorationis. — Revera, Christus se esse subiectum Patri quantum ad bonitatem ostendit, cum dicit[4] : *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus;* dans intelligere quod, secundum humanam naturam, ipse non pertingebat ad gradum bonitatis divinae. Unde Hieronymus, locum istum interpretatus, ait quod *qui magistrum vocaverat bonum, et non Deum vel Dei Filium confessus erat, dixit hominem quamvis sanctum comparatione Dei non esse bonum.* Porro, haec potest dici subiectio *minoritatis ;* quandoquidem, cum *in his quae non mole magna sunt sed virtute, idem est maius esse quod melius esse*, ut ait Augustinus[5], e con-

1. Io. XIV, 28. — 2. L. I de Trin., c. 7. — 3. Sap. XVI, 24. — 4. Matth. XIX, 17. — 5. L. VI de Trin., c. 8.

trario, quod minus bonum est, simpliciter minus est : unde Pater ex hac ratione dicitur maior Christo secundum humanam naturam.

5. — Subiectio servitutis. — Rursus Christus fuit subiectus Patri quantum ad eius potestatem, in quantum omnia quae circa humanitatem eius acta sunt, divina dispositione creduntur gesta ; unde in libro *de Coelesti Hierarchia*[1] dicitur quod Christus subiicitur Dei Patris ordinationibus. Et haec est subiectio *servitutis*, unde etiam Filius Dei dicitur formam servi accepisse[2] ; sed et de ipso in Isaia legimus[3] : *Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea ;* quae verba S. Matthaeus applicat Christo postquam manum aridam sabbato curaverat, et varios a se curatos silere praeceperat[4]. Rursus in eodem Isaia legimus : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde*[5].

6. — Subiectio obedientiae. — Denique subiectionem *obedientiae* sibi ipse Christus attribuit, cum dixit[6] : *Quae placita sunt ei facio semper.* Quam subiectionem Paulus testatur Christum usque ad mortem perduxisse : *Factus est obediens* (Patri) *usque ad mortem*[7].

7. — *Difficultas hic oritur ex verbis S. Pauli dicentis[8] : *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Sed subditur[9] : *Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei ;* ex quo videretur sequi Christum necdum subiectum esse Patri.

Respondetur in priori loco sermonem esse de subiectione quantum ad potestatem, quae subiectio iam habetur, dicente Christo[10] : *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ;* in posteriori autem loco sermo est de subiectione per plenam participationem divinae bonitatis, aut per finalem impletionem suae voluntatis. Quocirca Filius, ut homo, subiectus est Patri, dum omnia sibi, etiam ut homo est, subiecta habet, quod profecto factum est in eius Incarnatione ; licet non sit Patri totaliter subiectus in suis membris,

1. Cap. 4. — 2. Phil. II., 7. — 3. C. XLII, 1. — 4. C. XII, 18. — 5. C. LII, 13. — 6. Io. VIII, 29. — 7. Phil. II, 8. — 8. 1, Cor. XV, 28. — 9. Hebr. II, 8. — 10. Matth. XXVIII, 18.

sive quoad finalem impletionem suae voluntatis de eis, sive etiam per plenam participationem divinae bonitatis in visione Essentiae divinae communis Patri et Filio. — *Tunc Christus*, ait S. Augustinus[1], *tradet regnum Deo et Patri, cum iustos, in quibus nunc regnat per fidem, perducturus est ad speciem.*

8. — Scholion. — Advertisse hic iuverit Christum, ut hominem, legi humanae nullatenus fuisse subiectum, sive esset lex mosaica, ut ostendit cum dixit quod Filius hominis est Dominus etiam sabbati[2], sive etiam esset lex cuiusdam principis terreni, ut declaravit, cum se a tributo solvendo liberum esse proclamavit[3], sive lex parentum quibus, potestate excellentiae, longe anteibat, cum etiam ut homo esset eorum caput. Itaque soli legi aeternae obnoxius tenebatur, quae quidem aliud non est, nisi ratio divinae Sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum.

9. — *Quaestio. — *Utrum Christus possit dici servus Patris?*

Resp. Affirmative, ut constat ex loco superius adducto, et aliis pluribus locis, verbi gratia[4] : *Adducam servum meum Orientem;* et[5]: *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob.* Attamen hoc debet intelligi secundum humanam naturam ; nam secundum divinam naturam satis compertum est hoc dici non posse, cum *in Trinitate nihil est serviens neque subiectum*, ut habetur in libro de *Ecclesiasticis Dogmatibus*[6]. Attamen cum ariani abuterentur hac locutione, exinde inferentes quod ergo Filius est simpliciter minor Patre, ideo necesse est ut apponatur determinatio : *secundum humanam naturam*, ut dictum est de hac propositione : *Christus est creatura*, ad evitandum erroneum huius loci intellectum[7]. Hinc, S. Chrysostomus[8] : *Quid humilius servo? Et tamen hoc Dominus esse dignatus est, ut ex servis liberos faceret, ut servitus ipsius nobis ingenuitatem donaret.* Et S. Ambrosius[9] : *Non praeiudicet quod subiectus dicitur, cui non praeiudicat quod servus legitur.* S. quoque Augustinus[10] : *In qua eum infirmitate non solum*

1. L. I de Trin., c. 8. — 2. Matth. XII, 8. — 3. Ibid., XVII, 25. — 4. Zach. III, 8. — 5. Is. XLIX, 6. — 6. Inter Opp. S. Aug., c. 4.— 7. Ad 1^m. — 8. T. I, Hom. de Verbis David. — 9. L. V de Fide, c. 7. — 10. Ep. CLXXVIII.

subditum, sed et servum evidentissime confitemur. Denique S. Gregorius [1]: *Qui bene etiam servus dictus est, qui formam servi suscipere dignatus est.*

Attamen minus recte diceretur quod humana natura in Christo sit serva. Ratio est quia relatio servitutis et dominii fundatur super actione et passione, in quantum servi est moveri a domino secundum imperium; agere autem non attribuitur naturae sicut agenti, sed personae, actus enim sunt suppositorum et singularium: unde ait Damascenus[2]: *Sciendum est quod neque servam ipsam* (scilicet humanam naturam Christi) *dicere possumus: servitutis enim et dominationis nomina non naturae sunt nomina cognitionisque signa, sed eorum quae ad aliquid, quemadmodum paternitatis et filiationis nomina.* Attamen hoc non prohibet quominus dicatur Christus Patris servus secundum humanam naturam, quia actio potest attribui naturae sicut ei secundum quam persona vel hypostasis agit: unde, licet non dicatur proprie quod natura sit domina vel serva, tamen potest proprie dici quod quaelibet hypostasis vel persona sit domina vel serva secundum illam naturam quam assumpserit[3].

10. — **Tacita obiectio.** — Ad id autem quod in contrarium videtur tradi in Concilio Francofordiensi[4]: *Si Deus verus est qui de Virgine natus est, quomodo potest tunc dici servus vel adoptivus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum.* — *responderi* potest Patres ibi noluisse Christum vocare servum, eo sensu, quo Felix et Elipandus haeretici illum dicebant adoptivum et servum; ita scilicet quod nomen servi referatur ad hypostasim, sicut nomen filius adoptivus, ut mox ostendetur[5]. Unde Patres in eodem Concilio dicunt: *Quid est aliud dicere eamdem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse?* Non est tamen, ut illi supponebant, eadem ratio filii adoptivi et servi: nam nullatenus potest dici: *Christus, secundum quod homo, est Filius adoptivus*, catholice autem asseritur: *Christus, secundum quod homo, est servus*, ut infra patebit[6].

Ad cuius rei ulteriorem evidentiam distinguenda est duplex

1. L. II, Mor., c. 21. — 2. L. III, Orthod. fid., c. 21. — 3. Ad 2^m. — 4. Ep. Synod. — 5. Q. XXIII. — 6. Quaest. XXIII.

servitus : alia *legalis* seu *poenalis*, alia *naturalis*. Prior non naturali sed humano iure est introducta, et importat conditionem hominis qui ita est in captivitatem redactus, ut totus sit alterius, nec libertate aut rerum proprietate potiatur. Talis est servitus quam homo peccando contrahit respectu diaboli, cui totum se, tanquam vile mancipium, tradit. Alia autem servitus nil ignobilis habet, sed sequitur naturam creatam, de cuius ratione est ut creatori, tanquam superiori, subiiciatur. Hanc servitutem Christus assumpsit, tanquam naturalem humanae naturae conditionem ; minime vero priorem servitutem, quam ignobilitas summa, et obediendi difficultas, et resistendi facilitas comitantur, quamque Dominus Noster ablatum venit. Beatam autem Christi ad Patrem servitutem participant quotquot *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*[1], et in hac beata servitute liberi sunt, *qua libertate Christus nos liberavit*[2].

ARTICULUS II. — *Utrum Christus sit subiectus sibi ipsi.*

1. Praenotandum. — Dupliciter aliquis potest dici alteri subiectus : *uno modo* simpliciter, id est ratione hypostasis, *alio modo* secundum quid, seu ratione naturae. Cum enim esse dominum et servum attribuitur personae vel hypostasi secundum aliquam naturam, hinc, cum dicitur Christum esse dominum vel servum suiipsius, vel Verbum Dei esse Dominum hominis Christi, hoc potest intelligi aut ratione alterius hypostasis, aut ratione alterius naturae.

2. — PROP. — **Christus dici potest ipse sibi subiectus, α) non ratione hypostasis, sed β) ratione naturae.**

Prob. 1ª Pars. — Ad haeresim Nestorii pertinet quod introducatur in Incarnationis mysterio alia persona Verbi dominantis et alia hominis servientis. Atqui ponere quod Christus sit sibi ipse subiectus ratione hypostasis, est introducere in Incarnationis mysterio aliam personam Verbi dominantis et aliam hominis servientis. Ergo dicere quod Christus est sibi subiectus, seu

1. Io. I, 13. — 2. Gal. IV, 31. Cf. Franc. Sylv., in h. l.

quod est minor seipso ratione hypostasis seu simpliciter, ad haeresim nestorianam pertinet.

Hinc in condemnatione Nestorii dicitur in Synodo Ephesina[1] : *Si quis dicit Deum vel Dominum esse Christi ex Deo Patre Verbum, et non magis eumdem ipsum confitetur simul Deum et hominem, utpote Verbum factum carnem secundum Scripturas, A. S.* Et rursus Cyrillus in Epistola Synodica quam idem Concilium recepit : *Neque ipse Christus sibi servus est,* ait, *neque dominus : falsum enim est, magis autem et impium ita dicere et sapere*[2]. Et Damascenus[3] : *Unum enim ens, Christus, non potest servus esse suiipsius et dominus*[4].

3. — Prob. 2ª Pars. — Salva manente unitate hypostasis cum distinctione naturarum, dicere possumus, tum Christum secundum unam naturarum, in qua cum Patre convenit, cum Patre praeesse et dominari, tum eumdem secundum alteram naturam, in qua nobiscum convenit, ipsi subesse et servire. Quem in sensum ait S. Augustinus[5] : *Veritas ostendit secundum istum modum* (quo nempe Pater maior est Christo secundum divinam naturam), *etiam seipso minorem Filium.* Quasi argumentetur : Pater secundum divinam naturam maior est Filio. Atqui Filius est aequalis Patri. Ergo Filius est seipso maior : non enim Filius, ex eo quod factus est homo, amisit formam Dei. Insuper, quaecumque sunt Patris sunt etiam Filii : ergo quicumque est servus Patris est etiam servus Filii. Sed Christus, secundum humanam naturam, est servus Dei Patris, iuxta illud[6] : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Ergo Christus est servus suiipsius et sibi subditus.

4. — ***Confirmatur** utraque propositionis pars dicendo quod, simpliciter loquendo, ad hoc ut quis sit alteri subiectus, necesse est ut alius sit dominus et alius servus, sicut ad hoc ut duo dicantur simpliciter similia aut aequalia, necesse est ut sint duae res hypostatice distinctae, relatio enim simpliciter talis, est unius ad alium hypostatice distinctum : potest tamen aliqua ratio dominii et servitutis salvari, prout idem est dominus et servus suiipsius secundum aliud et aliud[7]. Et hoc

1. Part. III, c. 1. anat. 6. — 2. Part. I, c. 26. — 3. L. III, Orthod. fid. c. 21. — 4. Ad 1ᵐ. — 5. L. I de Trin., c. 7. — 6. Io. XX, 17. — 7. Ad 2ᵐ.

quidem corroboratur exemplo hominis; cuius exempli opportunitas evincitur ex hoc Symboli athanasiani : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* In homine enim videmus quod propter diversas partes quibus constat, quarum una est superior et altera inferior, potest dici quod est hominis ad seipsum iustitia, in quantum irascibilis et concupiscibilis obediunt rationi : sic etiam unus homo potest dici sibi subiectus et serviens, secundum diversas sui partes [1].

5. — Scholion. — Quia hoc nomen *Christus* est nomen personae sicut et hoc nomen Filius, ideo per se, absolute et sine determinatione, ea quae Christo conveniunt ratione eius personae quae est aeterna, possunt de eo dici, et maxime illae proprietates quae magis proprie videntur ad personam vel hypostasim pertinere : ea vero quae ei conveniunt secundum humanam naturam, sunt potius ei attribuenda cum determinatione. Sic quippe dicetur *Christum esse simpliciter maximum et dominum et praesidentem ;* cum determinatione autem esse *subiectum, vel servum, vel minorem,* scilicet secundum humanam naturam. — Haec tamen regula ad oeconomiam fidei potius spectat, quam ad necessitatem rectae locutionis : quandoquidem plura de Christo dicimus ad humanam naturam spectantia sine ulla determinatione, puta quod sit natus, passus, mortuus, et generaliter quoties abest erroris vel abusus periculum.

1. Ad 3^m^. Cf. Petav. de Incarnat. l. VII, cc. VII, seqq., qui lectorem monet a veteribus Patribus complura vocabula, quae de Christo in Scriptura praedicantur, nulla addita significationis differentia colligi, ita tamen ut quod dicitur *Unigenitus, Sapientia, Lux, Vita, Iustitia, Redemptio, Resurrectio* ad divinam naturam, quod autem dicitur *Pontifex, Agnus, Vitis, Leo, Ostium, Pastor, Filius hominis,* ad humanam naturam referatur (Ibid. c. IX. n. XV). Tamen ex dictis hoc articulo constat non adeo probandum esse quod ille addit (n. XVII) : *Si proprie loqui volumus, neque Christus, neque homo subsistens in Deo servus nominari debet : quoniam servi vocabulum ad personam refertur, et ad actum veluti secundum, quem in Christo removet excluditque persona Verbi, in creatae ac revera servae vicem locumque succedens.*

QUAESTIO XXI

DE ORATIONE CHRISTI

PROLOGUS

1. — Ratio et ordo quaestionis. — Ex eo quod Christus fuerit Patri subiectus, sponte deducitur illum debuisse Patrem orare, ob servitutem et dependentiam, necnon ob propriam secundum humanitatem indigentiam.

Quatuor autem articulis comprehenditur praesens quaestio, sic digestis, ut primo determinetur an Christus orare debuerit (1), et secundo, quomodo (2-4). Quod iterum bipartitur, secundum quod de Christi oratione agatur tum secundum se (2-3), sive per respectum ad subiectum orans (2), sive per respectum ad eos pro quibus orare debuerit (3), tum secundum quod consideratur orationis effectus (4).



Hinc quaeruntur quatuor:

Primo. Utrum Christo conveniat orare.

Secundo. Utrum conveniat sibi secundum suam sensualitatem.

Tertio. Utrum conveniat sibi orare pro seipso an tantum pro aliis.

Quarto. Utrum omnis eius oratio sit exaudita.

ARTICULUS I. — *Utrum Christo competat orare.*

1. — Orationis nomen. — In antecessum praestat ex Angelico Doctore[1] ea quae ad orationis necessitatem, naturam, effectus et partes pertinent, declarare.

Oratio, quasi *oris ratio*[2] idem est secundum vim nominis ac *dictio*, et *orare* idem est ac dicere[3]. Ratio autem hic non speculativa accipitur, quae solum est apprehensiva rerum, sed practica, quae scilicet est quodammodo factiva earum. Porro ratio alicuius potest esse aut indicativa eius quod fit, aut causa ut aliquid fiat, vel *perfecte*, scilicet necessitatem inducendo, quasi effectus sit in illius potestate, vel *imperfecte*, nempe inducendo et disponendo tantum, et haec est proprie dicta oratio, qua quis prece aequales aut superiores movere et inducere studet, ad effectum obtinendum. Hinc alia est oratio *indicativa*, alia oratio *imperativa*, alia oratio *deprecativa*, de qua hic tantummodo agimus[4].

2. — Orationis necessitas. — Necessitatem orationis ad Deum excluserunt tum qui res humanas divina regi potestate negarunt, tum qui omnia in rebus humanis ex fato contingere, aut ex necessitate divinae Providentiae, aut ex stellarum influxu, sive alia quacumque causa ineluctabili, dixerunt. — Affine hisce erroribus est eorum opinamentum qui res humanas divina quidem regi Providentia admiserunt, sed huius dispositionem mutabilem fecere.

Ubi advertere iuvat quod divina Providentia non modo disponit quinam effectus aliquando contingere debeant, sed etiam ex quibusnam causis oriri : inter causas autem sunt etiam ipsi actus humani : ideoque non oramus ut immutemus divinam dispositionem, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum, seu, ut ait S. Gregorius[5], *ut homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare*[6]. Ex quo iam solvitur difficultas quae moveri posset contra

1. 2 2ae, Quaest. LXXXIII. — 2. Cassiod. sup. illud Ps. XXXVIII : *Exaudi orationem meam.* — 3. Isid. l. X. Etym. ad litt. O. — 4. Cf. loc. cit., art. 1. — 5. L. I Dialog., c. 8. — 6. Art. 2.

orationem Christi, ex eo petita, quod Christus optime noverat quaenam essent futura, unde videretur illum inutiliter orasse ut fierent : inter alia enim quae scivit futura, scivit quaedam esse fienda, praecise propter orationem suam [1].

3. — Ad quamnam virtutem pertinet oratio. — Porro, oratio est actus religionis, ad quam pertinet reverentiam exhibere Deo : reverentia autem per orationem Deo exhibetur, in quantum aliquis Deo se subiicit, et recognoscit se Deo indigere. Porro, oratio est actus interior, scilicet ex iis actibus qui ad intellectum pertinent, praecipuus post devotionem, quae est voluntas prompta tradendi se ad Dei famulatum : *devotio* enim a *devovendo* dicitur ; unde devoti dicebantur qui seipsos idolis devovebant pro salute exercitus [2].

4. — Effectus orationis. — Quod autem ad effectum orationis spectat, iste duplex est. Imprimis oratio *meritoria* est, in quantum procedit ex radice charitatis mediante religione, cuius ipsa oratio, ut diximus, est actus, concomitantibus fide, humilitate et devotione : non tamen est meritoria, saltem de condigno, sine gratia gratum faciente. Secundo, oratio habet virtutem *impetrandi ;* nam, ut ait S. Augustinus[3], Deus *non nos hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet.* Ad hoc tamen necesse est ut quatuor istae conditiones concurrant, scilicet ut α) quis petat pro se, β) ea quae necessaria sunt ad salutem, γ) pie, et δ) perseveranter. Praeterea, in quantum oratio habet aliquid poenalitatis adnexum, ipsa quoque *satisfactoria* est ; demum in quantum mens orantis actu in spiritualibus et in contemplatione divinae bonitatis versatur, oratio producit etiam spiritualem quamdam *mentis refectionem* et *consolationem*, quae orantem praesentialiter afficit[4].

5. — Quid sit oratio. — Unde oratio definiri potest : *Actus rationis practicae ad religionem pertinens, quo a Deo meremur impetrando quod petimus ;* aut brevius cum Damasceno [5] : *Oratio est petitio decentium a Deo ;* aut iterum cum eodem [6] : *Oratio est ascensus intellectus in Deum.*

1. Hic ad 2m. — 2. Art. 3. — 3. L. de Verbis Domini, Serm. V, c. 4. — 4. Ibid., art. 13. — 5. L. III. Orthod. fid., c. 24. — 6. Loc. cit.

6. — Partes orationis. — Orationis partes integrales ita describuntur ab Apostolo [1] : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.*

Ad cuius evidentiam sciendum est quod ad orationem tria requiruntur : α) ut orans ascendat ad Deum, quod significatur ipso *orationis* nomine ; β) ut fiat petitio, quae significatur nomine *postulationis* ; γ) ut exponatur ratio impetrandi, ex parte quidem Dei, contestando eius sanctitatem per *obsecrationem*, ex parte vero petentis *gratias agendo*, quo meremur accipere potiora.

Haec omnia in Missa verificantur, in qua obsecrationes sunt, quae praecedunt consecrationem ; orationes in ipsa consecratione, in qua maxime mens ad Deum elevatur ; postulationes in sequentibus petitionibus ; demum gratiarum actiones in fine. Haec etiam in pluribus collectis possunt attendi, signanter in collecta de Trinitate, in qua quod dicitur : *Omnipotens sempiterne Deus*, pertinet ad orationem ; quod vero additur : *qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem*, ad gratiarum actionem spectat ; quod autem dicitur : *quaesumus ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis*, postulationem respicit ; demum conclusio : *per Dominum Nostrum Iesum Christum Filium tuum* pertinet ad obsecrationem [2].

7. — Ratio articuli. — Quod Christus orare potuerit, ex dictis abundantissime sequitur : erat enim ipsi praeter voluntatem divinam etiam voluntas humana, quam profecto explicare potuit apud Deum, ut Deus illam impleret, in qua explicatione propriae voluntatis oratio consistit. Quocirca monothelitae, qui non admiserunt nisi divinam in Christo voluntatem, orationem ipsi competere negare coacti sunt : divina enim voluntas per seipsam est effectiva eorum omnium quae vult, secundum illud [3] : *Omnia quaecumque voluit fecit Dominus.*

Revera Dominus noster non oravit nisi secundum humanitatem, quae non erat per seipsam efficax ad implendum ea quae vole-

1. 1, Tim. II, 1, 2. — 2. S. Thom, l. cit., art. 17. — 3. Ps. CXXXIV, 9.

bat. — *Quod autem ascendit solus orare*, ait S. Hieronymus[1], *non ad eum referimus qui de quinque panibus quinque millia saturavit hominum, exceptis parvulis et mulieribus; sed ad eum qui, audita morte Ioannis, secessit in solitudinem: non quod personam Domini separemus, sed quod opera eius inter Deum et hominem divisa sint.* Hinc legimus[2]: *Factum est in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Quibus verbis apertissime redarguuntur haeretici, *nyctages* dicti, qui, teste Isidoro, nocte non esse orandum, eo quod Deus illam quieti dederit, dixerunt, necnon *Vigilantius* quem Hieronymus lepide potius *Dormitantium* vocandum esse dicebat, qui vigilias noctis in Dei laude consecratas damnabat.

Nunc quoque pro nobis Christus in caelo vere et proprie orat, tanquam advocatus et mediator noster, non solum tacite repraesentando Patri suam humanitatem, sed expresse petendo a Patre bona pro nobis, est enim *semper vivens ad interpellandum pro nobis*[3]: quae quidem interpellatio fit cum oratione seu postulatione, ut notat Augustinus[4], licet oratio Christi modo careat illa supplici et submissa precatione, qua in diebus carnis suae mortalis usus est. — *Ut sacerdos noster*, ait idem Augustinus[5], *orat pro nobis; ut caput nostrum orat in nobis; ut Deus noster oratur a nobis.*

Quae cum ita iam constiterint, in hoc articulo potius insistendum est in ostendenda convenientia huius facti ab Evangelistis circa Dominum Nostrum Iesum Christum narrati. Sit ergo:

8. — PROP. — **Fuit conveniens ut Christus Patrem oraret.**

Exponitur. Licet Christus, secundum quod homo, non habuerit omnipotentiam, tamen idem ipse Deus et homo existens, omnia potuit per se facere quae, sive secundum divinam, sive secundum humanam voluntatem, volebat. Si igitur orationem ad Patrem porrigere voluit, hoc non fuit quasi ipse esset impotens, sed propter nostram instructionem, et quidem, ex duplici capite. α) Ut ostenderet se esse a Patre; unde ait[6]: *Propter populum qui circumstat, dixi* (scilicet verba precationis), *ut credant quia tu me*

1. L. II, Comment. in c. 14 Matth. — 2. Luc. VI, 12. — 3. Hebr. VII, 25. — 4. Ep. LIX, c. 5. — 5. Serm. IV de Sanctis. — 6. Io. XI, 42.

misisti; qua in re dicit S. Hilarius[1]: *Non prece eguit, pro nobis oravit, ne Filius ignoraretur.* β) Ut nobis orandi exemplum daret; unde S. Ambrosius ait[2]: *Noli insidiatrices aperire aures, ut putes Filium Dei quasi infirmum rogare ut impetret quod implere non possit; potestatis enim auctor obedientiae magister ad praeceptum virtutis suo nos informat exemplo;* et S. Augustinus[3]: *Poterat Dominus in forma servi, si hoc opus esset, orare silentio; sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem*[4].

9. — **Scholion.** — At quia, secundum quod homo, Christus omnia facere non poterat, ideo ex hoc capite debuit Patrem orare, ut oratione sua nobis promereretur bona salutaria, quae Deus hoc medio se daturum esse decreverat: ad quod profecto satis erat ut Christus orationem mentalem funderet, dum pro nostra fide solum, nostroque exemplo oratio vocalis requirebatur. — Ad hoc debet attendere, perlegens sequentia S. Hilarii verba[5]: *Cum sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostrae fidei loquebatur;* quibus verbis hic Pater non aliud negat, nisi quod oratio vocalis fuerit Christo necessaria propter seipsum: non enim nisi propter nos voce sensibili in oratione usus est[6]. *Proinde,* ait S. Augustinus[7], *eam quam fecit orationem pro nobis notam fecit et nobis; quoniam tanti magistri non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est aedificatio; et si illorum, qui haec dicta aderant audituri, profecto et nostra, qui fueramus conscripta lecturi.*

10. — ***Corollaria.** — **I.** Igitur Christus orans ascendebat per intellectum in Deum, non quidem hoc sensu quod aliquando esset in potentia tantum et non in actu ascensionis, sed hoc sensu quod semper actu elevaretur in Deum, quia Deum semper contemplabatur, quasi supra se existentem. Ascensio enim priori modo non poterat Christo competere, quandoquidem talis ascensio est motus qui est actus imperfecti, importat siquidem exitum de potentia in actum: quocirca Damascenus dicit[8] quod

1. L. X de Trin. — 2. Sup. illud Luc. VI: *Et erat pernoctans,* etc. — 3. Tract. CIV, super Io. — 4. Ad 1^m. — 5. L. X de Trin. — 6. Art. 3, ad 1^m. — 7. Loc. cit. — 8. L. III Orthod. fid., c. 24.

intellectus humanus Christi non ejet ascensione in Deum, cum sit semper Deo unitus et secundum esse personale et secundum contemplationem beatam. Ascensio autem secundo modo est actus perfecti, id est existentis in actu, et ita dicitur motus large sumptus, quemadmodum intelligere et sentire dicuntur quidam motus, et sic Christo competere poterat[1].

II. Nec tamen ex eo quod Christus pro nobis oravit et adhuc, ut dictum est, orat, inferendum est Christum sic a nobis esse invocandum: *Christe, ora pro nobis:* hoc enim non fert Ecclesiae consuetudo, maxime cum cavendum nobis sit ab errore Arii et Nestorii, quem illa invocatio sapit. Accedit quod ille, qui a nobis invocatur, est simpliciter persona divina, cuius non est petere sed donare; aliunde qui oratur invocandus est secundum suam maiorem dignitatem[2].

III. Quod si qui ex patribus, ut Hilarius et Ambrosius, aliquando negaverunt Christum prece eguisse, hoc propter arianam haeresim posuerunt, ne scilicet ex Christi ad Patrem oratione, videretur inferendum illum esse Patre inferiorem.

11. — Difficultas. — Ait S. Augustinus[3]: *Si fides deficit, oratio perit: quis enim orat quod non credit?* Atqui in Christo non fuit fides. Ergo nec oratio.

Resp. Fides necessario ad orationem supponitur, ubi deest de Deo rebusque divinis melior cognitio; non autem ubi suppetit cognitio fide perfectior. Itaque necessarium est orantem firmiter tenere Deum esse omnium bonorum datorem, ex quo omnia sperare liceat: quod quidem fide tenendum est ei qui nondum in altiori scientia, puta visionis beatificae, de Deo rebusque ad illum spectantibus, instructus sit.

ARTICULUS II. — *Utrum Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem.*

1. — Praenotandum. — Orare secundum sensualitatem sive secundum appetitum sensitivum potest intelligi dupliciter: primo

1. Ad 3^m^. — 2. Cf. S. Thom. 4 Dist. XV, Quaest. 4, art. 6; Suppl. Quaest. LXXII. art. 2, ad 3^m^. — 3. Serm. XXXVI de Verbis Domini.

elicitive, ita quod ipsa oratio sit actus appetitus sensitivi; secundo *obiective* et quasi materialiter, ita quod oratio, quae actus rationis est, versetur circa aliquid quod est in appetitu sensualitatis.

2. — PROP. — **Christus oravit** α) **elicitive per solam rationem,** β) **obiective autem et quasi materialiter etiam sensualitate.**

Prob. 1ª Pars. Per exclusionem orationis elicitae ab appetitu sensitivo.— Revera, sensualitas non est capax elicitive orandi, ex duplici capite: I. quia motus sensualitatis non potest transcendere sensibilia, ideoque non potest in Deum ascendere, quod ad orationem requiritur; II. quia oratio importat quamdam ordinationem, prout quis desiderat aliquid quasi a Deo implendum, quod solius rationis est; ideoque oratio est tantum actus rationis et nullimode appetitus sensitivi. Quocirca, licet aliquando sensualitas hoc voluerit quod ratio petebat, sicut quando Christus petivit quod transiret a se calix passionis[1], tamen hoc petere orando, non erat sensualitatis, sed rationis[2].

3. — ***Confirmatur.** — Filius Dei secundum naturam assumptam in similitudinem hominum factus est[3]. Atqui alii homines non orant secundum sensualitatem elicitive. Ergo nec Christus.

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Oratio Christi exprimebat affectum sensualitatis eius, quasi foret sensualitatis advocata: ergo Christus oravit obiective et quasi materialiter etiam sensualitate. — Porro hoc fecit praecipue propter nostram instructionem et quidem triplici de causa: I. ut ostenderet se veram naturam humanam suscepisse, de cuius ratione est ut huiusmodi affectus naturales habeantur; II. ad confortandum hominem, ostendendo quod ipsi licitum est secundum naturalem affectum aliquid velle quod Deus non vult; III. ut exemplo suo hominem doceret, affectum suum divinae voluntati subiicere. — *Christus hominem gerens*, ait Augustinus[4], *ostendit privatam quamdam hominis voluntatem, cum dicit: Transeat a me calix iste: haec enim erat humana voluntas, proprium aliquid et tanquam privatum volens; sed quia recto corde vult esse hominem et ad Deum dirigit, subdit: Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut*

1. Matth. XXVI, 39. — 2. Ad 2ᵐ. — 3. Phil. II, 7. — 4. In Ps. XXII, conc. 1.

tu; ac si dicat : Vide te in me, quia potes aliquid proprium velle, etsi Deus aliud velit.

5. — **Scholion.** — Tam longe est a vero quod Christus elicite oraverit per appetitum sensitivum, ut potius dicendum sit, ex vehementi motu elicito appetitus rationalis in Deum, redundasse in eius carnem exultantiam in Deum, ex eo ortam quod a cordis affectu excitabatur et ipsamet caro, iuxta illud[1] : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum;* quod et Christus ipse innuit, cum dixit[2] : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur*[3]*!*

6. — **Difficultas.** — Sensualitas fuit assumpta a Deo in unitatem personae. Atqui magis est uniri Deo in persona quam ascendere in Deum per orationem. Ergo sensualitas potuit elicitive ascendere ad Deum orando.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.* Ita quod uniri et ascendere sint in eodem ordine, *nego;* in diverso ordine, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Revera, uniri et ascendere non sunt eiusdem rationis ; siquidem unio in persona est secundum esse personale, quod pertinet ad quamlibet humanae naturae partem ; ascensio autem quae in oratione completur, perficitur per actum qui non convenit nisi rationi [4].

ARTICULUS III. — *Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare.*

1. — **Ratio articuli.** — Quod Christus pro se oraverit, ipsemet testatur cum dicit [5]: *Clarifica Filium tuum;* et de eo ait S. Paulus [6] : *Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens.* Quapropter praesens quaestio est proprie de huius rei convenientia. — Ubi praenotandum est aliquem posse orare pro se dupliciter : *uno modo,* exprimendo affectum sensualitatis, vel voluntatis ut naturae ; *alio modo,* exprimendo affectum voluntatis deliberatae.

1. Ps. LXXXIII, 3. — 2. Luc. XII, 50. — 3. Ad 1^m. — 4. Ad 3^m. — 5. Io. XVII, 5. — 6. Hebr. V, 7.

2. — PROP. — **Christus convenienter pro se oravit** α) **tum exprimendo affectum sensualitatis vel simplicis voluntatis,** β) **tum etiam exprimendo affectum voluntatis deliberatae.**

Prob. 1ª Pars. — Sic enim Christus oravit, cum petivit a se calicem passionis transferri; convenienter autem oravit, ut nos instrueret in illis tribus, de quibus articulo praecedenti dictum est.

3. — **Prob. 2ª Pars.** — Sic etiam oravit quando, verbi gratia, petiit gloriam resurrectionis. Quod vero convenienter et rationabiliter hoc fecerit, iam dictum est; nempe ut ostenderet Patrem esse suum auctorem, a quo aeternaliter procedit secundum divinam naturam, et a quo habet secundum humanam naturam quidquid boni est in eo; necnon ut nobis orandi exemplum praeberet. Praeterea hoc conveniens fuit ut et pro bonis quae iam habebat in humana natura a Patre percepta, ut est, verbi gratia, scientiae, gratiae et gloriae plenitudo, Patri gratias ageret, illum recognoscendo horum bonorum auctorem, et a Patre orando peteret bona illa quae nondum habebat, puta gloriam corporis, quae tamen expectabat a Patre suo percipienda. In quo et egregium nobis exemplum praebuit, ut et de perceptis nobis muneribus gratias exhibeamus, et nondum habita orando postulemus.

4. — **Notanda.** — Ubi iuverit advertere **I.** quod sola voluntas Christi habet de se vim orationis apud Patrem: nam, si *desiderium pauperum exaudivit Dominus* [1], multo magis Christi desiderium; unde Christus ipse dicebat[2]: *Ego sciebam quoniam semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti* [3].

II. Christus omnia quidem quae patiebatur pati volebat pro illo tempore; unde ait Augustinus[4]: *Homo plerumque, etsi nolit, irascitur; etsi nolit, contristatur; etsi nolit, dormit; etsi nolit, esurit ac sitit; ille autem* (scilicet Christus) *omnia ista fecit quia voluit.* Nihilominus Christus volebat corporis gloriam, qua adhuc carebat, post passionem suam, consequi; ideoque

1. Ps. X, 17. — 2. Io. XI, 42. — 3. Ad 1ᵐ. — 4. L. XXVI contra Faust.

hanc gloriam expectabat sibi a Patre tanquam ab auctore dandam, et propterea ab ipso hanc gloriam convenienter postulabat [1].

5. — Scholion. — Christus pro se solo nunquam oravit. Nam, et ipsa gloria quam orando a Patre petebat, pertinebat ad salutem aliorum, iuxta illud [2]: *Resurrexit propter iustificationem nostram:* unde illa etiam oratio, quam pro se faciebat, erat quodammodo pro aliis, sicut qui a Deo bonum aliquod postulat ut illud impendat in aliorum utilitatem, non sibi soli, sed etiam aliis orat; ad quod attendens S. Cyprianus, ait [3]: *Pacis Doctor et unitatis Magister noluit singillatim et privatim preces fieri, ut quis, cum precatur, pro se tantum precetur* [4]. — Non tamen putet quis ex hoc damnari privatam precationem; nam et pro nobis ipsi orationem dominicam recitare possumus, licet Christus eam forma plurali nos docuerit, et consequenter prius ipse adhibuerit, cum *caepit facere et docere* [5].

ARTICULUS IV. — *Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita.*

1. — Quid sit orationem exaudiri. — Exaudiri alicuius orationem aliud non est nisi orantis voluntatem impleri, cum oratio sit quodammodo interpretativa voluntatis humanae. Sed voluntas alia est simpliciter talis, alia secundum quid. Prior est voluntas rationis: hoc enim simpliciter volumus, quod secundum rationem deliberatam volumus; voluntas autem secundum quid est aut voluntas quae consideratur ut natura, aut appetitus sensualitatis: id enim quod volumus secundum utriusque motum non simpliciter volumus, sed secundum quid, id est si minime obsistat ei quod per deliberationem rationis appetitur: unde talis voluntas potius dicenda est velleitas, quam absoluta voluntas: hoc enim homo vellet si aliud non obsisteret.

2. — PROP. — **Omnis oratio Christi fuit exaudita.**

Sic enim legimus [6]: *Ego autem sciebam quia semper me audis;*

1. Ad 2^m. — 2. Rom. IV, 25. — 3. L. de Orat. Dominica. — 4. Ad 3^m. — 5. Act. I, 1. — 6. Io. XI, 42.

et[1] : *Preces supplicationesque...* (Christus) *cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Prob. Cum oratio sit interpretativa voluntatis humanae simpliciter talis, scilicet voluntatis deliberatae, tunc exaudiri dicitur alicuius oratio, cum obiectum huiusmodi voluntatis impletur. Atqui secundum hanc voluntatem, Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle, cuius voluntas semper impletur. Ergo omnis simplex voluntas Christi fuit impleta et per consequens omnis eius oratio fuit exaudita.

3. — **Confirmatur.** — Multo magis debuit exaudiri oratio Christi quam orationes sanctorum. Atqui orationes sanctorum, utpote quae sunt de obiecto conformi voluntati divinae, semper exaudiuntur. Nam legimus[2] : *Qui scrutatur corda scit* (id est approbat) *quid desideret Spiritus* (id est quid faciat sanctos desiderare), *quoniam secundum Deum* (id est conformiter divinae voluntati) *postulat pro sanctis.*

4. — ***Scholion.** — Unde, si quando dicitur in persona Christi[3] : *Clamabo per diem et non exaudies*, verba ista sunt intelligenda quantum ad affectum sensualitatis quae mortem refugiebat, non vero quantum ad affectum rationis, secundum quem semper fuit exauditus ; unde et in eodem Psalmo additur[4] : *Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum exaudivit me,* scilicet liberans Christum ab ignominiosa morte per gloriosam resurrectionem[5].

5. — **Difficultas.** — Christus oravit ut crucifixoribus suis peccatum dimitteretur[6]. Atqui non omnibus peccatum illud fuit dimissum : multi scilicet ex Iudaeis fuerunt pro illo peccato puniti. Ergo non omnis oratio Christi fuit exaudita.

Resp. Christus non pro omnibus crucifixoribus suis oravit, sed pro his solum qui erant praedestinati, ut per ipsum vitam consequerentur aeternam, unde ipse ait[7] : *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo.* — *Videbat,* ait Augustinus[8], *quosdam suos inter multos alienos ; illis iam petebat veniam, a quibus adhuc acci-*

1. Hebr. V, 7. — 2. Rom. VIII, 27. — 3. Ps. XXI, 3. — 4. Vers. 25. — 5. Ad 4^m. — 6. Luc. XXIII, 34. — 7. Io. XVIII, 9. — 8. Tract. XXXI in Io., in ista verba Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte,* etc.

piebat iniuriam. Per *suos* autem, Augustinus intelligebat praedestinatos, secundum illud[1] : *Cognovit Dominus qui sunt eius.* Pariter, non oravit Christus pro omnibus *qui crediturí erant per verbum* apostolorum *in* ipsum[2] *:* sed pro iis tantum qui ad hoc perveniunt, ut sint finaliter cum ipso[3]: *Pater quos dedisti mihi volo, ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi*[4]. — Notandum tamen hic agi de oratione Christi efficaci, ideoque doctrinam praesentem minime favere iansenistis, ut somniaverunt quatuor professores Duacenses in sua censura data die 22 Augusti 1722 et Romae damnata die 18 Iulii 1726[5].

6. — *Quaestio. — *Quomodo sint intelligenda verba*[6]*:* PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE ?

Difficultas ex hoc deducitur, quod non videmus calicem istum fuisse a Christo translatum : unde huius loci non est una interpretatio.

Hilarius vult ut intelligatur Christum petiisse per hoc, quod alii martyres suae passionis imitatores fierent[7] : *Quod autem ut a se transeat rogat, non ut ipsa* (passio) *praetereatur orat, sed ut in alterum id quod a se transit accedat; atque ideo pro his rogat qui passuri post se erant;* ut sit sensus : *Quomodo a me bibitur calix iste passionis, ita ab his bibatur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.* Hoc autem omnino impletum est.

Respuenda autem est interpretatio Dionysii Alexandrini, qui vult quod Salvator petierit ut tentatio illum invadere incipiens pelleretur. *Quod dicit: Transfer calicem istum a me, non hoc est: Non adveniat mihi; nisi enim advenerit, transferri non poterit; sed : Sicut quod praeterit, nec intactum est nec permanens, sic Salvator breviter invadentem tentationem flagitat pelli* [8]. Revera, absonum est dicere tentationem animam Domini intus invasisse.

Hieronymus autem hoc sensu illud dictum interpretatur, quasi Christus petierit a Patre quod non biberet calicem a Iudaeis, quibus Novae Legis promissa fuerant tradita : *Signanter dicit: Calix iste, hoc est populi Iudaeorum, qui excusationem ignorantiae*

1. 2 Tim. II, 19. — 2. Io. XVII, 20. — 3. Ibid., 24. — 4. Ad 2[m] et 3[m]. — 5. Cf. FRANC. SYLV. — 6. Matth. XXVI, 39.— 7. Sup. Matth., c. 31. — 8. In Cat. Graec. Patrum.

habere non possunt, si me occiderint, habentes leges et prophetas qui me quotidie vaticinantur[1]. Ambrosius tamen [2], et Origenes[3] necnon Chrysostomus[4] dicunt quod Christus hoc petierit naturali voluntate mortem recusans. Quibus quidem modis non est impletum id quod Christus petebat; sed non ex hoc sequitur illum in oratione sua non fuisse exauditum, quia ratio, quae petitionem proposuit, nolebat ut hoc impleretur; sed ad nostram instructionem demonstrare nobis volebat suam voluntatem naturalem, et motum sensualitatis quem sicut homo habebat[5].

1. Super h. l. Matth. XXVI. — 2. Super illud Luc. XXII : *Pater si vis*, etc. — 3. Tract. XXXV, in Matth. — 4. Homil. LXXXIV in Matth. — 5. Ad 1^m.— Qua ratione quaedam Christi orationes non exauditae remanserint, explicat Dionysius Carthus. (Comment. in Ps. XXI. art. 1. Opp. T. V. p. 531, Monstrolii, 1898) his verbis : *Praedictae vero postulationes, in quibus se Christus asserit non exauditum, non erant orationes simpliciter fusae, sed cum quadam conditione ; procedebantque magis ex affectu doloris et motu sensitivae partis, quam ex rationis pleno iudicio, non tamen contra ordinem rationis. Voluit autem Christus has orationes effundere, quas sciebat non esse exaudiendas : primo, ut ostenderet se veraciter incarnatum atque passibilem, ad confundendum haereticos oppositum opinantes ; secundo, propter nostram instructionem, videlicet, ne fatigemur, nec desperemus, dum non exaudimur statim vel pro voto a Domino ; sed exemplo Christi, subiiciamus et committamus nos beneplacito Creatoris, certi quoniam ipsi cura est de nobis* (1 Petr. V. 7).

Quare autem dicatur Christus Dominus oculos in caelum sublevasse, antequam oraret, idem auctor explicat : *Fecit hoc, non ad suum profectum, necessitatem vel indigentiam, quia quomodocumque corpus eius fuerat situatum, anima eius aeque perfecte ferebatur ad Deum, non in vigilia tantum, sed et in somno, qui contemplationem dilectionemque animae Christi nequaquam impedivit ; sed ad nostram informationem, ut edoceret nos quod in orando debemus oculum mentis ad Deum dirigere cum magna intentione. Atque ut hoc perfectius faciamus, debemus et oculos corporales ad caelum materiale levare, quatenus inspiciendo magnificum opus Dei et habitaculum eius, excitemur ad speculationem divinae creatricis atque in caelum habitantis maiestatis, caelestium quoque gaudiorum memoriam.* T. XII. p. 566.

QUAESTIO XXII

DE SACERDOTIO CHRISTI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — De sacerdotali Christi dignitate acturi, in antecessum advertendum monemus extra dubium esse sacerdotium Christo competere secundum humanam naturam tantum, cum solummodo secundum hanc naturam sit medius inter Deum et homines, quod quidem ad sacerdotii rationem spectat. Attamen, propter communicationem idiomatum, sicut verum est dicere quod Deus nos redemit, ita verum est dicere simpliciter: *Deus est sacerdos*. Quod sacerdotium aliquando a Cyrillo[1] immutabile dictum est, propterea quod Christus non oleo temporali, sed immutabili divinitate unctus fuit: *Verbum factum est Pontifex*, ait S. Athanasius[2], *cum induit corpus factitium et creatum*.

Porro de sacerdotio hic sermo est proprie accepto, scilicet prout significat dignitatem auctoritativam singulari titulo collatam per respectum ad sacrificium proprie dictum offerendum vero Deo; non autem de sacerdotio late et improprie accepto, quo non significatur aliud, nisi facultas bonum opus exercendi ut sancta societate Deo inhaereamus, iuxta illud S. Petri[3]: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*.

2. — Quaestionis divisio. — Ubi duae quaestiones proponuntur: prima, an Christo competat esse sacerdotem (1), secunda, quomodo ipse sit sacerdos (2-6), considerato eius sacerdotio tum absolute (2-5), tum comparatione instituta ad sacerdotium legale (6). Absolute autem Christi sacerdotium considerari debet tum intrinsece (2-4), tum extrinsece, scilicet quantum ad tempus (5).

1. Catech. 10. — 2. Or. 3. — 3. 1 Ep. II, 19.

Et quidem intrinsece, sive per respectum ad ipsam sacerdotii hostiam (2), sive per respectum ad sacerdotii effectum, tum in se consideratum (3), tum consideratum relate ad homines (4).



Unde hic quaeruntur sex:

Primo. Utrum conveniat Christo esse sacerdotem.

Secundo. De hostia huius sacerdotii.

Tertio. De effectu huius sacerdotii.

Quarto. Utrum effectus sacerdotii eius pertineat ad ipsum, vel solum ad alios.

Quinto. De aeternitate sacerdotii eius.

Sexto. Utrum debeat dici sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

ARTICULUS I. — *Utrum conveniat Christo esse sacerdotem.*

1. — Quid sit esse sacerdotem. — De ratione sacerdotis est ut sit mediator inter Deum et populum. Est autem sacerdos mediator inter Deum et populum duplici ratione : *primo,* in quantum scilicet divina populo tradit, unde dicitur sacerdos quasi *sacra dans;* secundum illud [1] : *Legem requirent ex ore eius* (scilicet

1. Mal. II, 7.

sacerdotis); *secundo,* in quantum preces populi Deo offert et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit; unde Apostolus dicit[1]: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

2. — PROP. — **Christo maxime convenit esse sacerdotem.** Haec propositio *de fide* est, ita in Concilio Tridentino declarata[2]: *Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter levitici sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat, oportuit Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum.* Quae veritas abunde constat ex pluribus locis Epistolae ad Hebraeos, verbi gratia[3]: *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit caelos, Iesum filium Dei;* et[4]: *Hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium;* immo tota haec epistola in eo versatur, ut sacerdotii Christi dignitatem excellentiamque commendet et extollat.

3. — Prob. ratione theol. — Illi convenit esse sacerdotem, α) per quem divina bona hominibus conferuntur, et β) humanum genus Deo reconciliatur. Atqui per Christum maxime sunt α) hominibus divina bona collata, et β) homines sunt Deo reconciliati. Ergo Christo maxime competit esse sacerdotem.

Maior resultat ex superius tradita notione sacerdotis. *Minor* probatur, α) ex his verbis S. Petri[5]: *Per quem* (scilicet per Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae;* β) ex hoc S. Pauli[6]: *In ipso* (scilicet in Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia.*

4. — Scholion. — Licet Christus sacerdos conformis fuerit hominibus viatoribus in sacerdotio constitutis, propterea quod passibilitatem carnis quam habent et ipse habuit, unde ab Apostolo[7] dicitur *modico ab angelis minoratus,* tamen, quantum ad sacerdotalem dignitatem, non solum hominibus, sed etiam angelis excellentior fuit.

Re quidem vera, Christus maior angelis fuit non solum

1. Hebr. V, 1. — 2. Sess. XXII, cap. 1. — 3. C. IV, 14. — 4. C. VII, 24. — 5. 2 Ep. I, 4. — 6. Col. I, 19. — 7. Hebr. II, 9.

secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, in quantum gratiae et gloriae plenitudinem habuit. Unde, cum sacerdos nomen angeli obtinet, secundum illud [1]: *Angelus Domini exercituum est*, propterea quod sacerdos est medius inter Deum et populum, et praecise propter hanc medietatem sacerdos hierarchicam angeli potestatem quodammodo participat, multo magis angeli nomen Christo competit, quem et officium suum inter Deum et homines medium constituit, et dignitas sua supra angelos collocat: ideo dicitur Christus *Angelus testamenti* [2]. Unde, dum alii sacerdotes stant coram angelo Domini, iuxta illud [3]: *Ostendit mihi Dominus... sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini*, Christo, e contra, hierarchicam potestatem prae angelis habenti, angeli deserviunt, quasi ministri sacerdotii eius, iuxta illud [4]: *Angeli accesserunt et ministrabant ei;* ideoque Christus maior angelis dicitur [5]: *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* Quapropter minoratio Christi referenda est tantum ad passionis tempus, quando nempe Christus dignatus est passionem et mortem sustinere [6].

5. **Comparatio inter sacerdotium Christi et sacerdotium Veteris Legis.** — Sacerdotium Veteris Legis fuit figura sacerdotii Christi, sicut ea quae fuerunt in Veteri Testamento fuerunt figurae Christi, iuxta illud [7]: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Porro, quia de ratione figurae et exempli est ut non in omnibus exemplatum adaequet, secus non figura sed rei veritas esset, ideo Christus, ad ostendendum quod sacerdotium suum differt a sacerdotio Veteris Legis, sicut verum a figurali, noluit nasci de stirpe figuralium sacerdotum; ideoque ex sacerdotibus Veteris Legis non traxit carnis originem [8]. *Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus Noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est;* et antea praemissum fuerat [9]: *Necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum Aaron dici* [10]. Quod autem inveniatur Christus legisse sabbato in Synagoga [11], non evincit

1. Mal. II, 7. — 2. Ibid. III, 1. — 3. Zach. III, 1. — 4. Matth. IV, 11. — 5. Hebr. I, 4. — 6. Ad 1^m. — 7. Col. II, 17. — 8. Hebr. VII, 14. — 9. Vers. 11. — 10. Ad 2^m. — 11. Luc. IV, 16.

illum sacerdotem fuisse mosaicum : homines enim in lege docti, etsi non essent sacerdotes, legem interpretari in synagogis aliquando solebant [1].

Attamen, potest dici Dominum nostrum dignitatem quae est ex stirpe sacerdotali in suo ortu quodammodo accepisse, in eo quod Mater eius Maria censeri potest fuisse de stirpe sacerdotali ex parte matris ; quod patet ex hoc quod Elisabeth, quae erat de filiabus Aaron, dicitur eius cognata [2]. Revera, ad hoc ut Dominus Noster absolute et simpliciter negaretur fuisse ortus de sacerdotibus Veteris Legis, satis erat ut Mater eius secundum lineam paternam, secundum quam genealogia attenditur, de stirpe figuralium sacerdotum natus non esset : dum tamen horum nobilitatem per lineam maternam recipere potuisset.

Hanc sententiam propugnare videntur, inter alios S. Augustinus et S. Thomas ; quorum ille ait [3] : *Oportuit ut dominica caro non solum de regia, sed etiam sacerdotali stirpe propagaretur ;* hic autem [4] primo loco refert verba S. Gregorii Nazianzeni dicentis [5] quod nutu supremo contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, ut Christus, qui rex est et sacerdos, ab utrisque nasceretur secundum carnem : postea, plures subdit hypotheses, secundum quas utrumque salvari potest, scilicet Beatam Virginem et ex stirpe David fuisse, et tamen sacerdotali stirpi cognatam [6].

6. — Quaestio. — *Utrum Christus fuerit etiam legislator ?*

Resp. Affirmative. Equidem, in Veteri Lege non idem fuit sacerdos et legislator ; nam, ad Moysen legislatorem Dominus dixit [7] : *Applica... Aaron fratrem tuum cum filiis suis,... ut sacerdotio fungantur mihi.* Sed Christus simul fuit sacerdos et legislator seu propheta, quia cum alii homines particulatim habent quasdam gratias, omnium gratiarum perfectionem Christus omnium caput possidet. Quocirca et de Christo dicitur quod est Novae Legis conditor : *Dabo legem meam in visceribus eorum* [8] ; immo cum,

1. Cf. Actus Ap. cc. XIII, XIV, XVII. Vide Est., in hunc locum. — 2. Luc. I, 36. — 3. Quaest. XLVII. in lib. Iud. — 4. 3, Quaest. XXXI, art. 2, ad 2^m. — 5. Implic. habetur in Carm. XXXVIII de Geneal. Christi. — 6. Cf. quae scripsimus in Tractatu de Bma Virgine Matre Dei, P. II, c. II, art. 1, n. 6— 7. Exod. XXVIII, 1.— 8. Hier. XXXI, 33.

quantum ad simplices homines pertinet, alius sit legislator, alius sacerdos, et alius rex, haec omnia in Christo concurrunt, tanquam in omnium gratiarum fonte; unde dicitur [1]: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster; ipse veniet et salvabit nos* [2].

Porro quod Christus non modo sacerdos, sed etiam legislator fuerit, est de *fide* traditum in Concilio Tridentino [3]: *Si quis dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, A. S.;* et in Scripturis saepius haec veritas continetur, verbi gratia, cum dicitur [4]: *Dominus legifer noster;* haud raro etiam Christus ipse mandata a se prolata fuisse inculcat [5]: *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis;* et rursus [6]: *Si diligitis me, mandata mea servate.* — Quod si dicitur [7]: *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, hoc ideo est, quia Christus legem latam non modo promulgavit, sicut Moyses, sed fecit: nec legem quae tantum praecipiebat, sed legem quae adiuvabat, gratiam conferendo.

7. — Comparatio inter Christum et Novae Legis sacerdotes. — Denique dicendus est Christus Novae Legis sacerdotibus praestare, α) ratione *oblationis*; nam Christus obtulit sacrificium simul cruentum et incruentum; nostrum vero sacerdotium nonnisi ad sacrificium incruentum ordinatur; β) ratione *effectus*, nam sacerdotium Christi sacramentis alligatum non erat: nos autem gratiam conferre non possumus nisi mediantibus ritibus sacramentalibus; γ) ratione *originis;* nam Christus ritu consecrationis externae non eguit sicut nos, sed ex vi suae originis et hypostaticae unionis, sacerdos consecratus est; δ) ratione *dignitatis:* siquidem sacerdotium Christi habet rationem causae universalis relate ad sacerdotium nostrum, immo relate ad totam oeconomiam gratiae divinae in Nova Lege [8].

1. Is. XXXIII, 22. — 2. Ad 3^m. — 3. Sess. VI, can. 21. — 4. Is. XXIII, 22. — 5. Matth. XXVIII, 20. — 6. Io. XIV, 15. — 7. Io. I, 17. — 8. Christi sacerdotium vel pontificatum, itemque sacrificium quod ab eius sacerdotio respicitur, tum graecorum tum latinorum Patrum testimoniis Petavius egregie prosequitur, De Incarn. L. XII. cc. XI, XII, XIII, XIV.

P. 266. n. 6

ARTICULUS II. — *Utrum Christus simul fuerit sacerdos et hostia.*

1. — Ratio articuli. — Praesentis articuli intentio potissima est, ut intelligentia tradatur huius loci S. Pauli [1]: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis,* quibus verbis Apostolus evidentissime testatur Christum simul sacerdotem extitisse, in eo quod dicit, *tradidit,* et hostiam, in eo quod addit, *semetipsum.* Quae in Concilio Tridentino ita exprimuntur [2]: *Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur,* etc.

2. — PROP. — **Christus, in quantum homo, non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta.**

Prob. Omne id quod Deo exhibetur ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici sacrificium et hostia. Nam, ut ait Augustinus [3], *omne sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum, est;* invisibile autem sacrificium est, quo homo Deo spiritum suum offert, iuxta illud [4]: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Atqui humanitas Christi, seu Christus in quantum homo, seipsum obtulit Deo, ad hoc quod spiritus hominis perfecte feratur in Deum. Ergo Christus est sacerdos et hostia perfecta.

3. — Exponitur minor. — Ad hoc quod homo perfecte in Deum feratur, tria sunt necessaria: α) quod ei peccata remittantur; β) quod in gratia conservetur; γ) quod Deo perfecte uniatur, ad quae tria indiget homo sacrificio. Indiget enim sacrificio α) ad remissionem peccati per quod a Deo avertitur: unde dicit Apostolus quod ad sacerdotem pertinet *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [5]; β) ut in statu gratiae conservetur semper Deo inhaerens, in quo pax eius salusque consistit; unde in Lege Veteri immolabatur hostia pacifica pro offerentium salute [6]; γ) ut perfecte Deo uniatur spiritus hominis, quod maxime erit in gloria;

1. Eph. V, 2. — 2. Sess. XXII, cap. 1. — 3. L. X de Civ. Dei, c. 5. — 4. Ps. L, 19. — 5. Hebr. V, 1. — 6. Levit. III.

unde in Lege Veteri offerebatur holocaustum, quasi totum incensum, ut habetur in libero Levitici [1].

Et haec tria per humanitatem Christi Deo oblatam nobis provenerunt. Nam α) nostra peccata per ipsum deleta sunt, secundum illud [2]: *Traditus est propter delicta nostra;* β) gratiam nos salvantem per Christum accepimus, iuxta illud [3]: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae;* γ) per ipsum gloriae perfectionem adepti sumus [4]: *Habentes... fiduciam... in introitu sanctorum* (id est in gloria caelesti) *in Sanguine Christi.*

4. — **Corollarium.** — Quapropter Christus, in quantum homo, non modo fuit sacerdos, sed etiam sacrificium seu hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, hostia pacifica et holocaustum; cui etiam addi potest Christum fuisse hostiam pro gratiarum actione; unde ait S. Ambrosius [5]: *Idem sacerdos, idem et hostia.*

Ad quae praestanda Christus seipsum obtulit, non quidem sese occidendo, hoc quidem nefarium fuisset, sed voluntarie morti se exponendo, iuxta illud [6]: *Oblatus est quia ipse voluit* [7]. Non enim necesse est ut ipsemet sacerdos offerens occidat rem offerendam, sicut etiam apparet ex sacrificio pecudum, in quo sufficere poterat ut hostia per alium, annuente sacerdote, offerretur, sacerdote illam postea assumente et in sacrificium offerente.

5. — ***Scholia.** — **I.** Ubi notandum est sacrificium Christi multum differre a sacrificiis gentilium, licet et gentiles consueverint immolare homines. Nam hominis Christi occisio habet rationem sacrificii et hostiae per comparationem ad ipsiusmet Christi patientis voluntatem, ex qua parte scilicet Christus se passioni voluntarie obtulit; non vero per comparationem ad voluntatem illum occidentium : non enim dicuntur occisores Christi Deo hostiam obtulisse, sed potius graviter deliquisse: quemadmodum in impiis gentilium sacrificiis eveniebat, in quibus homines inviti idolis immolabantur, quod quidem maxime reprehenditur [8]: *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et*

1. Passim. Cf. 1. 2ae, Quaest. CII, art. 3 ad 8m, ubi rem istam S. Thomas dilucide prosequitur. — 2. Rom. IV, 25. — 3. Hebr. V, 9. — 4. Ibid. X, 19. — 5. L. III de fide, cap. 5. — 6. Is. LIII, 7. — 7. Ad 1um. — 8. Ps. CV, 38.

filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaam. Quapropter sacrificium Christi similius est sacrificio Iudaeorum quam sacrificio gentilium, cum etiam sacrificium iudaicum fuerit a Deo institutum, vero Deo oblatum et ad effectus spirituales obtinendos profuerit [1].

II. Quia de ratione hostiae est ut, cum Deo offertur, Deo sanctificetur, ideo humanitas Christi, cum in passione fuit Deo oblata, licet fuerit a principio sancta, tamen sanctificata novo modo fuit, scilicet ut hostia actualiter tunc exhibita : *acquisivit enim actualem hostiae sanctificationem tunc ex antiqua caritate et gratia unionis sanctificante eamdem absolute*[2]*;* unde Christus ait[3] : *Pro eis ego sanctifico meipsum ;* conformiter ei quod antiquitus fuerat sancitum[4] : *Sanctifica mihi omne primogenitum* [5].

ARTICULUS III. — *Utrum effectus sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum.*

1. — Novae Legis sacrificium. — Veteris Legis sacrificia, cum imperfecta essent, ideo multiplicari debuerunt: immolabatur enim hircus pro peccato principis, capra pro peccato alicuius de populo, vitulus pro peccato sacerdotis, ut patet ex Levitico[6]. Sed Novae Legis sacrificium, cum perfectissimum sit, unum tantummodo existit, quod quidem omnium aliorum consummativum est ; et significatur quotidiano sacrificio quod offerebatur mane et vespere, scilicet agno, qui typum gerebat Agni veri et immaculati, scilicet Christi, qui *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*[7] *;* unde signanter Christus et dicitur Agnus Dei[8] : *Ecce Agnus Dei... qui tollit peccatum mundi,* et sub figura agni repraesentari solet, cui comparatur, iuxta illud[9] : *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam*[10].

1. Ad 2m— 2. Ad 3m. — 3. Io. XVII, 19. — 4. Exod.XIII, 2. — 5. Contra hanc traditionalem sacrificii notionem nuperrime scripsit Iac. Bellord, Ep. Milev. in Ephem. *The Ecclesiastical Review,* mensibus Iul. et Sept. 1905, quem in eadem Ephem. mense Oct Car. I. Cronin, Iul. de Becker, Sidney Smith, S. I., egregie refutarunt.— 6. C. IV.— 7. Hebr X, 14. — 8. Io. I, 29. — 9. Hier. XI, 19. — 10. Ad 3m.

Quae cum ita sint, hic proprie quaeritur quisnam fuerit huius singularis sacrificii, et consequenter Christi sacerdotii, effectus.

2. — PROP. — **Christi sacerdotium habet plenam vim expiandi peccata.**

Hanc veritatem ita exponit S. Paulus[1] : *Sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* Quem locum commentans Estius, ait : *Quondam, inquit* (S. Paulus), *sanguis hircorum et vitulorum effusus et in sanctuarium illatus per pontificem, valebat ad expianda populi peccata quadam expiatione carnali; similiter et cinis vaccae rufae, quo aqua mixto respergebantur ii, qui secundum legem erant immundi, valebat ad sanctificandos eos, id est, purificandos ab immunditia, ut secundum carnem et forinsecus mundi essent. Quanto magis igitur Sanguis ipsius Christi, qui auctore et impulsore Spiritu Sancto semetipsum agnum immaculatum in mortem Deo pro nobis obtulit, emundabit animas nostras a peccatis mortiferis, ut Deo vivo in vera sanctitate et iustitia serviamus ?*

3. — **Prob. ratione theol.** — Cum in peccato duo sunt : scilicet macula culpae et reatus poenae, ad perfectam peccatorum emundationem duo requiruntur : ut deleatur macula culpae, et ut tollatur reatus poenae. Et macula quidem deletur per gratiam, qua cor peccatoris convertitur in Deum ; reatus autem poenae totaliter tollitur per hoc quod homo Deo satisfacit. Atqui per sacerdotium Christi utrumque efficitur : nam et virtute ipsius gratia nobis donatur, qua corda nostra convertuntur ad Deum, iuxta illud[2] : *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius.* Rursus Christus pro nobis plenarie satisfecit, in quantum *vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit*[3]. Ergo sacerdotium Christi plenam vim expiandi peccata habuit[4].

Hinc in Hymno Paschatis canit Ecclesia :

1. Hebr. IX, 14. — 2. Rom. III, 24. — 3. Isa. LIII, 4. — 4. Argumentum hoc prosecuti sumus in citato Opusc. : *L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain,* § V, et seqq., 1906.

O vera caeli victima,
Subiecta cui sunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitae praemia.

4. — ***Corollarium.** — Ex quo patet longe a vero abesse Socinianos, dum contendunt effectum sacerdotii Christi repositum fuisse tantummodo in praedicatione, consilio et exemplo. — Nec obstat quod Christus sacerdotium non gesserit, nisi ut erat homo, delere autem iniquitates ad Deum pertineat, secundum illud[1] : *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me,* — nam unus idemque fuit Christus, homo sacerdos et Deus, sicut in Synodo Ephesina legitur[2] : *Si quis Pontificem et Apostolum nostrum dixerit non fuisse ipsummet Verbum quod ex Deo est, cum factum est caro et homo propter nos, quasi alterum esset ab illo qui specialiter fuit homo ex muliere, A. S.*[3].

Quocirca, sacrosancta Christi humanitas operabatur in virtute divinitatis, etiam in delendis peccatis ; et ideo sacrificium Christi efficacissimum erat ad tollenda peccata. Unde Augustinus dicit[4] : *Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio : cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat.*

5. — ***Scholion.** — Comparatione instituta inter Veteris et Novae Legis sacrificium, dicendum est illud non perfectam operationem habuisse, hoc autem perfectissimam. Ex quo sequitur quod, propter inefficaciam illius sacrificii, fiebat per singulos annos commemoratio peccatorum ; insuper sacrificium illud iterari saepius necesse erat, quod exprimit S. Paulus[5] : *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere ; alioquin cessassent offerri; ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel*

1. Is. XLIII, 25. — 2. Part. III, c. I, can. 10. — 3. Cf. supra, Vol. I. p. 164. — 4. L. IV de Trin., c. 14. — 5. Hebr. X, 1-3.

mundati; sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.

Sacrificium autem Novae Legis unum tantummodo est, et cultores perfecte purgat a peccatis. Quod si peccata commemorantur, sicut ubi dicere iubemur : *Dimitte nobis debita nostra*[1], hoc non est propter inefficaciam sacerdotii Christi, quasi per ipsum non sufficienter expientur peccata; sed huiusmodi commemoratio fit, vel quantum ad illos qui huius sacrificii participes esse nolunt, ut sunt infideles, pro quibus oramus ut convertantur, vel etiam quantum ad illos qui, post huius sacrificii participationem, ab eo qualitercumque peccando deviant. — Quod vero continue ab Ecclesia sacrificium offertur, non ideo est quasi sit aliud sacrificium a sacrificio quod Christus obtulit, *una enim eademque est hostia,* ait Concilium Tridentinum[2], *sola ratione offerendi diversa;* sed hoc sacrificium quotidianum est commemoratio sacrificii Crucis, non quidem nuda commemoratio, ut contendunt protestantes, sed quae rem signatam continet; unde Augustinus ait[3]: *Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio; cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium*[4].

ARTICULUS IV. — *Utrum effectus sacerdotii Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad ipsum.*

1. — Praenotandum. — Ad huius dubii solutionem praemittere iuvabit quod illud, quod in oblatione sacrificii cuiuscumque sacerdotis provenit, derivari potest aut *ex sacrificio oblato,* aut *ex devotione offerentis.* Porro, quod Christus gloriam resurrectionis meruerit ex devotione qua secundum charitatem humiliter passionem sustinuit, non ambigitur; sed quia proprius effectus sacerdotii est id quod sequitur ex ipso sacrificio, hinc dubitatur utrum ex vi sacrificii, quod per modum satisfactionis offerebatur, Christus effectum illius in se obtinuerit. Cum igitur iam constiterit Christum, per passionem suam aliquid meruisse, non solum nobis sed etiam sibi, hinc proprie hic quaeritur utrum effectum sui sacerdotii ex oblato sacrificio in semetipso receperit[5].

1. Matth. VI, 12. — 2. Sess. XXII, cap. 2. — 3. L. X de Civ. Dei, cap. 20. — 4. Ad 2^m. — 5. Cf. Ibid.

2. — PROP. — **Christo α) non convenit effectum sacerdotii sui in se simpliciter suscipere, sed β) tantum secundum quid.**

Haec propositio *de fide* est, ita tradita in Concilio Ephesino[1]: *Si quis asserat* (Christum) *etiam pro semetipso obtulisse sacrificium, et non potius pro nobis solis, non enim ipsi opus fuit oblatione qui peccatum nescivit, A. S.* Atqui sacerdotis officium potissime consistit in offerendo sacrificio. Ergo sacerdotium Christi effectum in ipso Christo non habuit. Et S. Cyrillus addit[2]: *Pontificem confessionis nostrae pro seipso semetipsum Deo et Patri obtulisse, omnino a recta est et inculpata fide alienum, peccatum enim non fecit : qui vero superior est omni delicto, et prorsus expers peccati, oblatione pro se nulla opus habuit.*

3. — **Prob. 1ª Pars.** — **I.** Sacerdoti qui potest per seipsum ad Deum accedere, non convenit ut recipiat in se simpliciter effectum sui sacerdotii : sacerdos enim constituitur medius inter Deum et hominem, unde ille qui potest per seipsum accedere ad Deum non indiget ut effectum sacerdotii sui recipiat. Atqui Christus potest per seipsum accedere ad Deum, cum alii homines nonnisi per Christum ad Deum accedant, iuxta illud[3]: *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ergo sui sacerdotii effectum Christus simpliciter non suscepit.

II. Ei qui est fons sacerdotii non competit effectum sacerdotii recipere: nam primum agens in quolibet genere ita est influens, quod non sit recipiens in ordine illo, sicut sol illuminat et non illuminatur, et ignis calefacit sed non calefit. Atqui Christus est fons totius sacerdotii : sacerdotii quidem legalis, quia legale sacerdotium erat figura sacerdotii Christi, sacerdotii quoque Novae Legis, quia Novae Legis sacerdotes operantur ex persona Christi : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*[4] ; unde potius convenit Christo aliis communicare effectum sacerdotii sui, quam illum in se suscipere.

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Dicitur Christus secundum quid

1. Part. III. cap. 1. can. 10. Cf. supra, Vol. 1. p. 164. — 2. 3. In. eod. Conc., cap. 2. — 3. Hebr. VII, 25. — 4. 2 Cor. II, 10.

effectum sui sacerdotii suscepisse, quia etiam pro semetipso oravit. Legimus enim[1]: *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens*, etc. Fundere autem orationes pro populo ad officium sacerdotis pertinet: *Sacerdotes autem psallebant hymnos, usquequo consummatum esset sacrificium*[2].

Revera non sunt audiendi qui dicunt orationem, licet sacerdoti conveniat, non tamen ipsi ratione officii convenire, sed lege quadam communi omnibus, insinuata a S. Iacobo apostolo[3]: *Orate pro invicem ut salvemini;* unde argumentum ducunt ad concludendum quod oratio qua Christus pro se oravit non fuit actus sacerdotii eius. Cui opponitur auctoritas Apostoli, qui cum dixisset[4]: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, mox subdit[5]: *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque*, etc.; evidenter ostendens quod orare sacerdoti ratione officii conveniat, et consequenter, quod orationes quas Christus fudit, ad sacerdotium eius spectabant.

Oravit autem pro se Christus, sed non simpliciter, verum secundum passibilitatem carnis: dicit enim idem Paulus signanter: *Qui possit illum salvum facere a morte:* unde aliquatenus effectum sui sacerdotii in se suscepit. Sed quia, simpliciter loquendo, peccatum non habuit, sed tantum similitudinem peccati, ideo effectum sui sacerdotii per modum satisfactionis simpliciter non suscepit, sicut alii sacerdotes qui effectum sui sacerdotii participant, non solum in quantum similitudinem peccati habent, sed etiam rem ipsam[6].

5. — ***Corollarium.** — Ex quibus etiam apparet, quam superius sit sacerdotium Christi, qui sacrificio non indiguit, sacerdotio figurali Veteris Legis, quod non poterat ad hanc perfectionem pertingere, ut illius ministri sacrificio satisfactorio non indigerent, figura enim nequit adaequare veritatem; unde sacerdotes Veteris Legis non solum pro aliis, sed etiam pro seipsis sacrificium offerebant, ut dicitur[7]: *Pontifex sanctuarium ingreditur ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo coetu Israel, donec egrediatur;*

1. Hebr. V, 7. — 2. 2 Mach. I, 30. — 3. C. V, 16. — 4. Hebr. V, 6. — 5. Vers. 7. — 6. Ad 1^m. — 7. Levit. XVI, 17.

et S. Paulus testatur[1]: *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum*[2]. Quod autem dicitur de sacerdotio legali, valet etiam de sacerdotio ante Legem, scilicet de sacerdotio Melchisedech et Patrum[3].

ARTICULUS V. — *Utrum sacerdotium Christi permaneat in aeternum.*

1. — Praenotandum. — In officio sacerdotis duo possunt considerari: *primum*, ipsa sacrificii oblatio, et *secundum*, ipsa sacrificii consummatio. Et illa quidem consistit in actu quo sacerdos sacrificium peragit; haec vero consistit in hoc quod illi, pro quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur.

Porro, quod ad primum attinet, satis compertum est Christi sacrificium finem iam habuisse: siquidem sacrificium Christi praecipue manifestatum est in eius passione et morte, quae in aeternum non durat, quandoquidem *Christus resurgens a mortuis iam non moritur*[4], ideoque passio et mors Christi iterandae non sunt[5]. Accedit quod Christus est sacerdos, non secundum quod Deus, sed secundum quod homo; sed Christus quandoque non fuit homo, scilicet in triduo mortis[6]. Quapropter tota hic quaestio versatur circa sacerdotium Christi consideratum per respectum ad sacerdotii consummationem.

2. — PROP. — Sacerdotium Christi, habito respectu ad eius consummationem, vere manet in aeternum.

Prob. Consummatio sacrificii consistit in hoc, quod illi, pro quibus sacrificium offertur, illius finem consequuntur. Atqui finis sacrificii quod Christus obtulit, non fuerunt bona temporalia, sed aeterna quae per eius mortem adipiscimur, iuxta illud[7]: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*. Ergo sacerdotium Christi, ratione consummationis, vere manet in aeternum, secundum quod dicitur[8]: *Tu es sacerdos in aeternum*.

1. Hebr. VII, 28. — 2. Ad 3m.— 3. Cf. Caiet. — 4. Rom. VI, 9. — 5. Ad 2m.— 6. Ad 3m. — 7. Hebr. IX, 11.— 8. Ps. CIX, 4.

Revera, licet sancti in patria non amplius habituri sint infirmitatem peccati quae per sacerdotis sacrificium expiari debeat, unde dicitur[1] : *Populus tuus omnes iusti*, et, ex adverso, damnatorum infirmitas inexpiabilis sit futura, quia *in inferno nulla est redemptio*[2], tamen sancti iam expiati indigebunt consummari per ipsum Christum, a quo gloria eorum dependet; unde dicitur[3]: *Claritas Dei illuminavit eam* (civitatem sanctorum), *et lucerna eius est Agnus*[4]; et iterum[5]: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, quasi virtus illius hostiae semel oblatae permaneat in aeternum[6].

3. — ***Scholion**. — Consummatio sacrificii Christi bene praefigurabatur per ritum Legis Veteris, cum Pontifex legalis intraret in Sancta Sanctorum, quod significat caelum, cum solemni oblatione sanguinis hirci et vituli, quae tamen animalia non in Sanctis Sanctorum, sed extra, immolata fuerant : sic igitur Christus semel ingressus est caelum, portans secum fructum pretiosissimi Sanguinis sui, aeternum duraturum, quem tamen non in caelo, sed in terra pro nobis effudit, ut nobis viam pararet intrandi in caelum per virtutem Sanguinis sui[7]. Deficiebat tamen illa figura a veritate, in hoc quod sacerdos legalis annuatim illam hostiam reiterare debebat, eo quod non haberet sempiternam virtutem.

4. — ***Quaestio**. — *An possit dici sacerdotium Christi manere in aeternum ratione personae et officii ?*

Resp. *Affirmative*. Ratione quidem *personae*, quia nec Christus cuiquam successit, nec ei quisquam successurus est, in hoc differens a sacerdotibus leviticis, qui *morte* (prohibebantur) *permanere*[8]. Ratione autem *officii*, quia Christus semper interpellat pro nobis, immo pro nobis sacrificat per ministros suos usque in aeternum, id est, usque in finem mundi[9].

1. Is. LX, 21. — 2. Brev. Rom. in Off. Defunct. VII Resp. — 3. Apoc. XXI, 23. — 4 Cf. ad 1^m. — 5. Hebr. X, 14. — 6. Ad 2^m. — 7. Cf. Levit. XVI. — 8. Hebr. VII, 23. — 9. Cf. Franc. Sylv. Propriam sacrificii Missae rationem eiusque cum sacrificio Crucis relationem exponit S. Thomas in 3 P., Qq. LXXXII et LXXXIII. Ubi cavere quis debet ne quidquam de physica Christi praesentia sub speciebus panis et vini subtrahat, ut nuperrime fecit M. Koch (*Annales de Phil. chrét.* Déc., 1903; juin, nov., 1904; mars, 1905. Cf. *Bull. de Litterat. ecclés. de Toulouse*, nov., 1905).

ARTICULUS VI. — *Utrum sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech.*

1. — Comparatio sacerdotii Christi cum sacerdotio Melchisedech. — S. Paulus, extollere cupiens Christi sacerdotium supra sacerdotium leviticum, ita scribit[1]: *Praecursor pro nobis introivit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in aeternum. Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi... cui et decimas omnium divisit Abraham,... sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* In quibus verbis innuitur excellentia quaedam sacerdotii Christi supra sacerdotium legale, propter quam excellentiam debet cum regio Psalte praedicari[2]

2. — PROP. – Christus est sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

Hanc veritatem ita tradit Concilium Tridentinum[3]: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans* (Christus), *corpus et sanguinem suum... Deo Patri obtulit.*

Revera, duplex invenitur in sacerdotio Christi supra sacerdotium legale excellentia, et quidem significata per sacerdotium Melchisedech: altera ratione *originis*, altera ratione *effectus*.

α) Ratione *originis:* nam Filius Dei in terris est sine patre, et in caelis sine matre et sine genealogia, secundum illud[4]: *Generationem eius quis enarravit ?* et secundum divinitatem, neque principium, neque finem dierum habet, in quibus dicitur Melchisedech assimilatus, de quo eadem praedicantur, non quod ista ille non habuerit, sed quia de eo in Sacra Scriptura non leguntur[5], unde non per carnalem traductionem, sed directe a Deo, Christus, sicut olim Melchisedech, sacerdotium recepit.

β) Ratione *effectus*, sive participationis huius sacrificii: nam in Nova Lege verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub speciebus panis et vini, qua de causa sacrificium istud non sine communione perficitur; pariter in sacrificio Melchisedech panis et

1. Hebr. VI, 20; VII, 1, 2, 3. — 2. Ps. CIX, 4. — 3. Sess. XXII, c. 1. — 4. Is. LIII, 8. — 5. Ad 3^{m}.

vinum fuerunt oblata, *significantia*, ut Augustinus dicit[1], *ecclesiasticam unitatem, quam constituit participatio sacrificii Christi*[2]: haec autem participatio non ita perfecte significabatur in sacrificio Veteris Legis.

3. — ***Corollarium.** — Quapropter, propter excellentiam veri sacerdotii Novae Legis supra figurale sacerdotium Veteris Legis, sacerdotium Christi dicitur esse secundum ordinem Melchisedech, non quasi secundum ordinem principalioris sacerdotis, Christus enim est fons totius sacerdotii tanquam principalis sacerdos, illud autem quod est principale non sequitur ordinem alterius sed potius alia sequuntur ordinem illius; sed sacerdotium Christi dicitur esse secundum ordinem Melchisedech, quasi praefigurantis excellentiam sacerdotii Christi supra sacerdotium legale[3].

4. — ***Tacita obiectio.** — Nec huic obstat quod sacerdotium Veteris Legis fuerit propinquius sacerdotio Christi, quam sacerdotium quod fuit ante Legem: unde secundum hoc potius videretur denominandum Christi sacerdotium, quam secundum illud, cum sacramenta tanto expressius significaverint Christum, quanto propinquiora ipsi fuerunt: — hoc enim aliud non evincit, nisi quod sacerdotium Christi expressius fuerit figuratum per sacerdotium legale quam per sacerdotium Melchisedech quantum ad ipsam oblationem quae in sacerdotio habetur, quae oblatio sub Lege fuit cum sanguinis effusione seu cruentum, ante Legem vero incruentum: sed quantum ad ipsam sacerdotii originem et sacrificii participationem, quae duo in sacerdotio potissime attenduntur, potior est similitudo sacerdotii Novae Legis cum sacerdotio Melchisedech[4].

5. — **Scholion.** — Haec excellentia veri sacerdotii supra sacerdotium legale fuit in Scriptura praenuntiata per hoc quod Melchisedech, rex Salem, ab Abraham decimas sumpsit, in cuius lumbis decimatus est quodammodo sacerdos legalis, eumque benedixit. — *Intuemini autem quantus sit hic*, argumentatur S. Paulus[5], *cui et decimas dedit de praecipuis Abraham patriarca. Et quidem de*

1. Tract. XXVI, in Io. — 2. Ad 3^m. — 3. Ad 1^m. — 4. Ad 2^m. — 5. Hebr. VII, 4, sqq.

filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis : quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahae. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habebat repromissiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur[1].

1. Egregie rem hanc prosequitur Petavius, dum scribit (de Incarn., l. XII, c. 12, n. 4) : *Celebris est, et usu omnium detritus ille Psalmi CIX locus, in quo insigniter de Christi sacerdotio sic Propheta vaticinatur : Iuravit Dominus et non poenitebit eum ; tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Sed ea Christi sacerdotis ad Melchisedecum accommodatio dupliciter fit : vel* κατὰ τὸ πρόσωπον, *vel* κατὰ τὸ ὑποκείμενον; *hoc est vel ratione personae vel ratione subiecti, quod est oblata res et in sacrificium impensa... Ut a contentione personarum ordiar, idem Apostolus multa et praeclara de Melchisedeco narrat, quae ad Christum referuntur. Ea vero quattuor capitibus comprehendi possunt. Primum in appellatione consistit tam ipsius, quam civitatis, in qua regnabat; quod et nomen illius regem iustitiae significet : et nomen urbis regiae, pacem. Secundum quod rex idem sine patre, sine matre, sine genealogia fuerit. Nimirum quia parentum illius nomina Scriptura praetermisit; quod ad mysterium trahit Apostolus. Quare duo priora vocabula* ἀπάτωρ *et* ἀμήτωρ *per postremum explicantur* ἀγενεαλόγητος : *ut interpretes omnes et christiani Patres consentiunt, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus, Primasius, et alii ad illum Pauli locum... In hoc ergo Christi figuram adumbravit, cuius neque pater ullus revera fuit, qua homo est; neque mater, qua Deus : ut exponit Theodoretus... Tertia ratio similitudinis, quod nec initium, nec finis commemoretur in Scriptura Melchisedeci : quae revera nulla omnino Christus habuit. Quartum in Melchisedeco singulare est, quod et Abrahamo antecelluit, quatenus decumas ab eo de manubiis regum accepit, eique benedixit potior. Est autem qui benedixit illo, cui benedicitur et Aaroni ipsi praestitit. Siquidem Abrahami de stirpe propagatus est Levi, ex quo descendit Aaron. Unde colligitur sacerdotium Melchisedeci excellentius esse Aaronico sacerdotio...* — Ex libris de sacerdotio tractantibus digni sunt qui specialiter recenseantur S. Ioannis Chrysos. περὶ ἱερωσύνης, *de Sacerdotio*, et Card. Manning, *The Eternal Priesthood*, quibus operibus nil salubrius, nil ad vitam sacerdotalem rite informandam accommodatius.

QUAESTIO XXIII

DE ADOPTIONE CHRISTI, AN CHRISTO CONVENIAT

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Eorum quae Christo convenire possunt per comparationem ad Patrem, in quantum de eo dici possunt aut non possunt secundum habitudinem Patris ad ipsum, primum est an Pater eum adoptaverit: quae quaestio logico nexu cum praecedente colligatur, cum in ipsa propria ratio et existentia adoptionis nostrae replicetur, quae est proprius effectus sacerdotii Christi, licet Christus ipse minime praedicandus sit Filius Dei adoptivus: unde in titulo non simpliciter quaeritur *de adoptione Christi*, sed cum additione: ***an ei conveniat***.

2. — Ordo quaestionis. — Duo igitur hic erunt perpendenda: alterum generale, circa adoptionem in communi (1-3), alterum speciale, circa adoptionem relate ad Christum (4). Et primum quidem duo iterum complectitur, secundum quod consideratur adoptio in se (1), aut relate ad personam (2-3), hinc quidem adoptantem (2), illinc vero adoptatam (3).



Hic igitur quaeruntur quatuor:

Primo. Utrum Deo conveniat adoptare filios.

Secundo. Utrum hoc conveniat soli Deo Patri.

Tertio. Utrum sit proprium hominum adoptari in filios Dei.

Quarto. Utrum Christus possit dici filius adoptivus.

ARTICULUS I. — *Utrum Deo conveniat filios adoptare.*

1. — Quid sit adoptio. — Quod Filius Dei naturam humanam aut carnis humilitatem adoptaverit adoptione latiori modo intellecta, non est ambigendum : sed dubitatur de adoptione proprie accepta, prout a iurisconsultis definiri solet : *Extraneae personae in filium et haeredem assumptio.* Qua in definitione, *assumptio* significat actum liberum et gratuitum ; nomine autem *personae extraneae,* importatur persona, quae necessario et intimo consanguinitatis vinculo cum adoptante non adstringatur ; *in filium* autem talis persona assumitur affectu et muneribus ; *in haeredem* quoque, ita quod iura domus et haereditatis ad ipsam perveniant, quin alio titulo opus sit. Quapropter, filiatio adoptiva distinguitur a filiatione naturali, in hoc quod haec physica est et realis, illa autem nonnisi secundum opinionem et fictionem quamdam iuris habetur.

2. — Quid sit iustificatio. — Porro, quia per iustificationem homo in filium Dei adoptatur, ideo recolendum est quod, iuxta Concilium Tridentinum[1], iustificatio est *translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Salvatorem nostrum; quae quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

3. — PROP. — Deo convenit homines adoptare, id est facere sibi filios adoptivos.

Haec veritas saepius resonatur in divinis Scripturis, verbi gratia[2]: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum,* quae praedestinatio Dei nequit esse irrita : ergo filios adoptare Deo convenit. Pariter ius haereditatis aeternae, quod est adoptionis finis, hominibus repromittitur[3] : *Si filii, et haeredes ;* et de homine regenerato concluditur[4] : *Itaque iam non est servus, sed filius ; quod si filius, et haeres per Deum.*

1. Sess. VI, cap. 4. — 2. Eph. I, 5. — 3. Rom. VIII, 18. — 4. Gal. IV, 7.

4. — Prob. rat. theol. — Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis haereditatem. Atqui hoc est homines adoptare. Ergo Deo ex sua bonitate competit homines adoptare.

Maior ostenditur ex analogia adoptionis divinae cum adoptione humana. Aliquis homo adoptat alium sibi in filium, in quantum ex sua bonitate illum admittit ad participationem suae haereditatis. Porro, Deus est infinitae bonitatis. Ergo, ad ipsum maxime pertinet admittere suas creaturas ad participationem suae haereditatis, sive bonorum suorum. Sed bona Dei sunt beatitudo divina : ergo, ad Deum pertinet admittere ad participationem suorum bonorum maxime creaturas rationales, quae cum ad imaginem Dei factae sint, beatitudinis divinae capaces existunt.

Quae quidem beatitudo constituit haereditatem Dei. Haereditas enim alicuius est id ex quo ipse est dives; divitiae autem Dei praecise in sua beatitudine consistunt, quia beatitudo consistit in fruitione Dei, per quam etiam ipse Deus beatus est et per seipsum dives, in quantum seipso fruitur. Unde Deus admittens homines ad partipationem suae beatitudinis, admittit eos ad suam haereditatem et per hoc eos adoptare dicitur.

5. — Discrimen inter adoptionem penes Deum et adoptionem penes homines. — **I.** Ex parte *adoptantis*. Plus habet adoptio divina quam humana : nam Deus hominem cum adoptat, idoneum facit per gratiae munus ad haereditatem caelestem percipiendam, homo vero non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum iam idoneum eligit adoptando.

II. Ex parte *subiecti adoptati*. Homo adoptat aliquem qui sibi extraneus est secundum originem : a Deo autem sic secundum originem nulla persona est extranea, cum ipse sit omnium creator; ideoque, quantum ad esse et naturalia bona sua, nullus homo est a Deo extraneus et ita a Deo non adoptatur; sed omnis homo est extraneus a Deo, quantum ad bona gratiae et gloriae, et secundum hoc tantum adoptatur[1].

III. Ex parte *filiationis*. Filiatio adoptiva introducta videtur in defectum filiationis naturalis, filiatio autem divina est ex abundantia bonitatis Dei. Haec enim invenitur differentia inter

1. Ad 1[m].

hominem et Deum, quod hominis est operari ad supplendam suam indigentiam, Dei autem nonnisi ad communicandam suae perfectionis abundantiam. Unde, sicut per actum creationis communicatur omnibus creaturis divina bonitas secundum quamdam similitudinem, ita per actum adoptionis communicatur hominibus similitudo naturalis filiationis, secundum illud[1]: *Quos praescivit... conformes fieri imaginis Filii sui*[2].

IV. Ex parte *haereditatis*. Quia bona corporalia a pluribus simul possideri non possunt, ideo corporalem haereditatem nullus percipere potest, nisi succedat decedenti : spiritualia autem bona non minuuntur ex hoc quod a pluribus possidentur : ideoque spiritualem haereditatem, etiam Patris semper viventis, omnes adoptati ex integro simul accipere possunt sine ullo detrimento : quapropter tota haereditas a singulis adoptatis, imo et ab adoptante ipso possidetur. — Quod si quis faciat vim in conditione ad haereditatem capiendam requisita, nempe ut intercedat mors testatoris, potest dici quod Deus decedit secundum quod est in nobis per fidem, ut incipiat in nobis esse per speciem, ut in Glossa[3] exponitur[4].

6. — ***Scholion.** — Reprobi etiam, pro eo tempore quo iustificationis dono gaudent, sunt filii Dei per adoptionem, habent enim gratiam sanctificantem, et consequenter ius ad haereditatem coelestem ipsis ex naturali origine non competentem, cum habeant Spiritum Sanctum qui est *pignus haereditatis nostrae*[5], et cum Spiritu Dei acti, sint et ipsi filii Dei[6], licet peccando mortaliter iure quod habent aliquando excidere debeant. E contra praedestinati, pro eo tempore quo carent gratia divina, actu non sunt filii Dei adoptivi, sed tantummodo potentia. Sancti quoque Veteris Testamenti filii Dei adoptivi dicendi sunt, cum clare Paulus significet[7] quod ad eos quoque pertinet *adoptio filiorum*, licet non tam perfecte. — Quod si idem Apostolus[8] oppositionem facit inter Iudaeos et Christianos, quod illi *spiritum servitutis*, hi autem *spiritum adoptionis filiorum* receperunt, hoc ideo dicitur propter differen-

1. Rom. VIII, 29. — 2. Ad 2^m. — 3. Super illud Rom. VIII, 17 : *Si filii, et haeredes.* — 4. Ad 3^m. — 5. Eph. I, 14. — 6. Rom. VIII, 14. — 7. Ibid. IX, 4. — 8. Ibid. VIII, 15.

tiam legis utriusque, cum Vetus Lex graves ac multiplices poenas infligeret, Nova autem gratiam contineat.

ARTICULUS II. — *Utrum adoptare conveniat toti Trinitati.*

1. — Ratio articuli. — Cum omnia opera ad extra ad totam Trinitatem pertineant, iam ex hac parte satis apparet, adoptare, quod profecto opus ad extra est, toti Trinitati convenire debere. Itaque praesentis articuli intentio est potius ut declaretur qua ratione adoptio sit opus ad extra, et quomodo, stante veritate quod opus istud toti Trinitati convenit, salvetur quod appropriatur, utique secundum diversas rationes, singulis personis.

2. — PROP. — **Adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati.**

Prob. Facere effectum quemcumque in creaturis, commune est toti Trinitati. Atqui adoptare homines in filios Dei est facere effectum in creaturis. Ergo est commune toti Trinitati.

Maior prob. Quilibet effectus in creaturis fit a Deo secundum unitatem naturae : quod enim fit secundum relationes, ad divinas processiones ad intra pertinet. Atqui ubi est una natura, ibi oportet ut sit etiam una virtus et una operatio. Ergo quilibet effectus in creaturis a Deo fit ut unus est in Trinitate. Hinc dicit Christus[1] : *Quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.*

Minor prob. Haec est differentia inter Filium Dei naturalem et filium Dei adoptivum, quod ille est genitus, non factus; hic autem est factus, secundum illud[2]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quod si quando filius adoptivus et ipse dicitur genitus, hoc est propter spiritualem regenerationem quae gratuita est, non naturalis; unde ait S. Iacobus[3] : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Ergo adoptare homines in filios Dei est facere effectum in creaturis ; dum e contra generare, proprie acceptum, est proprium personae Patris.

3. — *Confirmatur. — Eius est nos adoptare in filios, quem

1. Io. V, 19. — 2. Ibid. I, 12. — 3. C. I, 18.

nos Patrem possumus nominare, dicitur enim[1] : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater.* Atqui cum Deo dicimus : *Pater noster*, nominamus totam Trinitatem ; nam omnia nomina quae dicuntur de Deo relative ad creaturam, quale est in hoc casu nomen *Pater*, non personaliter sed essentialiter sumptum, pertinent ad totam Trinitatem, ut alibi dicitur[2]. Ergo adoptare convenit toti Trinitati.

4. — Corollaria. — I. Ex quo sequitur quod per adoptionem efficimur fratres Christi, secundum illud[3] : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, quasi eumdem Patrem cum ipso habeamus ; sed tamen alio modo Deus est *Pater Christi* et *Pater noster;* unde signanter Dominus dixit seorsum[4] : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum;* est enim Pater Christi, illum naturaliter generando, quod est proprium primae personae ; est autem Pater noster voluntarie aliquid faciendo, quod est commune tribus personis divinis : et ideo Christus non est Filius totius Trinitatis sicut nos[5].

II. Quocirca ex hac parte invenitur discrimen inter adoptionem quae est penes homines, et adoptionem quae est penes Deum. Penes nos enim illi soli convenit adoptare, qui potest filios generare, in Deo autem ad tres divinas personas spectat adoptare. Cuius discriminis ratio in eo sita est quod omnes personae humanae non sunt unius naturae secundum numerum, ita quod possit esse una omnium operatio tantum et unus effectus ; sed hoc in Deo accidit, quod una numero est trium natura divina et consequenter una operatio et unus effectus[6].

5. — Scholion. — Licet adoptio sit communis toti Trinitati, tamen appropriatur Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis similitudinem huius exemplaris.

Revera, sicut omnia quae in tempore facta sunt, similitudines quaedam sunt eorum quae ab aeterno fuerunt, ita filiatio adoptiva nostra est quaedam similitudo filiationis naturalis aeternae : ideo homo regeneratus assimilatur splendori aeterni Filii per

1. Rom. VIII, 15. — 2. Cf. Tract. DE SSMA TRINITATE, Quaest. XXXIII, art. 3; et Quaest. XXXIX, art. 7, — 3. Rom. VIII, 29. — 4. Io. XX, 17. — 5. Ad 2^m. — 6. Ad 1^m.

gratiae claritatem, quae attribuitur Spiritui Sancto. Quapropter Patri appropriatur adoptio tanquam auctori, tum quia ei potentia appropriatur, tum quia misit Filium in mundum causam exemplarem nostrae adoptionis. Spiritui Sancto autem appropriatur, ut imprimenti in nobis gratiam habitualem et caetera dona quae proveniunt ex Dei bonitate, quae Spiritui Sancto appropriatur. Filio vero specialiter appropriatur, tum quia nostra filiatio adoptiva similitudinem quamdam habet cum eius filiatione naturali, tum quia, ut homo, hanc filiationem nobis promeruit. Hinc legimus[1] : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. Itaque, iam non est servus, sed filius ; quod si filius, et haeres per Deum*[2].

ARTICULUS III. — *Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturae.*

1. Ratio articuli. — Iam ex primo articulo generaliter resultat quod adoptari sit proprium creaturae rationalis, cum dictum sit quod sola creatura rationalis capax est haereditatis beatitudinis divinae, quae terminus est filiationis adoptivae ; replicatur tamen hic ex professo eadem veritas, ut determinetur quanam ratione adoptio naturae rationali conveniat, utrum scilicet secundum naturam an secundum gratiam.

2. — PROP. — **Adoptari soli creaturae rationali convenit charitatem habenti.**

Prob. Filiatio adoptiva est quaedam similitudo filiationis naturalis. Atqui similitudinem cum filiatione naturali Verbi habet sola creatura rationalis charitate ornata. Ergo soli creaturae rationali charitatem habenti convenit adoptari.

3. — Declaratur. — Filius Dei naturalis a Patre procedit ut *Verbum intellectuale unum cum Patre existens*. Porro, huic Verbo potest aliquid tripliciter assimilari. — *Uno modo*, secundum ratio-

1. Gal. IV, 4-7. — 2. Ad 3[m].

nem formae, non autem secundum intellectualitatem ipsius, quemadmodum forma domus exterius constitutae assimilatur verbo mentali artificis secundum speciem formae, non autem secundum intellectualitatem, forma enim domus in materia non est intelligibilis, sicut est in mente artificis. Hoc modo quaelibet creatura assimilatur Verbo aeterno, cum sit per Verbum facta. — *Secundo modo* creatura assimilatur Verbo, non modo quantum ad rationem formae, sed etiam quantum ad intellectualitatem ipsius, sicut scientia quae fit in mente discipuli, assimilatur verbo quod est in mente magistri, et hoc modo creatura rationalis, etiam secundum suam naturam, assimilatur Verbo Dei. — *Tertio modo* creatura assimilatur Verbo Dei aeterno, etiam secundum unitatem quam Verbum habet ad Patrem, quod fit per gratiam et charitatem; unde Dominus Noster orabat[1] : *Ut et ipsi in nobis unum sint... sicut et nos unum sumus.*

Quapropter similitudinem cum filiatione naturali habet sola creatura rationalis charitate ornata; unde talis assimilatio perficit rationem adoptionis, ideoque sic assimilatis debetur haereditas aeterna, et ita adoptari convenit soli creaturae rationali, non tamen omni, sed solum habenti charitatem, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*[2], et propter hoc Spiritus Sanctus dicitur[3] *Spiritus adoptionis filiorum.*

4. — Scholia. — I. Si quando Deus dicitur pater creaturae irrationalis, sicut in illo loco[4] : *Quis est pluviae pater et quis genuit stillas roris?* — non ita dicitur proprie per adoptionem, sed per participationem similitudinis tantummodo secundum rationem formae, non autem secundum intellectualitatem ipsius[5].

II. Ex descriptione filiationis adoptivae mox tradita, sequitur et angelos dici filios Dei adoptiva filiatione : non, ut notat S. Doctor, quia ipsis primo conveniat, sed quia ipsi prius adoptionem filiorum receperunt. Hinc legimus[6] : *Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino,* etc.; et[7] : *Cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei ;* quod autem S. Paulus[8]

1. Io. XVII, 21, 22. — 2. Rom. V, 5. — 3. Ibid. VIII, 15. — 4. Iob. XXXVIII, 28. — 5. Ad 1^m. — 6. Iob. I, 6. — 7. Ibid. XXXVIII, 7. — 8. Hebr. I, 5.

negat angelum vocari filium Dei, hoc referendum est ad filiationem naturalem quae soli Christo Domino competit. Ex quo apparet ad filiationem adoptivam non esse necesse ut quis aliquando caruerit gratia, aut in mortali peccato fuerit, cum constet angelos bonos ab initio suo gratiam habuisse, ex qua nunquam exciderunt; sed hoc tantum requiritur, nempe quod non ex vi suae naturae gratiam habeat aut ius ad haereditatem aeternam[1].

III. Quando dicitur proprium esse rationalis creaturae gratiam habentis adoptari, hoc non debet intelligi quasi adoptio sit proprium consequens naturam, sed potius quasi sit consequens gratiam, cuius sola creatura rationalis capax existit, ideoque non omni creaturae rationali convenit[2], unde multi sunt hospites et advenae; sed cum quis charitatem recipit, transit de potentia in actum; hinc, de regeneratis per gratiam ait S. Paulus[3]: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum,* et[4]: *Vos qui eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi;* et ad Galatas scribens, ait[5] Abraham duos filios habuisse, unum de ancilla et unum de libera; nos autem non ancillae filios quae servit cum filiis suis, sed liberae; unde *secundum Isaac, promissionis filii sumus*[6].

ARTICULUS IV. — *Utrum Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus.*

1. — Ratio articuli. — Est hic sermo de adoptione proprie accepta secundum hucusque definita et declarata, non vero de adoptione improprie sumpta pro assumptione et unione humanae naturae ad personam Filii; ad quam respiciens Hilarius dicebat[7]: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*[8], si haec quidem lectio, ut Petavio placet, velit retineri: non desunt enim qui, post Hincmarum et Alcuinum, verbum *adoptatur* mendose dicunt irrepsisse, pro verbo *adoratur* in originalibus exemplaribus posito[9].

1. Ad 2^m. — — 2. Ad 3^m. — 3. Eph. II, 19. — 4. Ibid., 13. — 5. C. IV, 22, 23, — 6. C. Vers. 28. — 7. L. II de Trin. — 8. Cf. ad 1^m. — 9. Cf. Franc. Sylv. h. l. Cf. etiam Petav., de Incarnat. l. VII, cc. 2, seqq.

2. — Errores. — Christum fuisse proprio sensu Filium Dei adoptivum docuerunt episcopi Felix et Elipandus, de quibus infra agemus[1]; sed nec defuerunt cum Durando qui censuerint in Christo, salva unitate personali, admitti posse, secundum humanitatem, filii adoptivi rationem. Quid de sententia Vasquez et Suarez, sit retinendum, postea dicetur. Porro, illa quidem prior positio est nestorianae haereseos renovativa; altera vero, licet falsa, tamen tanquam haereticalis non est habenda. Contra has sententias ponimus

3. — PROP. — Christus nullo modo potest dici Filius adoptivus.

Prob. α) Ex **S. Scriptura.** Ille quem Sacrae Scripturae vocant naturalem aut verum Dei Filium, nequit ullo modo dici Filius adoptivus: longe enim maius est esse Filium Dei naturalem aut verum, quam esse Filium Dei adoptivum. Atqui Christum Sacrae Scripturae iterato vocant naturalem aut verum Dei Filium. Ergo nullo modo dici potest Christus Filius adoptivus.

Revera Christus quaerens[2]: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* responsionem Petri[3]: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* laudavit et ratam habuit. Rursus ad Christum vox illa Patris facta est[4]: *Hic est Filius meus dilectus.* Pariter de eo nascituro praedicitur[5]: *Filius Altissimi vocabitur.* et mox subiungitur[6]: *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Expresse quoque[7]: *Vidimus gloriam eius... quasi unigeniti a Patre;* et S. Paulus, quasi separans Filium Dei naturalem ab aliis eius filiis, ait quod Deus *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*[8]. Explicitius tamen adhuc dicitur[9]: *Ut... simus in vero Filio eius Iesu Christo.*

4. — Ex traditione. — Quocirca, S. Ambrosius ait[10]: *Adoptivum filium non dicimus filium esse natura, sed eum dicimus natura esse filium qui verus est filius.* Et iterum[11]: *Filius aut per adoptionem aut per naturam est: per adoptionem nos filii dicimur:*

1. Dissert. spec. post praes. quaest. — 2. Matth. XVI, 13. — 3. Ibid. 16. — 4. Matth. XVII, 5. — 5. Luc. I, 32. — 6. Vers. 35. — 7. Io. I, 14. — 8. Rom. VIII, 32. — 9. 1 Io. V, 20. — 10. L. de Incarn., c. VIII. — 11. L. I de Fid., cap. 9.

ille per veritatem naturae est. Et Hieronymus[1] : *Ille quidem* (Christus) *natura Filius est, nos vero adoptione.* Pariter Hilarius, quem supra citavimus, ait[2] : *Hic et verus et proprius est Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione ; nativitate, non creatione.* Et rursus[3] : *Donavit adoptionis nomen plurimis, sed iste mihi Filius.* Denique ex graecis sit S. Cyrillus Alexandrinus[4] : *Unus est Filius, unus Dominus Iesus Christus, et ante carnem et postquam homo apparuit.*

5. — Ex ratione theol. — Ille qui per se dicitur Filius Dei naturalis, non potest dici Filius Dei participative. Atqui Christus per se dicitur Filius Dei naturalis. Ergo non potest dici participative Filius Dei. Atqui adoptio est quaedam participata similitudo filiationis naturalis. Ergo Christus nullo modo potest dici Filius Dei adoptivus.

Maior est evidens. *Minor* declaratur. Filiatio proprie competit hypostasi vel personae, non autem naturae : unde in Trinitate filiatio dicitur proprietas personalis. Atqui in Christo non est alia persona vel hypostasis quam increata, cui convenit esse Filium Dei per naturam, et quae non est susceptiva relationis realis in tempore.

Huius rei ratio haec adsignari debet quod, quia adoptio est filiatio quaedam, filiatio autem respicit personam, non naturam, ideo nequit ille adoptari, qui Filius Dei naturalis est et sic persona divina. E contra, esse creaturam, aut etiam servitus vel subiectio ad Deum, non solum respicit personam, sed etiam naturam ; ideoque Christus, secundum quod homo, potest dici servus vel creatura, non autem Filius adoptivus[5]. — Re quidem vera, de ratione adoptionis est, ut adoptatus sit adoptanti extraneus, ita quod iste ad ius haereditatis non ex debito, sed ex liberalitate assumatur. Atqui, licet humanitas Christi secundum se sit Deo extranea, tamen persona in humanitate illa subsistens nullo modo est Deo extranea; et ita nequit filiatio adoptiva humanitati communicari, ita quod dicatur Christus, secundum quod est homo, esse Filius Dei adoptivus; quinimmo, ut homo, est Filius Dei naturalis, cui iure nativo haereditas divina competit.

1. In cap. I, ad Eph. — 2. L. III de Fide. — 3. L. VI. — 4. L. de recta fide ad Theod. — 5. Ad 3^m.

6. — *__Confirmatur.__ — In tantum Christus dici posset Filius Dei adoptivus, in quantum dici posset Filius Trinitatis. Atqui nullimode dici potest Filius Trinitatis. Ergo nec Filius Dei adoptivus.

Maior patet ex declaratione filiationis adoptivae. *Minor* ostenditur[1]. Quando aliquid de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est de eo dicendum secundum rationem imperfectam, sicut Socrates qui dicitur homo secundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo secundum illam significationem qua pictura hominis dicitur homo. Atqui Christus est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis ratione generationis aeternae, secundum quam est Filius Patris solius ; igitur quamvis secundum humanam naturam sit iustificatus, in quo attenditur in nobis filiatio adoptiva ad Trinitatem, non tamen dici debet Filius Dei ratione iustificationis, ideoque nec Filius Dei adoptivus, aut, quod idem est, Filius Trinitatis.

7. — *__Scholion.__ — Ad pleniorem huius rei evidentiam, explicandum est ex S. Doctore[2] quomodo non sit in Christo nisi unica filiatio admittenda, licet filiationis causa, quae est nativitas, in ipso duplicetur.

Cum nativitas sit quasi via ad naturam, potest attribui alicui et sicut subiecto et sicut termino. Sicut subiecto quidem, attribuitur ei quod nascitur, quod est hypostasis : generatur enim aliquis ut sit, esse autem est proprie rei subsistentis. Tanquam termino autem nativitas attribuitur naturae, quia terminus generationis et cuiuscumque nativitatis est forma, natura autem per modum formae significatur[3]. Natura igitur ad nativitatem comparatur sicut terminus ad motum ; motus vero secundum terminorum diversitatem diversificatur. Quocirca, cum in Christo sint duae naturae : una, quam accepit ab aeterno a Patre, altera quam accepit temporaliter a Matre, ideo duas nativitates Christo attribuere necesse est : unam qua aeternaliter natus est a Patre, alteram qua temporaliter natus est a Matre : uni enim subiecto plures transmutationes inesse possibile est, quae secundum diversos terminos variantur[4].

1. Ex quaest. XXXII, art. 3, huius partis. — 2. 3, Quaest. XXXV. — 3. Ibid., art. 1. — 4. Ibid., art. 2.

Porro, de filiatione in Christo agentes, si ad causam quidem filiationis, quae est nativitas, attendendum foret, essent profecto ponendae in eo duae filiationes, quemadmodum sunt in ipso duae nativitates. Sed filiatio maxime pertinet ad personam, est enim proprietas personalis, ideoque in Christo est una tantum filiatio, et haec quidem non adoptiva sed naturalis. Re quidem vera, filiatio est relatio; unitas vero vel pluralitas relationis non attenditur secundum terminos, secus oporteret ut homo quilibet haberet in se duas filiationes: unam qua referretur ad patrem, alteram qua referretur ad matrem, dum e contra unica relatione refertur quilibet homo ad patrem suum et ad matrem, propter unitatem causae; nam eadem nativitate nascitur ex patre et ex matre; et idem dicitur de magistro qui plures discipulos eadem doctrina docet, necnon de domino qui diversos subiectos eadem potestate regit.

Quantum ad diversitatem causae, non semper ista sufficit ad habendam diversitatem specificam relationum, sed requiritur ut causae huiusmodi sint specie differentes, sicut alia est relatio magisterii in uno eodemque magistro, si sit magister aliquorum in grammatica et aliorum, sive etiam eorumdem, in logica; e contra una est paternitatis relatio in eo qui est pater diversorum filiorum secundum diversos generationis actus: cum enim actus generationum, ex quibus, tanquam ex causa, oritur relatio, sunt iidem specie, et plures formae eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto, ideo non possunt plures paternitates esse in eo qui est pater plurium generatione naturali. Porro, alia est nativitas qua Christus est natus ex Patre ab aeterno, et alia specifice diversa qua est natus ex matre ex tempore: et hucusque oporteret dici esse in Christo duas filiationes: unam aeternam, aliam temporalem, et ut sic adoptivam. Sed subiectum filiationis non est natura sed persona: porro in Christo persona non est nisi aeterna, de cuius ratione est ut nulla relatio quae ex tempore dicitur sit realiter in ipsa: unde in Christo est realiter filiatio tantum aeterna, non autem filiatio temporalis, nec consequenter filiatio adoptiva.

Dicitur tamen Christus vere Filius Matris relatione quae in Christo non est res quaedam, sed quae cointelligitur relationi reali

maternitatis in Maria, sicut Deus dicitur vere Dominus relatione quae cointelligitur reali relationi qua creatura subiicitur Deo; sed nullo pacto dicitur Christus Filius Dei adoptivus, quia ad hoc esset necesse ut esset in Patre adoptante relatio quaedam realis, ad quam cointelligeretur relatio Christi ad ipsum; in Patre autem relatio realis ad Filium alia non est nisi paternitas, cui respondet in Filio realis relatio filiationis [1].

8. — Tacita obiectio. — Nec obstat quod Christus habuerit gratiam habitualem quae forma adoptionis est; effectus enim gratiae non est constituere aliquem filium adoptivum praecise in quantum est gratia, sed in quantum gratiam habens respicitur ut extraneus advocandus, gratia illum informante, ad hereditatem regni caelestis capiendam. Christus autem non ut persona extranea, sed ut idem cum Patre, et vi gratiae unionis, ius habuit ad hereditatem caelestem. Quocirca, cum dicitur Christus a S. Paulo [2] *primogenitus in multis fratribus*, hoc non debet intelligi quasi ipsemet sit filius adoptivus sicut sunt eius fratres, Christus enim est primogenitus per filiationem naturalem, non per gratiam adoptionis; sed dicitur Christus primogenitus inter fratres, ut ostendatur quamdam derivationem filiationis ab eo in alios fieri [3].

9. — *Corollarium. — Ex negata hac propositione: *Christus, ut homo, est Filius Dei adoptivus*, licet inferre: *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis:* non tamen propterea fas esset deducere: *Ergo Christus ut homo est Deus;* quia in hac propositione, particula *ut* sumitur reduplicative, ut sensus sit: *Christus, ratione humanitatis, est Deus*, quod profecto erroneum est; cum vero filiatio non respiciat naturam, sed personam, et ideo Filius Dei, ratione relationis significatae, non possit sumi nisi personaliter seu hypostatice, ideo illius propositionis sensus est: *Christus, in humanitate subsistens, est Filius Dei naturalis*, quod profecto verissimum est. Falsa igitur esset haec illatio: *Verbum, quatenus Deus, est Filius Dei naturalis*, ergo: *Verbum quatenus homo, est Filius Dei adoptivus;* unde concludendum est cum Concilio Francofordiensi [4]: *Unitas personae quae est in Dei Filio et Filio Virginis, adoptionis*

1. 3, Quaest. XXXV, a. 5. — 2. Rom. VIII, 29. — 3. Cf. S. Thom., l. IV C. Gent., c. 4. — 4. In Ep.

tollit iniuriam, et nonnisi secundum Nestorium potest rationabiliter dici Christum hominem esse Filium Dei adoptivum.

10. — Difficultates. — I. S. Irenaeus haec habet[1] : *Propter hoc enim Verbum Dei homo, et qui Filius Dei est Filius hominis factus est, immixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, fiat filius Dei.*

Resp. In hoc loco verba : *adoptionem percipiens*, non intelligit Irenaeus quasi referri debeant ad Christum, sed ad quemlibet hominem qui iustificationis gratiam adipiscitur ; addit enim: *Non poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem accipere, nisi prius immortalitas fieret quoad nos, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

II. S. Augustinus ait[2]: *Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus.* Atqui gratia qua homines christiani fiunt, est gratia adoptionis. Ergo et ille homo est Christus per gratiam adoptionis.

Resp. Illa S. Augustini similitudo intelligenda est quantum ad principium, non quantum ad terminum. Revera, iste homo habuit ut esset Christus Filius Dei absque suis meritis, quemad modum quilibet homo habet ut sit christianus absque suis meritis; unde quantum ad principium, idem est utrobique ; sed differentia invenitur quantum ad terminum ; quia Christus, per gratiam unionis, est Filius Dei naturalis, alius autem homo est filius Dei adoptivus per gratiam habitualem quae, licet ponatur etiam in Christo, tamen non facit ipsum de non filio filium adoptivum, sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi, secundum illud[3] : *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*[4].

11. — *Solvitur dubium. — Ex dictis apparet quomodo sit solvenda quaestio a theologis proposita, utrum ratio formalis cur Christus, secundum quod homo, non sit filius adoptivus, sit gratia unionis, an ipsa eius filiatio naturalis. — Primum tenent Suarez et Vasquez, quod tamen longe a theologica veritate esse, ostendit Card. Satolli[5], cum quo contendimus rationem formalem cur Christus, secundum quod homo, non est filius adoptivus, esse ipsam eius filiationem naturalem, non vero gratiam unionis.

1. L. III adv. Haeres., c. 21. — 2. Lib. de Praedest. SS., c. 15. — 3. Io. 1, 14. — 4. Cf. ad 2^m^. — 5. Comm. in h. l.

Revera, in tantum negatur Christum, secundum quod homo, esse filium adoptivum, in quantum est in ipso una tantum persona subsistens. Atqui persona Christi est formaliter persona subsistens per relationem subsistentem filiationis aeternae naturalis [1]. Ergo ratio formalis cur Christus, ut homo, non est filius Dei adoptivus, est ipsamet eius aeterna naturalis filiatio. Quae ratio ut apparet, fundatur in hisce S. Thomae verbis: *Christus qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici Filius adoptivus.*

Rursus, unum est per se causa unius. Atqui unitas subsistentis in Christo formaliter repetitur ex unitate relationis divinae illum constituentis Filium Dei naturalem, potiusquam sumatur a gratia unionis, quae duo connotat, scilicet personam divinam et naturam humanam hypostatice ei unitam. Ergo unius filiationis in Christo, quae naturalis est, ratio formalis per se est ipsa personalitas Verbi, seu ipsamet eius filiatio naturalis.

Item, quod Christus, ut homo, non sit filius adoptivus, ex eo formaliter deducitur, quod est persona non extranea a Patre. Atqui esse personam non extraneam a Patre, Christus habet non formaliter et per se ex gratia unionis, sed ex naturali sua filiatione. Ergo naturalis Christi filiatio est ratio formalis cur ut homo, non sit Filius Dei adoptivus.

Iterum, illa est ratio formalis cur Christus, ut homo, non est Filius Dei adoptivus, qua remota per intellectum, hoc non amplius sustinetur. Sed remota per intellectum filiatione naturali, non amplius sustinetur quod Christus, ut homo, non sit Filius Dei adoptivus. Ergo filiatio naturalis est ratio formalis cur Christus, ut homo, non est Filius Dei adoptivus.

Praeterea, si gratia unionis esset ratio cur filiatio adoptiva non convenit Christo, ut homo est, dato quod Pater vel Spiritus Sanctus assumpsisset humanam naturam, posset uterque dici Filius Dei naturaliter : gratia enim unionis, quae Verbum incarnatum faceret esse Filium naturalem, idem profecto in utroque faceret, quam consequentiam Vasquez et Suarez ultro admittunt. At perperam. Nam, ut ait S. Thomas [2], *filiatio adoptiva est quaedam participata similitudo filiationis naturalis... Sicut Filio incar-*

1. Cf. 1, Quaest. XL, art. 2. — 2. 3, Quaest. III, a. 5, ad 2^m.

nato adoptivam filiationem accepimus ad similitudinem filiationis naturalis eius, ita, Patre incarnato, adoptivam filiationem reciperemus ab eo, tanquam a principio naturalis filiationis, et a Spiritu Sancto tanquam a nexu communi Patris et Filii.

Demum, si Christus, ut homo, non est Filius Dei naturalis formaliter per filiationem aeternam, oportebit ipsum esse Filium naturalem per formam aliam a filiatione ipsa naturali: quod erit idem ac admittere quod Christus est bis filius aut duo filii, quod profecto in haeresim adoptionistarum reincidit. Quod si dicatur quod Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis per gratiam unionis, oportebit illum, ut homo est, esse Filium Dei denominatione extrinseca, et filiatione quae analogice tantum conveniat cum filiatione naturali, appellarique Filium Dei, non generatione qua natura communicatur, sed gratia: quae duo Vasquez admittit, licet sint aliena a Scripturarum loquendi modo, a Conciliorum definitionibus, necnon a communi theologorum voce.

Concludendum igitur est, rationem et causam formalem qua Christo, ut homo est, veri ac naturalis Dei Filii conditio tribuitur, esse ipsam Verbi aeternam filiationem, temporaliter illi communicatam, non vero gratiam unionis, licet haec sit in fieri conditio sine qua non talis communicationis[1].

1. Ex his patet propriam radicem erroris adoptionistarum sit amesse in male intellecta unione naturae humanae cum persona divina, licet fieri utique potuerit ut ex commercio christianorum cum arabis catholica veritas obnubilaretur, quemadmodum scribit Weiss dum hanc haeresim vocat *eine Art Arianismus, auf den man aber in Spanien durch das Zusammenleben mit den Arabern kam, welche über ihre Moscheen schreiben liessen : Christus ist der Gesandte Gottes, Allah zeugt nicht und wird nicht gezeugt.* (Lehrbuch der Weltgeschichte, II B, p. 670, Wien, 1878.)

SYNOPSIS HAERESEOS ADOPTIONISTARUM

1. — Adoptionistarum haeresis circa annum 784 serpere coepit. Cum Elipandus Archiepiscopus Toletanus, a Felice, Episcopo Urgelitano, olim suo magistro, sciscitatus esset utrum agnosceret Iesum Christum esse Filium Dei naturalem vel Filium adoptivum, hic responsum dedit Iesum Christum, secundum naturam humanam, non esse nisi Filium Dei adoptivum, seu nuncupativum; unde hanc doctrinam Elipandus in Asturia et Galitia, Felix autem in Gallia disseminare coeperunt.

Quo audito, Adrianus Summus Pontifex scripsit ad Episcopos Hispaniarum, monens ne nascentem errorem amplecterentur, rationem reddens et sanctum Petrum Iesum Christum *Filium Dei vivi* expresse confessum esse[1], et Paulum testari quod *proprio Filio suo non pepercit Deus*[2]; addens quoque Patres Graecos et Latinos nomen adoptionis christianis quidem, minime autem Iesu Christo attribuere.

Porro, anno 791, Concilium Foro Iulii (*Friuli*) habitum est a Paulino Patriarca Aquileiensi in Ecclesia Beatae Virginis; in quo, damnato errore dicentium Spiritum Sanctum procedere a Patre solo, damnati sunt etiam in Christo agnoscentes, alterum quidem Filium Dei naturalem, alterum vero Filium adoptivum. Anno vero sequenti, cum rex Carolus Magnus Regini seu Ratisbonae moraretur, iussit ut Felix ad se adduceretur, ibique concilium coegit causae dirimendae gratia. Auditus Felix et erroris convictus, missus est Romam ad Adrianum, coram quo fidem catholicam professus errorem suum in Ecclesia S. Petri retractavit.

2. — Interim vero Alcuinus vel Albinus a suo monasterio Eboracensi in Anglia venit in Galliam, pro fide catholica contra Felicem et Elipandum pugnaturus. Qui primo scripsit ad Felicem qui

1. Matth. XVI, 6. 2. — 2. Rom. VIII, 32.

Urgellas redux, ad vomitum redierat, et a quo responsum habuit Iesum Christum, cum sit homo, novum nomen habere debere. Nam, arguebat Felix, sicut in prima generatione, qua secundum carnem nascimur, originem nostram tantummodo ab Adam trahere possumus, et in secunda generatione, quae spiritualis est, gratiam adoptionis a solo Iesu Christo recipimus, ita ipsemet Iesus Christus utramque recepit filiationem : primam, id est filiationem naturalem, in sua origine ex Virgine Matre, alteram vero in baptismo Ioannis ; ita quod Iesus Christus in humanitate Filius sit Davidis, necnon Filius Dei, ideoque Deus sit Christi, pater, naturalis quidem secundum naturam divinam, adoptivus autem secundum humanam naturam. Quod confirmari volebat auctoritate S. Scripturae, attribuentis Christo gratiam, electionem, et caetera huiusmodi, quae sunt de ratione adoptionis. Praeterea, abusus hisce locis[1] : *Pertransiit sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum eo;* et[2] : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi;* et[3] : *Formans me ex utero servum sibi,* — inferebat Christum, secundum quod homo est, esse Filium Dei adoptivum, non naturalem.

Praecipuum autem eius argumentum erat liturgia Hispaniarum, in qua pluries dicitur quod Filius Dei adoptavit naturam humanam, aut quod Christus, secundum humanitatem, sit Filius Dei adoptivus ; quae adhuc leguntur in Missali mozarabico, in missis de Coena Domini et de Ascensione ; sed benigne possunt loca illa intelligi, dicendo quod voces *adoptio, adoptivus,* sunt usurpatae pro *assumptio, assumptus,* sicut quando dicitur quod Iesus Christus passus est in homine adoptivo, aut quod ascendit in caelum post adoptionem carnis. Alcuinus tamen auctores huiusmodi liturgiae haereticos vocat, addens quod in collectis Ecclesiae Romanae Christus vocatur verus Dei Filius Unigenitus.

3. — Ast, cum adoptionistarum error latius grassaretur, Carolus Magnus commisit Alcuino, ut contra novatores scriberet. Qui septem libros conscripsit, in quibus pedetentim refutat adversariorum argumenta, edicens ad nestorianum errorem pertinere distinctionem duorum Filiorum Dei in Christo, quasi unus sit naturalis, alter adoptivus. — Non enim, arguit ille, potest esse eadem

1. Act. X, 38. — 2. 2, Cor. V, 19. — 3. Is. XLIX, 5.

persona quae dixit[1]: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob,* et cui dicitur[2]: *Constitui te deum Pharaonis;* nec profecto nuncupativus est ille, de quo dicit Paulus[3]: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Aliunde, nequit Ecclesia vocare Beatam Virginem Matrem Dei, nisi in quantum qui natus est ex ea est verus Deus: secus enim esset Mater Dei tantum adoptivi.

Obiicienti vero quod idem homo nequit habere duos patres, naturales, consequenter idem homo nequit esse Filius naturalis Dei et Filius Davidis, Alcuinus replicat, quod, e converso, unus pater nequit habere duos filios in eadem persona: unum naturalem et alium adoptivum. Quod si Filius Virginis non est nisi Filius adoptivus Dei, cuiusnam personae in Trinitate erit Filius? Profecto personae Filii qui sumpsit humanam naturam: unde dicendus erit potius Patris nepos.

4. — At verò Adrianus Papa a Carolo Magno hac de re interrogatus, in Epistola missa ad episcopos Galitiae et Hispaniae, refutat errores Elipandi, adducto praecipue sequenti loco[4]: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum,* quem locum interpretatur hoc sensu, quod Christus dixerit *meum* natura; et *vestrum* adoptione.

Demum, non multo post, Patres in Concilio Francofordiensi (A. D. 794), impiam ac nefandam haeresim Elipandi et Felicis funditus a sancta Ecclesia eradicandam esse statuerunt. *Invenimus,* aiunt, *in libelli vestri principio scriptum quod vos posuistis: Confitemur et credimus Deum Dei Filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum, coaeternum et consubstantialem, non adoptione sed genere... Confitemur et credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium Dei, sed adoptione, non natura sed gratia.— Ecce serpens inter pomifera paradisi latitans ligna, ut incautos quosque decipiat... Si ergo verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum: etsi eum propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem*[5].

1. Exod. III, 6. — 2. Ibid., VII, 1. — 3. Rom. IX, 5.— 4. Io. XX, 12. — 5. Cf. Denzinger, XXXII, 253, sqq.

QUAESTIO XXIV

DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Praedestinatio, secundum vim nominis, idem sonat ac praedispositio, praefinitio ac praevidentia, et ad divinam providentiam, quae est *ratio in summo omnium Principe qui cuncta gubernat*, pertinet, tanquam pars ad totum, cum respiciat solum eos qui ad vitam aeternam praeordinati sunt ; et ideo definiri solet : *Ratio transmissionis in mente Dei creaturae rationalis ad finem vitae aeternae.* Unde praedestinatio est tantum de bonis, et ponitur causa gratiae et gloriae; distinguitur vero a praescientia, quae est etiam de peccatis, et est causa derelictionis in peccato, et inflictionis poenae aeternae, non autem commissionis culpae. Porro, cum praedestinatio sit maximum donum quod Deus possit creaturae rationali conferre, ideo investigatione de Christi praedestinatione recte clauditur consideratio eorum, quae Christo conveniunt secundum habitudinem Patris ad ipsum.

2. — Ordo quaestionis. — Porro, duplex est huius quaestionis pars : prior respicit ipsam Christi praedestinationem in se et absolute (1-2), secunda vero illammet respicit, ut causae rationem habet respectu praedestinationis nostrae (3-4). Et primum quidem bifariam dividitur, ita quod primo quaeratur an absolute et proprie conveniat Christo praedestinari (1); secundo, qua ratione, id est utrum secundum quod homo (2). Pariter secundum duo respicit: primum, utrum Christi praedestinatio sit nostrae

praedestinationis exemplar (3); alterum, utrum sit eiusdem causa, scilicet finalis, efficiens et moralis (4).



Unde hic quatuor quaeruntur :

Primo. Utrum Christus sit praedestinatus.

Secundo. Utrum sit praedestinatus secundum quod homo.

Tertio. Utrum eius praedestinatio sit exemplar nostrae praedestinationis.

Quarto. Utrum sit causa praedestinationis nostrae.

ARTICULUS I. — *Utrum Christo conveniat praedestinatum esse.*

1. — Ratio dubitandi. — Dubitandi ratio oritur ex eo quod, cum Christus sit divina et aeterna persona, non videtur posse praedestinationi subesse, eo vel magis quod, cum ponatur praedestinari ad hoc ut sit Filius Dei, videretur ad praedestinationem eius requiri quod ille homo, Christus, aliquando non fuerit Filius Dei, et postea factus sit Filius Dei. Hoc non obstante, sit

2. — PROP. — Christo convenit praedestinatum esse.

Haec veritas, ita a S. Paulo traditur[1] : *Qui* (Christus) *praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Iesu Christi Domini nostri.* Graece habetur : ὁρισθέντος, quod significat simpliciter *definitum, determinatum, decretum*, non vero προορισθέντος, *praedestinatus*, quamquam, ut ait Rufinus, Origenis interpres, *in latinis exemplaribus* PRAEDESTINATUM *soleat inveniri.* Unde, licet aliqui ex graecis patribus hunc locum vertant, quasi Christus sit declaratus Filius

1. Rom. I, 4.

Dei, tamen secundum usitatiorem significationem, sensus est : *Christus praedestinatus est Filius Dei*, id est ut sit Filius Dei naturalis, *in virtute*, ἐν δυνάμει, id est in potentia ipsius Filii, *secundum spiritum sanctificationis*, etc., κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, scilicet ut haberet spiritum nos sanctificantem; quod declaratum est, maxime post Christi ex mortuis resurrectionem. *Praedestinatus est Iesus*, ait S. Augustinus[1], *ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute Filius Dei.*

Hic igitur distinctio proponitur inter praedestinationem Christi, et praedestinationem nostram : nos quidem praedestinamur ut simus filii adoptivi : *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum*[2] ; Christus autem singulari modo praedestinatus fuit ut esset Filius Dei naturalis[3]. — Ubi notandum est Christum praedestinatum esse primario et principaliter ad filiationem Dei naturalem ; secundario autem ad gratiam et gloriam et caetera spiritualia dona ipsi collata.

3. — Ratio theol. — Illud praedestinatur, quod ab aeterno praeordinatur ut per gratiam fiat in tempore : praedestinatio enim, proprie accepta, est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his quae per gratiam fieri debent in tempore. Atqui in tempore a Deo factum est per gratiam unionis ut homo esset Deus et Deus esset homo, quod quidem Deus ab aeterno praeordinavit se esse facturum in tempore. Ergo unio duarum naturarum in persona Christi, cadit sub aeterna Dei praedestinatione, ratione cuius Christo convenit esse praedestinatum.

4. — Notandum. — Hic tamen advertere oportet *Christum esse praedestinatum ratione personae, non autem ratione naturae.* Revera, quidam praedestinationem intelligendam esse dixerunt de natura, non autem de persona, quia videlicet humanae naturae facta est haec gratia, ut uniretur Filio Dei in unitate personae. Sed haec interpretatio Apostoli locutionem impropriam reddit ; insuper improbatur ex duplici capite : α) ex ratione communi, quia praedestinari non pertinet ad naturam, sed ad suppositum : est enim dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem ; β) ex ratione quoque speciali, quia

1. L. de Praed. SS., cap. XV. — 2. Eph. I, 5. — 3. Ad 1[m].

esse Filium Dei non convenit humanae naturae : est enim haec propositio falsa : *Humana natura est Filius Dei*, nisi forte quis velit Apostoli sententiam ita contorto sensu reddere : *Praedestinatum est ut humana natura uniretur Filio Dei in persona.*

Igitur dicendum est quod praedestinatio attribuitur Christo ratione personae, non quidem secundum se, sed secundum quod subsistit in humana natura, quod ostenditur ex contextu : nam cum Apostolus dixisset[1] : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, mox subiunxit : *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*, ubi datur intelligi quod Christus est praedestinatus Filius Dei in virtute, secundum hoc quod est factus ex semine David secundum carnem. *Quamvis enim sit naturale illi personae secundum se consideratae quod sit Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis*[2]. Attamen natura humana potest dici praedestinata, non simpliciter, sed ad unionem : cum enim unio sit praedestinata, nihil prohibet quominus humanitas proprie dicatur praedestinata ad unionem.

5. — **Scholion.** — Secundum hunc sensum intelligendum est quod illa antecessio quam importat hoc participium *praedestinatus*, non refertur ad personam secundum seipsam, sed ratione humanae naturae, quia nempe persona illa, etsi ab aeterno fuerit Filius Dei, non tamen hoc semper fuit, quod subsistens in humana natura fuerit Filius Dei. Quapropter, non satis est ut antecessio illa referatur, ut quibusdam placet, ad manifestationem Filii Dei, ita quod sensus sit quod *Christus praedestinatus est manifestari Filius Dei*, secundum consuetum modum loquendi Scripturarum, ut res aliqua dicatur fieri quando innotescit ; nam praedestinatio proprie accepta, de qua modo loquimur, habetur secundum quod quis dirigitur in finem beatitudinis : beatitudo autem Christi ex nostra cognitione non dependet, ut dicatur quod Christus fuerit praedestinatus, proprie et simpliciter, ad hoc quod manifestaretur esse Filius Dei.

6. — **Notandum.** — Porro, licet hoc participium *praedestinatus* importet antecessionem quamdam ratione humanae naturae,

1, Rom. I, 3. — 2. Ad 2[m].

tamen perperam concluderetur quod homo ille sit *factus Filius Dei*, ex eo quod hoc quoque participium, *factus*, antecessionem quamdam importat: siquidem alia est ratio τοῦ *fieri* et τοῦ *praedestinari*. Fieri enim pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est; praedestinari vero pertinet ad aliquid secundum quod est in apprehensione alicuius praeordinantis; ex alia parte, id quod subest alicui formae vel naturae secundum rem, potest apprehendi, vel prout est sub illa forma, vel etiam absolute; et cum absolute non conveniat personae Christi quod incoeperit esse Filius Dei, convenit autem ei secundum quod intelligitur vel apprehenditur ut in humana natura existens, aliquando enim incoepit hoc esse quod in natura humana existens esset Filius Dei, ideo magis haec est vera: *Christus est praedestinatus Filius Dei*: quam ista: *Christus factus est Filius Dei* [1]. In hac enim ultima propositione significaretur factio, et consequenter mutatio in supposito Christi quod Deus est; sed quia praedestinatio est actus mentis, quae ea quae sunt in re coniuncta praescindere potest, ideo ad hoc quod Christus sit et dicatur praedestinatus Filius Dei, satis est ut Filius Dei fiat homo; ex quo sequitur illum hominem esse Filium Dei naturalem.

magis precess

ARTICULUS II. — *Utrum haec sit falsa: Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei.*

sec supp.

1. — Sensus quaestionis. — Huius propositionis sensus non est, *utrum praedestinatum sit ut Christus, secundum quod homo, esset Filius Dei*, secus oporteret ut Christus esset Filius Dei quia homo, seu ut ab humanitate haberet esse Filium Dei: praedestinatio enim Dei non fallitur; ideoque si Deus ita praeordinasset, oporteret ut Christus esset Filius Dei quia homo est. Sensus igitur est, *utrum Christus, secundum quod homo, praedestinatus sit esse Filius Dei naturalis*, scilicet per gratiam unionis. Et de hac propositione hoc modo intellecta quaeritur, non quasi humanitas debeat supponi esse ratio vel causa cur personae Christi conveniat esse Fi-

1. Ad 3m. Cf. de hac re PETAV., de Inc. l. XI, cc. 13, 14.

lium Dei naturalem, quo sensu haec determinatio, *secundum quod homo*, referretur ad actum significatum per participium ex parte eius quod materialiter cadit sub praedestinatione; sed quod esse hominem ponatur conditio, secundum quam Christus est subiectum capax praedestinationis ad esse Filium Dei naturalem per gratiam unionis, quo sensu haec determinatio, *secundum quod homo*, refertur ad ipsam propriam rationem actus significati per participium, prout praedestinatio importat in sui ratione antecessionem et effectum gratuitum: quocirca reduplicatio non causaliter sed specificative debet sumi [1].

2. — PROP. — **Christus, secundum quod homo, praedestinatus est esse Filius Dei.**

Propositio ista est ipsius S. Augustini, qui ait [2]: *Ipsum Dominum gloriae, in quantum homo factus est Dei Filius, praedestinatum esse dicimus.*

3. — **Prob. Rat. theol.** — Quod convenit Christo ratione quidem personae, sed personae subsistentis in humanitate, convenit ei secundum quod homo. Atqui esse praedestinatum ad esse Filium Dei, convenit Christo ratione quidem personae, sed personae subsistentis in humana natura. Ergo esse praedestinatum ad esse Filium Dei, convenit Christo in quantum est homo.

Declaratur minor. In praedestinatione, duo possunt considerari: unum, ex parte praedestinationis aeternae, et secundum hoc importat quamdam antecessionem respectu eius quod cadit sub praedestinatione; alterum est effectus temporalis, qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Porro, secundum utrumque horum, attribuitur praedestinatio Christo ratione humanae naturae: nam humana natura non semper fuit unita Verbo Dei, et hoc ei per gratiam fuit collatum, ut Filio Dei uniretur in persona. Ergo praedestinatio non competit Christo, nisi ratione humanae naturae, ideoque Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei; unde S. Augustinus ait [3]: *Praedestinata est ista humanae naturae tanta et tam excelsa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet.*

1. Ad 1^m. Cf. quae diximus supra, p. 31. — 2. L. de Praed. SS., c. XV. — 3. Ibid.

4. — ***Confirmatur.** — Cum in praedestinatione requiritur ut subiectum quod praedestinari dicitur, non includat in se praedestinationis terminum, sicut homo, qui ad beatitudinem praedestinatur, non includit in se beatitudinem, sed per praedestinationem ordinatur ad eam habendam, ideo, quia terminus praedestinationis Christi est esse Filium Dei, oportet ut Christus ut subiectum consideretur ut homo, seu in humanitate subsistens, quem praeordinavit Deus ut vocaretur et esset Filius Dei : unde prius est in conceptu nostro esse hominem, seu subsistentem in humanitate, quam hunc hominem esse Deum et Dei Filium, ideoque praedestinatio non competit Christo, nisi ut homo est, et ratione humanae naturae.

5. — **Scholion.** — Ast hic quoque cavendum est ne praedestinatio credatur convenire Christo ratione humanae naturae, quasi humana natura sit illius causa, sed tantum quia humana natura est illius susceptiva. Revera, si haec praedestinatio competeret Christo ratione humanae naturae, quasi ex eius principiis causata, oporteret quod cuilibet homini competeret, sicut cuilibet homini competit esse risibilem, quia esse risibile ex principiis humanae naturae causatur. Igitur Christo competit esse praedestinatum ratione humanae naturae, quia humana natura est praedestinationis susceptiva, quod quidem ipsi homini Christo collatum est, ut eius natura prae omnibus exaltationem acciperet ex libera et omnino gratuita Dei voluntate et beneplacito [1].

6. — ***Corollarium.** — Gratuita igitur est Christi praedestinatio; sed quia gratia illa non est facta Filio Dei ut esset homo, sed potius humanae naturae facta est, ut uniretur Filio Dei, magis proprie dici potest quod *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei*, quam quod *Christus, secundum quod est Filius Dei, sit praedestinatus esse homo*, licet hoc etiam possit dici, praecise quia illa susceptio, qua dicitur quod Filius Dei factus est homo vel assumpsit hominem, sub praedestinatione cadit. Unde S. Augustinus ait [2]: *Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei et Filius hominis simul, et Filius hominis propter susceptum hominem, et*

1. Ad 2^m. — 2. Loc. cit.

Filius Dei propter suscipientem Unigenitum Deum, veraciter et proprie diceretur[1].

ARTICULUS III. — *Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationis exemplar.*

1. — Distinctio praemittenda. — In praedestinatione duo possunt considerari: scilicet ipse actus praedestinantis, et id ad quod aliquis praedestinatur, scilicet terminus vel effectus praedestinationis. Hisce praemissis, sit

2. — PROP. — **Praedestinatio Christi** α) **considerata ex parte actus praedestinantis non est exemplar nostrae praedestinationis, sed** β) **tantummodo considerata ex parte termini.**

Prob. 1ª Pars. —I. Exemplar praeexistit exemplato. Atqui nihil potest praeexistere ei quod est aeternum. Ergo cum praedestinatio nostra, ex parte actus praedestinantis, sit aeterna, ideo ex hoc capite praedestinatio Christi nequit esse exemplar praedestinationis nostrae[2].

II. Exemplar ducit in cognitionem exemplati. Atqui Deus praedestinans nequit duci in cognitionem nostrae praedestinationis ex aliquo alio, cum sola sua scientia Deus ducatur in actu praedestinandi, secundum illud[3]: *Quos praescivit et praedestinavit*. Igitur praedestinatio Christi, considerata ex parte actus praedestinantis non est exemplar nostrae praedestinationis, sed uno tantum et eodem actu aeterno Deus praedestinavit nos et Christum.

3. — Exponitur 2ª Pars. — Praedestinatio Christi est causa exemplaris praedestinationis nostrae ex parte termini dupliciter.

Primo, quantum ad *bonum* ad quod praedestinamur: Christus enim est praedestinatus ad hoc quod esset Filius Dei naturalis, nos autem praedestinamur ad filiationem adoptivam. Atqui filiatio adoptiva est quaedam participata similitudo filiationis naturalis.

1. Cf. ad 3ᵐ. — 2. Ad 1ᵐ. — 3. Rom. VIII, 29. — 4. Ad 2ᵐ.

Ergo praedestinatio Christi est causa exemplaris praedestinationis nostrae consideratae ex parte termini, secundum illud[1]: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*— Nec obstat quod alterius rationis sit praedestinatio Christi a praedestinatione nostra; non enim necessarium est quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur; sed sufficit quod exemplatum aliqualiter imitetur suum exemplar[2]. Quapropter Christi praedestinatio nostram excedit praedestinationem ratione termini, eo quod ad altiorem terminum Christus praedestinatus est quam nos praedestinemur, quorum praedestinatio aliud non est, nisi quaedam praedestinationis Christi participatio.

Secundo, praedestinatio Christi est causa exemplaris praedestinationis nostrae ex parte termini, quantum ad *modum* consequendi illud praedestinationis bonum, qui modus est ut obtineatur per gratiam. Et hoc quidem in Christo manifestissimum est, quandoquidem natura humana in ipso nullis praecedentibus meritis est unita Filio Dei; quoad nos etiam patet, quia de plenitudine gratiae Christi *omnes nos accepimus*, ut ait S. Ioannes[3].

4. — ***Confirmatur** ex verbis quae Augustinus habet[4]: *Est praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator, ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* Ex quo deducit argumentum Angelicus ad thesecos confirmationem. Revera, Christus dicitur lumen praedestinationis et gratiae, in quantum per eius praedestinationem et gratiam, nostra praedestinatio manifestatur. Atqui manifestare pertinet ad rationem causae exemplaris. Ergo praedestinatio Christi est exemplar praedestinationis nostrae.

Porro, quia exemplatum ad exemplar, et apographus ad archetypum, et membra ad caput ordinantur, ideo ex hoc capite concludendum est praedestinationem Christi esse causam finalem praedestinationis nostrae, id quod Concilium Tridentinum iam definivit, cum dixit causam finalem iustificationis nostrae esse gloriam Dei et Christi[5], iuxta illud[6]: *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* — Quae quomodo constent iam

1. Rom. loc. cit.— 2. Ad 3^m.— 3. C. I, 16.— 4. L. de Praed. SS., c. XV. — 5. Sess. VI, c. 7. — 6. 1 Cor. III, 22, 23.

ostensum est inde a quaestione prima[1], et modo amplius ostendetur.

ARTICULUS IV. — *Utrum praedestinatio Christi sit causa nostrae praedestinationis.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam constiterit praedestinationem Christi esse exemplar praedestinationis nostrae, modo de eadem agendum est, secundum quod praedestinationis nostrae causa extiterit. Sub quo triplex causa venit : scilicet, *finalis*, secundum quod nostra salus in Christi gloriam redundat, ut diximus[2]; *efficiens*, quatenus Dominus Noster sub Deo illam ad effectum perduxit ; *meritoria*, seu *moralis*, in quantum Christus extitit *mediator alliciens*[3]. Ad quod intelligendum praemittenda est distinctio superius tradita[4], inter actum et terminum praedestinationis.

2. — PROP. — **Praedestinatio Christi est causa praedestinationis nostrae, α) non secundum actum praedestinationis, sed β) secundum terminum.**

Prob. 1ª Pars. — Ratio primi est quia actus quo Deus praedestinavit Christum et nos, est unus et idem : non potest igitur in ipso distingui causa et effectus ; est etiam aeternus, aeternum autem non habet causam[5]; demum praedestinatio nostra ex simplici Dei voluntate dependet, iuxta illud[6] : *Praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*[7].

3. — Prob. 2ª Pars. — Ratio secundi est quia Deus praeordinavit salutem nostram ab aeterno, praeordinando ut per Iesum Christum compleretur ; nam sub praedestinatione aeterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est complendum in tempore. Hinc legimus[8] : *Qui* (Deus) *praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae.* Et antea

1. Art. 3. Cf. V. I, pp. 33, seqq. — 2. Cf. 3, Dist. X, Quaest. 3, sol. 3. — 3. Ibid. — 4. Art. praeced. — 5. Ad 1ᵐ. — 6. Eph. I, 11. — 7. Ad 2ᵐ. — 8. Eph. I, 5.

dictum fuerat[1]: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo;* quod est, per Christum, potissima benedictio, quae profecto praedestinatio est, ad nos usque pervenit. Similiter legimus[2]: *Qui multos filios in gloriam adduxerat;* iterumque[3]: *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.*

Sed non modo ipsa praedestinatio communiter accepta a merito Christi ad homines pervenit, sed etiam gradus singularis praedestinationis aliquorum, puta apostolorum aut discipulorum prae aliis. Huc referenda sunt verba Tridentini[4]: *Caelestis Pater... Christum Iesum Filium suum... ad homines* (misit), *ut et Iudaeos qui sub lege erant redimeret, et gentes quae non sectabantur iustitiam iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*[5].

4. — Scholion. — Porro, haec omnia dicuntur supposito ordine Incarnationis ad salutem hominum reparandam. Revera, si Filius Dei incarnandus non fuisset, Deus potuisset praeordinare ut homines salvarentur per aliam causam, non enim deest Deo alius possibilis modus salutis nostrae, ut exponit Augustinus[6]; sed cum praeordinaverit Incarnationem Christi, simul cum hoc praeordinavit ut nobis esset salutis causa[7].

1. Vers. 3. — 2. Hebr. II, 10. — 3. Rom. V, 2. — 4. Sess. VI, c. 2 de Iust. — 5. Cf. capita sequent. — 6. L. XIII de Trin., c. 10.— 7. Ad 3^m^.— De loco S. Pauli (Rom. I, 4 : *Qui praedestinatus est*, etc., videri potest Estius Comment. in Ep. Apost.), et Dionysius Carthus. (Enarrat. in h. l. T. XIII Monstrolii, p. 8), qui Haymonis et S. Ambrosii de hac re sententias discutit. Pulchre Prudentius, de triplici Christi dignitate, triplici munerum differentia a Magis oblatorum significata, scribit (in Hymno Epiphaniae, qui est XII Cathemerinon, vers. 65. Ed. Martin Pope, London, 1905) :

Agnosce clara insignia
Virtutis ac regni tui,
Puer, o cui trinam Pater
Praedestinavit indolem.

QUAESTIO XXV

DE ADORATIONE CHRISTI

PROLOGUS

1. — Quid sit adoratio. — Quoniam in comparatione instituenda inter Christum et nos, quod quidem est ultimum in hac tractatus parte considerandum, primo loco, iuxta praestabilita, agendum est de Christi adoratione, ideo necessarium ducimus praemittere quid adorationis nomine veniat.

Adoratio, sive nomen ab *os* originem ducat, quod dexteram ad os homines in signum venerationis admovere solerent, addito osculo et corporis aliqua inclinatione, sive ab *oro*, eo quod oratio ut plurimum comitatur, praecedit, vel subsequitur adorationem, sive ab *ador* quod est species frumenti in sacrificiis adhiberi soliti, secundum vim nominis, aliud non est nisi veneratio quaedam aut reverentia alicui exhibita in protestationem illius excellentiae et nostrae ad illum submissionis, addito aliquo exteriori signo istius venerationis protestativo.

Quocirca, in adoratione tria concurrunt: primo, actus intellectus, quo alicuius excellentiam apprehendimus; secundo, actus voluntatis quo superiori inclinamur; tertio, actus exterior, nempe signum quoddam alterius excellentiae et nostrae submissionis protestativum, ut capitis inclinatio, genuflexio, etc. Quorum actuum secundus in adoratione est formalis, dum primus sine adoratione, tertius etiam cum irrisione esse possit, ut quando Iudaei *genu flexo ante* (Iesum) *illudebant ei*[1].

2. — Divisio quaestionis. — Quae cum ita sint, primo loco erit agendum de adoratione una Christo debita (1), et secundo, de adoratione earum rerum quae ad Christum per-

1. Matth. XXVII, 29.

tinent (2-6), sive hypostatice ei iungantur, ut est humanitas (2), sive quodam alio modo (3-6). Quae quidem coniunctio, alia ab unione hypostatica, potest esse, aut merae similitudinis, ut in imaginibus (3), aut cuiusdam veluti propinquitatis (4-6), et quidem sive in rebus inanimatis, ut sunt crux Christi, lancea, etc. (4), sive in creaturis rationalibus (5-6), quales sunt Christi Mater (5), necnon sancti in caelo regnantes (6).



Hinc sex quaeruntur:

Primo. Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et eius humanitas.

Secundo. Utrum caro Christi sit adoranda adoratione latriae.

Tertio. Utrum adoratio latriae sit exhibenda imagini Christi.

Quarto. Utrum sit exhibenda cruci Christi.

Quinto. Utrum sit exhibenda Matri eius.

Sexto. De adoratione reliquiarum sanctorum.

ARTICULUS I. — *Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et eius humanitas.*

1. — Distinctio. — Cum adoratio communiter sumpta sit quaedam honoris species, honor enim praestatur etiam aequali,

adoratio autem nonnisi superiori, unde honor latius patet quam adoratio,— ideo in eo qui adoratur, sicut in eo qui honoratur, possunt duo considerari: scilicet illud quod honoratur, et causa propter quam illud honoratur.

Illud quod honoratur est aliquid totum subsistens; honor enim proprie toti existenti exhibetur: non enim proprie dicimus quod hominis manus honoratur, sed quod homo honoratur. Quod si quando contingat quod dicatur honorari manus vel pes alicuius, hoc non dicitur ea ratione qua huiusmodi partes per se honorentur, sed quia in hisce partibus honoratur totum in illis subsistens, per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste, in imagine, aut in nuntio. Potest igitur aliquid subsistens tripliciter honorari: *primo*, in seipso, ut quando Petrus in propria persona honoratur; *secundo*, in aliqua sui parte, sicut cum manum eius deosculamur; *tertio*, in aliquo extrinseco, sicut quando veneramur eius imaginem aut nuntium. Hisce modis Petrus est qui proprie honoratur; in secundo tamen et tertio modo, non proprie honoramus partes vel extrinseca, sed Petrum cuius ista sunt, et qui quoddam esse extensive habet in istis.

Causa autem honoris est id ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam. Revera, honor est reverentia alicui exhibita propter eius excellentiam, ut sunt praelatio, virtus, scientia, et alia huiusmodi: unde, licet honor qui alicui exhibetur, semper sit unus ex parte eius qui honoratur, tamen, ex parte causae honoris eiusdem personae, tot sunt honores, quot sunt honoris causae: verbi gratia, si quis praelatus honoretur, qui virtutibus et scientia ornatus existat.

2. — PROP. — α) **Divinitas et humanitas Christi una et eadem adoratione sunt adorandae, si attendatur ad id quod adoratur; β) diversa tamen est adoratio, si attendatur ad causas adorationis.**

Prob. 1ª Pars. — Persona est quae adoratur. Ergo ubi est una persona, ibi est una adoratio. Atqui in Christo est una tantum persona seu hypostasis, seu suppositum divinae et humanae naturae. Ergo est una tantum adoratio qua divinitas et huma-

nitas Christi adoratur, si considerentur ut id quod adoratur.

Quocirca introducere simpliciter duas adorationes in Christo esset idem ac ponere in ipso plures personas seu hypostases: unde dicitur in capitulis Cyrilli in Concilio Ephesino[1]: *Si quis audet dicere assumptum hominem simul adorari cum Verbo Deo oportere, et simul nuncupari Deum quasi alter in altero existat, ...et non una potius Emmanuel adoratione prosequitur, ...quatenus Verbum caro factum est, A. S.* Et in Concilio CP II: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum ex quo duae adorationes introducuntur, sed non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiae traditum est, talis A. S.*

3. — **Prob. 2ª Pars.** — Cum in Christo alia sit sapientia increata, et alia sapientia creata, sequitur quod, si honor vel adoratio consideretur ex parte causae qua persona subsistens honoratur, alio honore honorari debet propter sapientiam increatam, et alio propter sapientiam creatam: qui quidem non sunt plures honores simpliciter, sed potius unus honor ex pluribus causis.

4. — ***Confirmatur.** — Causa honoris est operatio; nam honor est proprie praemium virtutis, dicente Philosopho[2]: τῇς ἀρετῇς γὰρ ἆθλον ἡ τιμή, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς : virtus autem meretur suum praemium per actum. Atqui in Christo fides catholica agnoscit duas operationes. Ergo sunt in Christo non quidem duae adorationes, sed duae adorationis causae[3]. Unde patet quod causa honoris potest esse aliquid aut per modum formae, aut per modum actionis cuiusdam excellentis.

5. — **Corollarium.** — Ex his apparet contrarium haberi in Incarnatione ei quod in Trinitate invenitur. Hic enim, quia sunt tres personae subsistentes, ideo sunt tres qui honorantur, licet una sit honoris causa, unde dicit Christus[4]: *Omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem;* in mysterio autem Incarnationis est unus qui honoratur, sed est duplex honorandi causa; ideoque alio modo est unus honor Trinitatis, et alio modo unus honor Christi, nec fas est ab illo ad hunc concludere[5]. Attamen,

1. Part. I, cap. 26, Cf. supra, Vol. I, p. 163.— 2. L. IV. Ethic., c. 3.— 3. Ad 2ᵐ. — 4. Io. V, 23. — 5. Ad 1ᵐ.

in Christo Deo et Homine una simpliciter est adoratio, sicut una est in Patre; ideoque iubet S. Paulus ut *in nomine Iesu omne genu flectatur*[1]; et Ecclesia Christum interpellat simpliciter: *Miserere nostri*, et non: *Miserere et ora*.

6. — Scholion. — In hypothesi quod anima Christi non esset unita Dei Verbo, profecto esset id quod est principalissimum in homine illo; ideoque, quia honorari non est nisi terminantis passive actum honoris, homini per se deberetur honor, et adoraretur in homine illo anima, non ratione sui, sed ratione totius, in quo ipsa est id quod est principalissimum. Nunc autem unione facta, quia anima Christi est unita personae digniori, ideo honor praecipue debetur illi personae cui anima unitur; nec anima propter se honoratur, sed propter totum, unde ipsi non detrahitur quidquam dignitatis ex unione, sed potius augetur[2].

ARTICULUS II. — *Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriae.*

1. — Quid sint latria et dulia. — **I.** Cum adoratio alicui tribuatur ratione eius excellentiae, excellentia autem alia sit proprie divina, alia vero creata, ideo propter priorem habetur adoratio proprie dicta, quae a λατρεύω dicitur *latria*, qua scilicet aliquis alicuius potestati subiicitur; propter alteram vero habetur adoratio quae communi vocabulo *cultus* vocatur. Qui cultus potest iterum praestari alicui creaturae, aut propter eius excellentiam naturalem, puta potestatem, scientiam, etc., aut propter excellentiam supernaturalem, verbi gratia, propter sanctitatem aut bona supernaturalia. Et prioris quidem speciei adoratio nomen commune *cultus* vel observantiae civilis retinet, adoratio autem alterius rationis vocatur *dulia* (a δουλόω), quae si Matri Dei praestetur, quae inter omnes creaturas eminet, *hyperdulia* dicitur[3]: unde non univoca est adoratio Deo et creaturis praestita. Latria igitur ratione divinae naturae, dulia vero ratione alicuius

1. Phil. II, 10. — 2. Ad 3^m. — 3. Cf. Tr. DE B. VIRGINE, pp. 443, seqq.

praestantiae ad creaturam relatae exhibetur; quae quidem voces, etsi in graeca origine idem significent, tamen communi theologorum usu specifice distinguuntur.

II. Ista triplex species adorationis optime distinguitur quoad actus internos, ita quod *latria* sit totius voluntatis prostratio cum apprehensione excellentiae infinitae, *cultus civilis* quaedam voluntatis inclinatio cum apprehensione excellentiae naturalis, *dulia* inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiae supernaturalis. At, quoad actus exteriores, secluso sacrificio quod sibi soli Deus offerri praecepit iuxta illud[1]: *Qui immolat diis occidetur, praeterquam Domino soli,* non ita accurate distinguitur istud triplex adorationis genus: prostratio enim, genuflexio, capitis inclinatio, corporis incurvatio in omni genere adorationis fit, et in S. Scriptura describitur Abraham eodem actu incurvationis usque ad terram, adorasse Deum[2], Angelos[3] et homines[4].

III. Porro, latria et etiam dulia, si quidem quoad habitum considerentur, specialis quaedam virtus sunt, scilicet religio, quae pro immediato obiecto habet cultum Dei, secus ac virtutes theologicae quae pro immediato obiecto habent ipsum Deum: unde solet dici quod religio vagatur per actus omnium virtutum, etiam theologicarum, in quantum in eis attendit specialem rationem cultus divini.

2. — Praenotandum. — Ad huius articuli solutionem recurrit praeponenda distinctio superius tradita, scilicet inter obiectum materiale adorationis, seu id ad quod terminatur adoratio, quod est hypostasis subsistens, et obiectum formale, seu ipsam excellentiam quae causa est adorationis praestandae. Stante autem unitate hypostasis subsistentis, potest esse adorationis causa multiplex, ratio enim honoris non est res quaedam subsistens.

3. — PROP. — Humanitas Christi, α) ut res adorata, est adoranda adoratione latriae; β) ut ratio autem adorandi est adoranda adoratione duliae.

Prob. 1ª Pars. — Revera, sic adorare humanitatem aut

1. Exod. XXII, 20. — 2. Gen. XVII, 3. — 3. Ibid. XVIII, 2, XIX. — 4. Ibid. XXIII, 7, 12.

carnem Christi, nihil aliud est quam adorare Verbum incarnatum cui latriae cultus debetur, quemadmodum adorare vestem regis non est aliud quam adorare regem vestitum. Quem cultum supernaturali instinctu ducti Magi Christo recens nato obtulerunt, cum incensum, aurum et myrrham offerentes, humi prostrati, illum adoraverunt obsequio cultus latreutici; quod etiam praestitisse leprosos, aliosque Scriptura testatur. Hinc S. Paulus ait[1]: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei;* quapropter enunciata propositio simpliciciter *de fide* est retinenda.

4.— Auctoritates ex traditione. Iuverit autem ex Patribus referre Damacenum, qui ait[2]: *Timeo prunam tangere propter ignem ligno unitum: adoro Christi naturas ambas propter unitam carni deitatem;* et[3]: *Adoratur autem caro Christi, incarnato Verbo Deo, non propter seipsam, sed propter unitum ei secundum hypostasim Verbum Dei.* Pariter Athanasius[4]: *Neque corpus a Verbo dividentes seorsim adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disiungimus: sed cum sciamus Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore tuo, ut te adorem.* Et super illud[5]: *Adorate scabellum pedum eius,* dicit Glossa[6]: *Qui adorat Corpus Christi non terram intuetur, sed illum potius cuius scabellum est, in cuius honore scabellum adorat.*

Quapropter, merito S. Pontifex Pius VI[7] damnavit hac in re Synodum Pistoriensem[8]: *Propositio quae asserit, adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae; quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tanquam nuda caro sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; falsa, ca-*

1. Hebr. I, 6. — 2. L. III, Orthod. fid., c. 8.— 3. L. IV, c. 3.— 4. Epistola ad Adelphium, n. 3. — 5. Psalm. XCVIII, 5. — 6. Ordin. Aug. — 7. Bulla *Auctorem Fidei*, 28 Augusti 1794. — 8. Prop. 61.

ptiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa.

5. — **Prob. 2ª Pars.** — **I.** Nulli creaturae latriae cultus debetur : ex hoc enim reprobantur Gentiles quod *coluerunt et servierunt creaturae potiusquam Creatori*[1]. Sed humanitas Christi est creatura. Ergo non est adoranda adoratione latriae, inspecta adorandi ratione[2].

II. Adoratio latriae debetur Deo in recognitionem maximi dominii, iuxta illud[3] : *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies.* Atqui Christus, secundum quod homo, est minor Patre. Ergo humanitas eius, ut ratio adorandi, non est adoranda adoratione latriae. Igitur adoratio latriae non est exhibenda humanitati Christi ratione suiipsius, sed ratione divinitatis cui unitur, secundum quam Christus non est minor Patre[4].

6. — ***Corollarium.** — Ex hoc sequitur quod, cum in Christo non sint nisi duo, scilicet persona divina et natura humana, Christi persona est adoranda adoratione latriae propter se, scilicet propter divinitatem, et adoratione duliae propter aliud, scilicet propter perfectionem humanitatis; humanitas vero est quidem adoranda cultu latriae propter aliud, scilicet propter personam Verbi, sed propter se nonnisi adoratione duliae. Quo faciunt verba Synodi Nicoenae in Synodo Ephesina relata, adversus Paulum Samosatenum[5] : *Confitemur D. N. I. C. totum adorabilem, etiam cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem; totum adorantem etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem adorantem; totus quippe est Deus etiam cum corpore, sed non secundum corpus ; totus adorandus etiam cum corpore, non propter corpus.*

Nec hoc inconvenit : nam et ipsi Deo Patri, cui debetur per se honor latriae propter deitatem, honor duliae aliquando ab antiquis scriptoribus tribuitur, scilicet propter dominium quo gubernat creaturam; sicut super illud[6] : *Domine Deus meus, in te speravi,* Glossa dicit : *Dominus omnium per potentiam, cui debetur dulia : Dominus omnium per creationem cui debetur latria,* licet dulia quae debetur Deo ratione dominii, nonnisi analogice con-

1. Rom. I, 25. — 2. Ad 2ᵐ. — 3. Deuter. VI, 13. — 4. Ad 3ᵐ. — 5. P. III, c. 5. — 6. Ps. VII, 2.

veniat cum dulia quae debetur creaturis, ut explicat S. Thomas[1] : est enim dulia veluti genus relate ad species latriae et duliae, dum e contra dulia, quae creaturae debetur, dividitur contra latriam. Unde hoc exemplum non ponitur nisi ut ostendatur non repugnare eamdem Christi personam duplici adoratione adorari, attentis scilicet diversis causis adorationis.

7. — ***Scholion.** — Cum caro Christi coniuncta Verbo adoranda sit adoratione latriae, si per intellectum consideretur a Verbo separata, non latriae, sed duliae, vel melius hyperduliae cultu, propter potiorem excellentiam suam, erit adoranda, ut ait Damascenus[2] : *Si dividas subtilibus intelligentiis quod videtur, ab eo quod intelligitur, inadorabilis est ut creatura.* Quem in sensum etiam concurrunt verba Glossae[3] : *Caro a Verbo Dei assumpta sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem eius spiritualiter manducat, nisi prius adoret : non illa dico adoratione quae latria est, quae soli Creatori debetur*, sed profecto hyperduliae adoratione. — Notandum hic est quod verba huius textus : *Non illa dico*, etc., licet a S. Bonaventura, Scoto, aliisque adducantur, tamen hodie in Glossa non habentur, et ab homine nestoriano adiuncta fuisse nonnulli suspicantur. Sed quidquid sit, nullo modo seorsum adoratur caro Christi ab eius divinitate : hoc enim esse non posset, nisi esset alia hypostasis Dei et hominis, quod profecto haereticum est dicere[4]. Et licet Eucharistiam adorare possimus adoratione duliae, tamen hoc in usu fidelium non est, et Ecclesia talem adorationem in mente tantum retinet, non in usu, ne error inducatur[5].

1. 2, 2^ae^ Quaest. CIII, art. 3. — 2. L. IV. Fid. orthod., c. 3. — 3. Ordin. Aug. super illud Ps. XCVII : *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* — 4. Ad 1^m^. — 5. Cf. Card. Caiet. De hoc S. Pauli loco (Hebr. I, 6) : *Et adorent eum omnes angeli Dei*, de quo difficultas est quod in Psalmo XCVI, unde testimonium desumptum est, non *angelos Dei*, sed *elohim*, id est *deos* legamus, videri possunt interpretes, ex quibus placet Estium referre : *Ex his denique valde probabile fit*, ait, *apostolum hic loqui de eo quod futurum est in secundo Christi adventu, sicut supra monuimus. Tunc enim Christum universalem omnium hominum et angelorum iudicem ac dominum, in regni sui plenissimam possessionem inducendum a Patre, boni quidem angeli gaudentes ac venerabundi, daemones autem, dolentes atque inviti, potentiam eius ac divinitatem regnique magnitudinem agnoscentes adorabunt, ea nimirum adoratione et cultu qui soli Deo debetur. Aptissime autem utitur hoc*

APPENDIX

DE CULTU SACRATISSIMI CORDIS IESU

Ex doctrina hucusque tradita sequitur omnes partes Corporis Christi esse obiectum cultus latriae propter hypostasim Verbi, in qua omnes uniuntur: hypostasi enim divinae proprie debetur honor adorationis proprie dictae, ideoque adorare partes Corporis Christi nihil aliud est, quam adorare Verbum incarnatum. Specialiter tamen agendum est de cultu Sacratissimi Cordis Iesu, qui, disponente Deo, confovente Ecclesia, hisce novissimis temporibus tam longe lateque diffusus est.

1. — Origo huius cultus. — Cum Christus ipse Cor suum nostrae imitationi proposuerit, his verbis[1]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, ideo dici potest cultum Sacratissimi Cordis Iesu ex eius voluntate ortum habuisse, cuius eximius cultor exhibetur Ioannes, qui de se testatus est[2]: *Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus... Cum recubuisset ille supra pectus Iesu*, etc. Sed et consecrata haec devotio est, cum ex Christi latere, in Cruce pendentis, sanguis simul et aqua profluxere[3]. *Fudit* (Christus) *Sanguinem*, ait S. Thomas[4], *de vulnere lateris et cordis ut discipulos in fide dubios et alios multos in fide et bonae vitae stabilitate tentatos et ideo frigidos, quasi mortuos calefaceret et revivificaret.*

At cultus iste maiorem explicationem obtinuit sub fine saeculi decimi septimi, cum beatae Margaritae Mariae Alacoque a Christo significatum est gratissimum sibi fore, si specialis honoris significationes erga Sacratissimum Cor suum charitatis igne flagrans, instituerentur, additis quoque pro huius cultus

testimonio Trid. Synodus ad comprobandam adorationem Christi in Eucharistia. Nam si angeli Christum adorant, quanto magis homines etiam in Eucharistia ubi fideles eum sciunt vere esse praesentem? Nam ubicumque Christus est, recte adoratur. Porro sensum iam datum confirmant Scripturae, quae de secundo Christi adventu agentes, testantur eum venturum cum potestate magna et maiestate, stipatum agminibus angelorum ac virtutum caelestium, ut Matth. 16, 24, 25, *et aliae.*

1. Matth. XI, 29. — 2. Io. XIII, 23, sqq. — 3. Io. XIX, 34. — 4. Opusc. LVII de Ven. Sacr. Alt., c. 28.

sectatoribus, amplissimis promissis. Contra quem cultum acriter quidem obstiterunt iansenistae, illum tanquam erroneum aut periculosum traducentes, necnon rationalistae, qui inde catholicos cardiolatras contemptim appellarunt. Contra quos tamen facile est demonstrare huius cultus catholicitatem, legitimitatem, necnon opportunitatem.

2. — Catholicitas cultus Sacratissimi Cordis Iesu, quem cultum Synodus Pistoriana[1] insipienter simul et impie damnare conata est, quasi cultores huius divini Cordis illud adorent cum separatione et praecisione a divinitate, evidenter apparet: nam fideles illud adorant ut est *Cor Iesu*, Cor nempe personae Verbi hypostatice unitum: et ita adorabile est cultu latriae, non secus ac Corpus Christi in triduo mortis in sepulchro reclusum.

Ubi notandum est nos non loqui tantummodo de Corde Iesu ut est symbolum amoris, seu de *corde symbolico*, ut a Iansenistis appellabatur, sed de Corde Christi realiter et physice sumpto, quemadmodum declaravit S. Congregatio Rituum, die 6 Febr. 1765, precibus episcoporum regni Poloniae annuens, qui cultum et festum postulaverant *Cordis non translatitie sumpti, sed in propria ac nativa significatione accepti, videlicet ut pars est Corporis Christi nobilissima, ut est in se.*

3. — Legitimitas huius cultus apparet ex eo quod, cum cor sit symbolum naturale amoris inter homines, hinc praecipuo cultu est in humanitate Christi prosequendum illud membrum quod extitit pignus infiniti amoris Christi erga nos.

Quocirca, si Ecclesia fidelium devotionem confovet, cultu speciali prosequentium illa membra quae in quibusdam sanctis symbola extiterunt alicuius virtutis, ut sunt lingua in S. Antonio Patavino et in S. Ioanne Nepomuceno, aut manus in S. Ioanne Damasceno, aequum profecto est ut Incarnati Verbi Cor, quod est *sedes divinae charitatis*[2], honoretur. Accedit quod *ea quae pertinent ad humanitatem Christi, per modum cuiusdam manuductionis maxime devotionem excitant; cum tamen devotio principaliter circa ea quae sunt divinitatis consistat*[3]. Atqui, inter ea quae pertinent

1. Prop. 63. — 2. Pius IX in litt. beatif. Margaritae Mariae Alacoque. — 3. 2 2ae, Quaest. LXXXII, art. 3, ad 2m.

ad humanitatem Christi, eminet profecto eius Sacratissimum Cor, quod est nobilissima corporis pars et veluti vitae principium[1].

Ubi notetur minus recte a quibusdam dici Sacratissimum Cor Iesu esse *organum* dilectionis eius erga nos, nisi quidem hoc intelligatur de organo *manifestationis*, minime vero de organo *productionis*. — Revera, sicut anima humana sine organo cogitat, ita etiam sine organo diligit, cum intellectus et voluntatis operationes per organum non exerceantur, quanquam cogitationem phantasmata, et amorem affectio sensibilis in statu praesentis vitae comitentur. At nec satis physiologice compertum est huiusmodi sensibilium affectionum organum in corde adaequate reponi, sed potius in systemate nerveo, cui nomen impositum est magnum sympathicum. Porro, licet cor in nobis organum affectionum non sit, potest tamen dici earumdem sedes et centrum necnon terminus affectuum sensibilium passionum animae[2], maxime cum, ut ait Angelicus[3], *in omni passione animae additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intensius vel remissius movetur, secundum systolem aut diastolem, et secundum hoc habet passionis rationem*.

4. — **Opportunitas** etiam specialis evolutionis huius cultus abunde constat.

Quanquam enim inde a priscis temporibus ista devotio in sinu Ecclesiae viguerit, cum ex latere morientis in cruce Christi originem duxerit, ut dictum est, tamen opportunissime, cum novissimis temporibus multorum charitas refrixisset, specialibus hominum adorationibus propositum est nobilissimum illud Cor, quod divinae bonitatis insigne pignus extitit, praecipue ut obviaretur Ianseniauorum impiis dogmatibus, divinam iustitiam plus aequo extollentium, bonitate Dei depressa, quo fiebat ut pusillanimes e desperationis abysso in perditionis aeternae profundum ruerent.

Quocirca, in Bulla *Auctorem Fidei*[4] legitur ista reprobatio: *Doctrina quae devotionem erga Sacratissimum Cor Iesu reiicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas,*

1. 1, Dist. VIII, Quaest. V, art. 3, ad 3^m. — 2. Cf. La dévotion au S. Cœur de Jésus, par J.-B. Terrien, S. J. L. I, c. 5, Paris, 1893. — 3. 1 2^ae, Quaest. XXIV, art. 2, ad 2^m. — 4. 28 Augusti 1794, Prop. 62.

intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata, falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva in apostolicam Sedem iniuriosa.

5. — Scholion. — Pari ratione specialis latriae cultus pretiosissimo Sanguini Domini Nostri Iesu Christi, probante Ecclesia, tribuitur, cuius etiam catholicitas eodem argumento evincitur ac supra pro Sacro Corde Iesu positum fuit; legitimitas quoque ex eo apparet quod Sanguis, a Christo effusus, pretium extiterit nostrae redemptionis; demum opportunitas exhinc deducitur quod homines salutis suae pretii memores effecti, ad perficienda salutis opera vehementius incitantur [1].

Demum, si tantum ad catholicitatem respiceretur, possent etiam caeterae humanitatis Domini Nostri partes speciali cultu adorari, quandoquidem in istis omnibus subsistens Verbum latriae cultu legitime adoratur. Ecclesia tamen nonnullas huiusmodi devotiones aut expresse reprobavit, qualis est devotio ad Sacras Manus, aut non adeo confovit, ut cultum Sacratissimi Vultus, propterea quod in hisce quiddam inopportunae novitatis admixtum haberi videatur, a qua Ecclesia in sua liturgia sapienter ducit esse abstinendum.

Unde Suprema Congregatio S. Officii, in suo decreto diei 13 Ianuarii 1875... *mandavit... monendos esse... scriptores qui ingenia sua acuunt super... argumentis quae novitatem sapiunt, ac, sub pietatis specie, insuetos cultus titulos, etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata et ansam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati fidei, doctrinae catholicae ac verae pietati.* Et die 3 Iunii 1891 decrevit *nova emblemata Sacratissimi Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab Apostolica Sede approbanda.*

ARTICULUS III. — *Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriae.*

1. — Quid sit imago. — Imago, quasi ab *imitando* dicta, iuxta Damascenum [2] est *similitudo seu effigies, quae illum in se,*

1. Vide supra, Quaest. V, Diss. spec. — 2. Or. 3, de Imag.

cuius imago est, exprimit. Differt autem ab idolo quod, ut ait Apostolus[1], *nihil est*, sed solum vana repraesentatio aut rei non subsistentis aut non ita subsistentis, qualis repraesentatur; dum imago est similitudo ad formam rei vere subsistentis expressa. Idolo igitur, quod etiam passim in divinis Litteris *simulacrum* (a *simulando*) dicitur, nihil respondet secundum rei veritatem; sed imagini respondet expresse res cuius ipsa est imago.

2. — Duplex adoratio. — Porro hic distinctio succurrit opportuna inter adorationem absolutam et adorationem respectivam. Prior exhibetur alicui rei absolute propter excellentiam illius: altera vero exhibetur alicui, non propter sui excellentiam, sed propter excellentiam alterius, quod ad ipsum refertur. Prior nonnisi spiritualibus rebus potest tribui, quia istae solae excellentiam habent, vi cuius homo se illis subiicere possit; altera etiam rebus materialibus praestatur, sub ea tamen ratione qua rem spiritualem formaliter repraesentant.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod motus animae in imaginem duplex est: alius quidem in ipsam imaginem secundum quod res quaedam est, alius vero in imaginem, in quantum formaliter est alterius imago. Inter quos motus haec differentia invenitur, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem ut est quaedam res, est alius a motu qui est in rem cuius est imago; alter motus vero, qui est in imaginem in quantum est imago, est unus idemque cum illo motu qui est in rem ipsam cuius haec res est imago. Ita imago alicuius hominis potest esse et filio illius hominis et simul furi charissima; sed illi quidem quia, utpote patris imago, dilectum eius genitorem repraesentat; huic autem quia, utpote magni forsan valoris tabula, origo divitiarum esse potest illius possessori.

Porro, motus reverentiae in imaginem ut formaliter imago est, est adoratio respectiva; motus autem reverentiae in ipsam ut est res quaedam, esset adoratio absoluta. Sed sedulo monet Concilium Tridentinum [2], quod *honor qui* (imaginibus) *exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per*

1. 1, Cor. VIII, 4. — 2. Sess. XXV. In Conc. Nic. II legitur : ἡ γὰρ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. Cf. DENZINGER, n. 243.

imagines quas osculamur,... Christum adoremus, et sanctos... veneremur.

3. — Errores. — Celeberrima est saeculo octavo et prima medietate saeculi noni *iconoclastarum* haeresis qui, duce potissimum Leone Isaurico, vesano quodam furore sacras imagines impetere aggressi sunt; quos fortiter debellavit insignis monachus S. Ioannes Damascenus; ex quo factum est ut res, ad secundum Nicaenum concilium delata, ibi solemniter definiretur his verbis : *Si quis non adorat iconam Salvatoris Christi, non videat formam eius, quando veniet in gloria paterna glorificari et glorificare sanctos suos*, quam definitionem concilium Constantinopolitanum IV confirmavit[1].

Saeculo autem decimo sexto Novatores graviter impugnarunt cultum sacrarum imaginum, una cum cultu reliquiarum et invocatione sanctorum : quam doctrinam Ecclesia Anglicana suam fecit hisce verbis[2] : *Doctrina Romanensium de Purgatorio, de indulgentiis, de veneratione tum imaginum tum reliquiarum, necnon de invocatione sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, et nullis Scripturarum testimoniis innititur; immo verbo Dei contradicit.*

4. — PROP. — Imago Christi, ut imago est, est adoranda adoratione latriae.

Prob. Illa reverentia quae exhibetur imagini Christi, ut imago est, exhibetur ipsi Christo. Atqui Christus est adorandus adoratione latriae. Ergo et eius imago. — Revera, imagini, ut est res quaedam, puta lignum sculptum vel pictum, nulla quidem reverentia debetur, cum reverentia soli rationali naturae exhibeatur : unde reverentia exhibetur imagini Christi solum ut imago est, nec potest aliter adorari, cum, ut res quaedam est, non sit adorationis aut ullius venerationis capax.

Cuius argumenti vis desumitur tum ex naturali destinatione imaginis, cuius *honor ad prototypum pervenit*, ut ait Damascenus[3], id est ad exemplar, quod in casu est Christus Dominus, tum ex impossibilitate intelligendi alio rationabili modo imaginum cultum, eo quod imagines alicuius cultus directi et absoluti capaces

1. Cf. Denzinger, n. 273. — 2. In artic. XXII. Cf. E. G. S. Gibson, The XXXIX Art. of the Church of England, p. 557. — 3. L. IV Fid. orthod., c. 17.

non sunt. Unde S. Basilius[1] scribebat: *Characteres sacrarum imaginum honoro, et exosculor eximie, cum hae traditae sint a sanctis apostolis, nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae.* Cuius rei rationem reddit S. Gregorius Nyssenus, aiens[2]: *Solet etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse.* Unde S. Ioannes Chrysostomus testatur[3]: *Sacerdos ad imaginem Christi caput inclinat.*

5. — Scholion. — Hac de causa, scilicet quia honor imagini tributus ad prototypum pertingit, ideo ad Christum repraesentandum potius assumitur res aliqua corporalis, quam accipiatur creatura rationalis, in qua est imago divinitatis naturaliter impressa. Nam creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam; ideoque si tali creaturae, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriae, posset esse erroris occasio, ut scilicet adorantis motus sisteret in hac creatura in quantum est res quaedam, et non ferretur in Deum cuius est imago, quod de imagine sculpta vel picta in materia sensibili contingere nequit[4].

6. — Solvitur tacita obiectio. — Nec offendit catholicus homo, imagines Christi Domini colens, contra prohibitionem populo iudaico latam: *Non facies tibi sculptile neque deorum similitudinem*[5], quia ibi non habetur simpliciter prohibitio faciendi quamcumque sculpturam aut similitudinem, sed faciendi ad adorandum; unde post praedicta verba subditur: *Non adorabis ea neque coles.* Porro, cum idem sit motus in imaginem et in rem, prohibitio illa in tantum per se valet urgeri, in quantum res, quae imaginibus repraesentantur, adorari prohibentur; cuiusmodi sunt falsa gentilium numina, quae non aliud sunt, nisi daemonum repraesentationes; unde loco praefato praemittitur[6]: *Non habebis deos alienos coram me.*

Ast, differentia invenitur inter Vetus et Novum Foedus, quod in Veteri Foedere prohibebatur quominus aliqua effigies veri Dei proponeretur, tum quia Deus incorporeus est, tum etiam propter populi iudaici innatam in idololatriam propensionem; unde ait Damascenus[7]: *Insipientiae summae est et impietatis figurare*

1. Epist. 360. — 2. In S. Theod. M. — 3. In Liturg. — 4. Ad 3^m. — 5. Exod. XX, 4. — 6. Vers. 3. — 7. Loc. supra cit.

quod est divinum. Quae tamen prohibitio in Novo Testamento revocata intelligitur, tum quia Deus factus est homo, unde potest in sua imagine corporali adorari, tum quia deest modo idololatriae periculum[1].

7. — Idololatriae crimen. — Quod ad idololatriam spectat, ex duplici capite monet Angelicus peccasse gentiles in suarum imaginum adoratione.

Primo, quia aliqui eorum adorabant ipsas imagines ut res quasdam, credentes in eis esse aliquod numen, propter responsa quae daemones in eis dabant et alios huiusmodi mirabiles effectus; *secundo*, quia si quando eorum adoratio ferebatur in res quarum erant imagines, erat adoratio omnino vitiosa et damnanda: huiusmodi quippe imagines erigebant creaturis quibusdam, profecto non inter sanctiores et nobiliores, quas in talibus imaginibus cultu latriae prosequebantur[2]. Unde gentiles Apostolus graviter increpat, quod *commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*[3], et vetat ne cum eis in talibus operibus communicemus[4], quod profecto servamus; nam si imaginibus Christi, qui verus Deus est, adorationem latriae praestamus, hoc non est propter ipsas imagines, sed propter rem cuius sunt imagines[5].

8. — Corollarium. — Quocirca, praeter Incarnationis mysterium, quo Deus sub specie hominis figuratur, possunt formari imagines Dei et substantiarum separatarum, eo modo quo in Scripturis traditi isti figurantur; puta, Dei in forma senis antiqui, Christi in forma Agni, Spiritus Sancti in forma columbae, Angeli sub specie formosi iuvenis: singuli quoque Evangelistae in figura unius respective ex quatuor animalibus repraesentantur. Omnino autem cavendum est ne res divina aut spiritualis per imagines figurari credatur. *Doceatur populus,* ait Tridentinum[6], *non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.*

Possunt tamen et aliquae imagines a nobis ipsis conceptae in-

1. Ad 1^{m}. — 2. Cf. quae scripsimus in Op. : *Les Indulgences*, etc. P. II, c. II, nn. 2, seqq. Paris, p. 229. — 3. Rom. I, 23. — 4. Eph. V, 11. — 5. Ad 2^{m}. — 6. Sess. XXV, Decret. de Invoc., etc.

duci, ad ea quae figuram non habent, maxime rudibus hominibus, manifestanda: sed hac in re imprimis attendendum est ad Ecclesiae consuetudinem et auctoritatem, ne quis citra bonae aedificationis confinia pro lubitu excurrat. Revera, quamquam nulla inveniatur in Scriptura traditio de adorandis imaginibus, extat tamen in Ecclesia, quae est magistra veritatis, quidam symbolismus, extra quem aliquis discurrere non audeat. Nam statim a priscis temporibus, Ecclesia consuevit imaginibus typicis uti ad excitandam fidelium devotionem, ut patet maxime in iis quae ad mysteria religionis nostrae symbolice repraesentanda usque adhuc in Coemeteriis romanis aliisve asservantur; et ut constat etiam de imagine vultus Domini nostri Iesu Christi, quam veneranda traditio retinet in sudario fuisse impressam, sive cum ad Calvariae verticem Salvator ascenderet, sive cum exsanguis iaceret in sepulcro[1].

Quae quidem traditio ab Apostolis repetenda est, qui familiari Spiritus Sancti instinctu ducti, quaedam Ecclesiis tradiderunt servanda, quae scriptis non mandarunt, sed in observatione Ecclesiae reliquerunt, per fidelium successionem, quae traditiones ab ipsomet Christo sunt in origine repetendae. Unde Apostolus ait[2]: *State et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem* (scilicet ore prolatum), *sive per epistolam nostram* (nempe scripto transmissam)[3]; et alibi[4]: *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Quapropter, sapientissime mandat Concilium Tridentinum[5] *nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit*[6].

1. C. *Les Indulgences*, etc. P. II c. VI, n. 16, pp. 132, sqq. — 2. 2 Thessal. II, 14. — 3. Cf. ad 4^m. — 4. 1 Cor. XI, 23. — 5. Loc. cit. — 6. Iuvat hic referre definitionem secundae Nicaenae Synodi (Act. VII) hac super re. *Statuimus cum omni exacta cura et diligentia similiter ac sanctae Crucis et vivificae figuram venerandas et sanctas imagines palam proponi, quae coloribus tessellisve constant, aut alia quavis idonea materia in sanctis Dei Ecclesiis, in sacris vasis et vestibus, nec non parietibus et tabulis, aedibus ac viis: nempe tum Domini, ac Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi imagines, tum incontaminatae Dominae nostrae sanctae Dei Genitricis, nec non honorabilium angelorum; ac sanctorum omnium et piorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginatam expressionem videntur, tanto magis qui illas*

APPENDIX

CONCILII TRIDENTINI DOCTRINA DE CULTU SACRARUM IMAGINUM

Iuverit hoc loco, contra protestantes, verba referre quibus concilium Tridentinum explicat quid sit de sanctis imaginibus retinendum, de cultu ipsis exhibendo, necnon de earum penes populum christianum utilitate.

1. — Legitimitas huius cultus. — Docet itaque praefata Synodus[1], *imagines Christi, Deiparae Virginis et aliorum sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam : non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus quae in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quae illae repraesentant : ita ut per imagines quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur : id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi, decretis, contra imaginum oppugnatores, est sancitum.*

2. — Imaginum utilitas. — *Illad vero diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis ; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum quae a Christo sibi collata sunt ; sed etiam quia Dei per sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant,*

intuentur, ad prototyporum recordationem et desiderium excitantur. Ὅσῳ γὰρ συνεχῶς δι' εἰκονικῆς ἀνατυπώσεως ὁρῶνται, τοσοῦτον καὶ οἱ ταύτας θεώμενοι διανίστανται πρὸς τὴν τῶν πρωτοτύπων μνήμην τε, καὶ ἐπιπόθησιν, *et ut ipsis osculum, et honorariam adorationem deferant, non tamen verum, secundum fidem nostram, latriae cultum, qui soli divinae naturae convenit.* Apud Petav. De Inc. l. XV, c. XV, n. 2. Cf. Denzinger, n. 243.

1. Sess. XXV, in decr. de Invoc., etc. SS.

ad sanctorumque imitationem, vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam.

Quam doctrinam iamdudum S. Thomas[1] ita compendio redegerat : *Fuit triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesia : primo, ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur; secundo, ut Incarnationis mysterium et sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidie oculis repraesentantur ; tertio, ad excitandum devotionis affectum, qui ex visis efficacius excitatur quam ex auditis.*

3. — Abusus tollendi. — Praescribit autem S. Synodus ut abusus ab imaginum cultu penitus radicentur, ita quod absint imagines falsum dogma inducentes, aut rudibus errandi occasionem praebentes, et ita depingantur, ut ad lasciviam homines non provocent; aliunde edicitur nemini, nisi episcopo probante, licere insolitas imagines ponere vel ponendas curare.

Quae leges ita in Constitutione apostolica Leonis XIII, *Officiorum et munerum* renovantur[2] : *Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur*[3].

ARTICULUS IV. — *Utrum Crux Christi sit adoranda adoratione latriae.*

1. — Crucis symbolum. — Notum est penes romanos et iudaeos crucis supplicium crudelissimum teterrimumque habitum fuisse, ita quod scriberet Tullius[4] : *Facinus est vincire civem romanum, scelus verberare, prope parricidium necare ; quid dicam in crucem tollere ? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo*

1. 3, Dist. IX, Quaest. I, a. 2, quaest. 2, ad 3^m. — 2. VIII Kal. Febr., 1897. — 3. Cf. Boudinhon, *La Nouvelle législation de l'Index*, Paris, Lethielleux.— 4. Act. VI contra Verrem, l. VI, c. 66.

potest. At, ex quo Redemptor noster Crucem pro mundi salute conscendit, dedecoris illud symbolum ita in signum honoris et gloriae conversum est, ut etiam in capite regum locaretur, et sic in regibus adoraretur[1]. *Crux*, ait S. Ioannes Chrysostomus[2], *prius condemnationis et supplicii nomen erat, nunc res est venerabilis et desiderabilis. Crux antea dedecoris et poenae argumentum erat, nunc gloriae et honoris occasio.* Hinc primi christiani signum illud venerari et adhibere consueverunt : *Ad omnem progressum atque promotum,* scribit Tertullianus[3], *ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.*

2. — Ratio articuli. — Quae cum ita sint, huius articuli intentio est, ut propria cultus Cruci exhibiti ratio investigetur, simulque cultus iste vindicetur contra haereticos waldenses, lutheranos, calvinistas, aliosque. — Cui tamen rei praemittenda est distinctio inter sacrosanctam Crucem illam lignean, in qua Dominus Noster fuit crucifixus, et Crucis effigiem in quacumque materia, puta, in lapide, ligno, argento vel auro impressam.

3. — PROP. — α) **Vera Crux Christi est adoranda adoratione latriae, non modo propter repraesentationem, sed etiam propter contactum membrorum et Sanguinis Christi ; β) Crux autem Christi in alia materia adoranda est adoratione latriae solum, quia est imago Christi in Cruce extensi.**

4.— Prob. 1ª Pars.—Revera, cum creatura insensibilis non sit secundum se capax reverentiae, nisi ratione eius quod repraesentat vel tangit, ideo debet adorari adoratione qua adoratur illud quod repraesentat vel tangit. Sed Crux in qua Christus fuit crucifixus non modo repraesentat Christum in cruce extensum, sed etiam Christum tetigit, eiusque Sanguine fuit perfusa. Ergo illa Crux ex duplici ratione est adoranda, eadem adorationis specie, qua et Christus adoratur, nempe adoratione latriae ; videlicet, tum

1. S. Ambros. Orat. in Theod., n. 48. — 2. Hom. II, de Cruce, n. 1. — 3. L. de Corona, c. 3.

propter repraesentationem, tum etiam propter contactum membrorum et Sanguinis Christi.

Revera, honor non debetur nisi rationali creaturae : rei autem insensibili honor aut reverentia non debetur, nisi ratione creaturae rationalis. Creatura autem irrationalis potest honorari propter creaturam rationalem, vel in quantum illam repraesentat, vel in quantum quocumque modo ei coniungitur. Primo modo consueverunt homines venerari regis imaginem, quia scilicet regem repraesentat; alio modo, venerantur regis vestimentum, quia ipsam regis personam tetigit; unde tam imaginem regis quam eius vestimentum homines venerantur, eadem veneratione qua venerantur regem.

5. — Corollarium. — Ex quibus sequitur non eadem causa adorari Crucem Christi et eius humanitatem : in ista enim, non in illa, Christus Dominus subsistit; sed illa Christum repraesentat, et eius beata membra tangere meruit[1]. Quapropter Crucem istam sacrosanctam alloquimur, et quasi esset ipsemet Crucifixus deprecamur; sed et in ista Cruce spem nostrae salutis collocamus, cantando cum Ecclesia :

O Crux ave, spes unica,
Hoc Passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dona veniam;

unde et S. Hieronymus de sancta Paula aiebat[2] : *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat;* et S. Ambrosius : *Numquid,* ait[3], *cum in Christo imaginem Dei Crucemque veneramur, dividimus eum*[4] ?

1. Ad 2^m. — 2. In eius vita. — 3. L. de Incarn. Dom., c. 7. — 4. Praeclara sunt hac in re verba S. Francisci Salesii : *On peut considérer la vraye Croix comme elle se trouve maintenant, separée et desprise d'avec le Crucifix, et lhors elle sera pretieuse relique du Sauveur, son lict d'honneur, throsne de sa royauté, trophée de sa victoire, et glorieux instrument de notre Redemption. Or, comme toutes ces qualités sont relatives et du tout rapportées à Jesus Christ, aussi l'honneur qu'on fait à la Croix en vertu d'icelles est tout relatif au mesme Seigneur, et partant, comme appartenant au Sauveur, c'est un honneur de latrie... On considère aussi la Croix, non ja comme elle est à cette heure, separée de son Crucifix, en guise de relique, mays comme*

6.— Prob. 2ª Pars. — Imaginem veneratione debemus prosequi quemadmodum imaginatum prosequimur. Igitur, cum Crux Christi quaecumque, alia a Cruce in qua crucifixus est, sit imago Christi, eadem latriae veneratione est adoranda, qua Christus ipse.

7. — Scholion. — Propter contactum membrorum Christi Domini non modo Crucem eius adoramus, sed etiam omnia quae fuerunt Christi. *Pretiosum lignum*, ait S. Ioannes Damascenus[1], *ut sanctificatum tactu sancti Corporis et Sanguinis, decenter adorandum, clavos, indumenta, lanceam et sacra eius tabernacula, quae sunt praesepe, spelunca et huiusmodi.* Innocentius VI autem, in decreto de festo Lanceae et Clavorum Domini, scribit : *Licet igitur Lancea, et Clavi praedicti, aliaque ipsius passionis salutaria instrumenta sint a cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, et de ipsa etiam passione in eadem Ecclesia solemnia annis singulis officia celebrentur et fiant ; dignum tamen, et conveniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, et praesertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne ac speciale festum celebretur et fiat.*

Attamen ista instrumenta imaginem Christi Domini non repraesentant, sicut repraesentat Crux, quae dicitur signum Filii hominis quod apparebit in caelo, ut habetur apud S. Matthaeum[2]; proindeque Angelus alloquens mulieres, non dixit[3]: *Iesum quaeritis Nazarenum lancεatum*, sed *crucifixum*, ut eius propriam repraesentationem innueret; ex quo sequitur quod et Crucem veneramur in quacunque materia illa sit, non autem imaginem clavorum vel quoruncumque huiusmodi[4]. Similitudines autem clavorum, lanceae etc., quae simul cum Cruce pinguntur, adoramus, quia simul cum ea ad Christum referuntur; non vero si separatim existant, quia non gerunt signum aut repraesentationem Christi.

elle fut au tems de la Passion, lhors que ce therebinthe ou myrrhe distillait de tous costés en gouttes du sang salutaire : et en ceste considération nostre ame honnore la vraye Croix du mesme honneur qu'elle honnore le Crucifix, non tant (à parler proprement) relativement, comme plustost consequemment et par participation ou redondance (Œuvres de S. François de Sales, t. II, p. 339, Ed. Annecy. Circa cultum Cruci anteactis temporibus exhibitum, vide J. Hoppenot, Le Crucifix dans l'histoire, etc. Société de S. Augustin.

1. L. IV Orth. fid., c. 2.— 2. C. XXIV, 30. —3. Marc. XVI, 6.— 4. Ad 3ᵐ.

Non sufficit autem ut aliquid tetigerit Christum, ad hoc ut adoratione sit dignum, sed debet aliquo modo participare de sanctitate Christi; unde ait Damascenus[1] : *Non adoro iudaeos ; neque enim actionis divinae participes extiterunt, neque gloriae Dominum Deum meum eo consilio affixerunt Cruci, ut mihi salutem pararent, sed invidia potius et odio.*

8. — Difficultas. — Nullus pius filius contumeliam patris veneratur, puta, flagellum quo flagellatus est, aut lignum in quo fuit suspensus, sed magis illud abhorret. Atqui Christus in ligno Crucis opprobriosissimam mortem passus est, secundum illud[2]: *Morte turpissima condemnemus eum.* Ergo non debemus Crucem adorare, sed magis abhorrere.

Resp. *Dist. mai.* Ut contumelia est, *conc.;* in quantum in illius gloriam redundat, *nego. Dist. min.* Ex intentione occidentium, *conc. ;* considerata virtute quam Christus in Cruce exhibuit, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Utique, si infidelium occidentium Christum intentio aut opinio consideretur, turpissima fuit Christi passio et mors; attamen, inspecto effectu nostrae salutis, hac tam turpi morte procuratae, virtus divina in Cruce maxime eluxit, cum ibi de hostibus triumphavit, iuxta illud[3]: *Ipsum* (decretum mortis) *tulit de medio, affigens illud cruci; et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso;* et[4]: *Verbum enim Crucis, pereuntibus quidem stultitia est ; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est*[5].

ARTICULUS V. — *Utrum Mater Christi sit adoranda adoratione latriae.*

1. — Ratio articuli. — Quia, ut ait S. Ioannes Damascenus[6], honor matris refertur ad filium, ideo, cum Angelicus de Christi adoratione ageret, non poterat omnino praetermittere considerationem de cultu Beatissimae Virgini debito; quam tamen doctrinam nos hoc loco compendiose tantum praelibabimus, ad spe-

1. Or. III de Imag., c. 4. — 2. Sap. II, 20. — 3. Col. II, 14, 15. — 4. 1 Cor. I, 18. — 5. Ad 1^m. — 6. L. IV. Orthod. fid., c. 17.

cialem de Beatissima Virgine Maria Matre Dei tractatum remittentes ea quae ad eius honorem pertinent, uberiori doctrina tradenda.

2. — PROP. — **Mater Christi non est adoranda adoratione latriae, sed duliae, non qualiscumque, sed hyperduliae.**

Prob. Pura creatura rationalis, caeteris tamen eminentior adoranda est adoratione non latriae, sed hyperduliae. Atqui Mater Christi est pura creatura rationalis, caeteris tamen creaturis eminentior Ergo adoranda est non adoratione latriae, sed hyperduliae.

Exponitur maior. Cum iam constet latriam soli Deo deberi, nullique creaturae secundum se consideratae tribui posse, haec tamen differentia invenitur inter creaturam insensibilem et creaturam rationalem, quod prior non est capax venerationis secundum seipsam, sed solum ratione alterius; altera vero capax est venerationis secundum seipsam. Quocirca, nulli purae creaturae latriae adoratio debetur secundum seipsam; sed si res sit insensibilis, repraesentans Deum vel aliquid Dei, adorabitur adoratione latriae, sed non secundum seipsam; creatura autem rationalis secundum seipsam venerationi habebitur, non latriae, sed duliae; si vero sit eminentior, veneratione hyperduliae coletur.

3. — **Corollaria.** — **I.** Quapropter, rite solet Beatissimae Virgini applicari id quod legitur[1]: *Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem,... et surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam,... positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius;* nam, ut habetur in quodam sermone[2], *thronum Dei et thalamum Domini, domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, ubi est ipse;* attamen honor Deiparae debitus non per omnia aequalis est honori quo Christum prosequimur, sed potius dicendus est quodammodo consimilis, scilicet propter eius excellentiam[3].

II. Ex quo patet diversitas inter honorem qui Christi imaginibus et Cruci exhibetur, et honorem qui Deiparae debetur; nam, quia imago ipsa aut Crux, prout in se consideratur tanquam res quaedam, nullo modo est in se venerationis capax, ideo adoratione latriae, propter Christum, adoratur; Mater Christi autem,

1. 3 Reg. II, 19. — 2. De Assumpt., c. 6. Tract. VIII de div. inter Opp. S. August. — 3. Ad 1^m.

quae utique est Christo coniunctior quam Crux aut imago, est tamen in seipsa venerationis capax, hyperduliae veneratione colitur, quae veneratio in ipsamet Beata Virgine sistit[1].

ARTICULUS VI. — *Utrum reliquiae sanctorum sint adorandae.*

1. — Praenotanda. — Reliquiarum nomine, stricte quidem intelligimus vel corpora, vel partes corporum sanctorum, latius vero res illas quas sancti contactu vel usu suo, dum viverent, sacraverunt : ex quo patet hic agi de adoratione relativa, non autem absoluta ; siquidem sanctorum reliquiae in se sunt insensibilia corpora, quae honoris capacia non sunt ; unde illa corpora insensibilia non propter seipsa adoramus, sed propter animas quae fuerunt eis unitae, quae nunc fruuntur Deo, et propter Deum ipsum, cuius illi fuerunt ministri[2].

2. — Errores. — Vindicatur autem huius cultus catholicitas specialiter contra Eunomium et Vigilantium, qui cultores reliquiarum cinerarios contemptibiliter appellabant. Huius autem ratio erat quod adorare mortuorum reliquias, eis videbatur ad errorem gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant. *Prope ritum gentilium,* scribit S. Hieronymus, huius haeretici verba introducens[3], *videmus sub praetextu religionis introductum, ...pulviseulum, nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum, osculantes adorant.* Quem acriter redarguit ipsemet Hieronymus, scribens[4] : *Nos, non dico martyrum reliquias, sed nec solem, nec lunam, nec angelos adoramus* (scilicet adoratione latriae) ; *honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres adoremus ; honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum ;* ideoque hoc modo honorando reliquias martyrum, non incidimus in errorem gentilium, qui latriae cultum mortuis hominibus exhibebant[5]. Quocirca, ut in libro de *ecclesiasticis Dogmatibus* legitur[6] : *Sanctorum corpora, et praecipue beatorum martyrum reli-*

1. Ad 2^m et 3^m. — 2. Ad 2^m. — 3. In libro contra Vigilant., c. 2. — 4. Ep. ad Riparium. — 5. Ad 1^m. — 6. Cap. 73 inter Opp. S. Aug.

quias, ac si Christi membra, sincerissime honoranda credimus; et postea subditur : *Si quis contra hanc sententiam venerit, non christianus, sed eunomianus et vigilantianus creditur.*

Porro, Eunomii et Vigilantii errorem saeculo decimo sexto protestantes renovaverunt, denegantes sanctis inesse specialem quamdam excellentiam, contra quos egregie conscripserunt Bellarminus[1], necnon Petavius[2]. Sit ergo

3. — PROP. — **Reliquias sanctorum iure merito cultu religioso prosequimur.**

Hanc veritatem tradit Concilium Tridentinum, dum docet *sanctorum quoque martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur; ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari atque eorum opis impetrandae causa, sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia*[3].

4. — **Prob. I. Ex auctoritate.** Sic, in *Veteri Testamento* Moyses, ex Aegypto in terram promissam discessurus[4], Ioseph patriarchae ossa secum reverenter asportavit ; quinimmo Deus ipse Moysi corpus angelorum opera sepeliendum curavit[5], quod et occultum esse voluit, ne iudaei ad idololatriam propensi, illud cultu latriae adorarent.

In *Novo* quoque *Testamento* leguntur fideles ad S. Petrum accurrisse, *ut saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis*[6] ; sed et ad aegrotos deferebantur S. Pauli sudaria et semicinctia, et *recedebant ab eis languores*[7]. Quapropter, ex historia necnon ex archaeologiae monumentis compertum habemus, apostolorum et martyrum reliquias iugiter magna veneratione habitas fuisse, sed et summa sollicitudine,

1. De Eccl. triumpho, l. I, c. 22.— 2. De Incarnat., l. XIV, cc. 15-18.— 3. Sess. XXVI, Decret. de Invoc. SS. — 4. Exod. XIII, 19. — 5. Deut. XXXIV, 6. — 6. Act. V, 15. — 7. Ibid. XIX, 12.

tanquam pretiosissimos thesauros custoditas fuisse, quam veneratione Deus multis editis miraculis confirmavit.

5.— II. Ex ratione theol.— Qui erga aliquem nutrit affectum, ea quoque quae de ipso post mortem relinquuntur veneratur, scilicet, non solum corpus aut partes corporis, sed etiam aliqua exteriora, ut sunt vestes, annulus, et similia. Atqui erga sanctos affectum habere debemus, etiam postquam e vita decesserunt. Ergo sanctorum reliquiae, et praecipue eorum corpora, debent a nobis speciali veneratione honorari.

Prob. *maior* ex iis S. Augustini[1] : *Si paterna vestis et annulus, ac si quid est huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes est maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque coniunctius, quam quaelibet indumenta gestamus : haec enim ad ipsam hominis naturam pertinent.*

Minor ex eo constat quod sancti sunt Christi membra, Dei filii, necnon amici et intercessores nostri : unde a nobis speciali amore et veneratione sunt habendi.

6. — ***Confirmatur.** — **I.** Praecipue quoad sanctorum corpora hoc patet : quandoquidem ea fuerunt organa et templa Spiritus Sancti in eis habitantis et per eos operantis, et sunt per gloriosam resurrectionem corpori Christi configuranda.

II. Deus se hunc honorem ratum habuisse patenter testatus est, cum in harum reliquiarum praesentia miracula saepe patraverit.

7. — **Solvitur tacita obiectio.** — Nec obstat quod corpus mortuum non est idem specie cum corpore vivo, et consequenter nec idem numero ; nam corpus quidem mortuum alicuius sancti non est idem numero quod primo fuit dum viveret, propter diversitatem formae quae est anima, sed est idem identitate materiae, quae est iterum suae formae unienda[2].

1. L. I de Civ. Dei, c. 13. — 2. Ad 3^m^.— Circa cultum SS. Reliquiarum, priscis temporibus, vide Martigny (Dict. des Antiquités chrét., voci *Reliques*), qui nomina recenset quibus Reliquiae antiquitus vocabantur : siquidem dicebantur *beneficia*, *benedictiones*, *buslæ*, *cineres*, *exuviæ*, *gleba*, *insignia*, *lipsana*, *patrocinia*, *pignora*, *sanctuaria*, *xenia*. Ceterum ad ostendendum hunc cultum inde ab Ecclesiae exordio viguisse sufficeret adduxisse loccum Act. XIX, 12.

QUAESTIO XXVI

DE EO QUOD CHRISTUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM DICITUR

PROLOGUS

1. — Ratio quaestionis. — Cum statim ab huius tractatus exordio, declaratum fuerit, Incarnationis finem fuisse mundi cum Deo reconciliationem per peccati deletionem, rite omnium quaestionum quae de ipso mysterio pertractant ordo clauditur consideratione eius quod ad Dominum Nostrum pertinet, cum appellatur Dei hominumque mediator; ut sic extremis se tangentibus, omnia veluti uno circulo contineantur.

2. — Ordo quaestionis. — In quo non solum catholica veritas erit vindicanda, qua statuitur quod esse mediatorem Dei et hominum perfective quidem Christo, dispositive autem et ministerialiter etiam aliis competit (1), sed etiam modus erit investigandus quo hoc Christo convenit, scilicet secundum humanam naturam (2).

Hinc duo hic quaeruntur:

Primo. Utrum esse mediatorem Dei et hominum sit proprium Christo.

Secundo. Utrum hoc conveniat ei secundum humanam naturam.

ARTICULUS I. — *Utrum esse mediatorem Dei et hominum sit proprium Christo.*

1. — Quid sit mediator. — Mediator (μεσίτης) ille est, ad cuius officium pertinet coniungere et unire eos inter quos mediator existit: extrema enim in medio uniuntur. Ad quod

necesse est ut et cum utroque mediorum in aliquo conveniat, et ab utroque in aliquo distet: se enim ille inter personas dissidentes interponit ut eas componat: quod potest facere vel intercedendo, vel satisfaciendo, uno verbo ea quae sunt unius, ad alterum deferendo: unde etiam dicitur *intercessor, conciliator, sequester, arbiter*, etc.; porro, mediatoris ad extrema consensio quae, ut diximus, ad mediatoris officium requiritur, potest considerari ut est naturà tantum, aut ut est etiam animo vel voluntate.

2. — Prob. — α) Solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator; β) alii autem secundum quid dici possunt mediatores.

Prob. 1ª Pars. — Solus ille est perfectus Dei et hominum mediator, qui per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Atqui solus Christus per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit, iuxta illa [1]: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Ergo soli Christo competit esse perfectum mediatorem Dei et hominum. Quapropter, cum Apostolus dixisset [2]: *Unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus,* mox subdit [3]: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

3.— Prob. 2ª Pars.— Qui cooperantur ad unionem cum Deo dispositive vel ministerialiter, possunt dici secundum quid mediatores inter Deum et homines. Atqui aliqui praeter Christum cooperantur ad unionem cum Deo dispositive vel ministerialiter. Ergo possunt dici secundum quid mediatores inter Deum et homines.

Huiusmodi sunt quidem sacerdotes et prophetae Veteris Testamenti; qui, in quantum praenuntiabant et praefigurabant verum et perfectum Dei et hominum mediatorem Christum, dicti sunt hoc sensu mediatores, secundum illud quod Moyses de seipso testabatur [4]: *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo* (quo scilicet Deus illi de medio ignis loquebatur), *ut annuntiarem vobis verba eius.* Sed longe perfectius sacerdotes Novae Legis dici possunt mediatores Dei et hominum, in quantum

1. 2, Cor. V, 19. — 2. 1 Tim. II, 5. — 3. Vers. 6. — 4. Deut. V, 5.

sunt ministri veri mediatoris, vice eius salutaria sacramenta hominibus exhibentes [1].

4. — Quaestio. – *Utrum angeli possint dici mediatores Dei et hominum?*

Resp. Affirmative, quantum ad angelos bonos, attento officio coniungendi, non autem attenta communicatione mediatoris cum extremis in natura aut in conditione naturae.

Nam, secundum naturae gradum nec cum Deo, nec cum hominibus communicant; et secundum naturae conditionem nihil habent nobiscum commune: revera, ut ait Augustinus, utrumque quidem habent *commune cum Deo, et beatitudinem et immortalitatem; nihil autem horum cum hominibus miseris et mortalibus*[2]; unde, ex hoc capite, *quomodo non potius remoti sunt ab hominibus, Deoque coniuncti, quam inter utrosque medii constituti*[3]? Attamen, cum, secundum naturae gradum, infra Deum et supra homines constituti, mediatoris officium exercent, Deo exhibentes hominum preces, pro illis quoque orantes, et quae Dei sunt ad homines deferentes, mediatores dici possunt, ut habet auctor libri de *divinis Nominibus*[4], non quidem principaliter et perfective, sed ministerialiter et dispositive; unde et legimus quod *angeli accesserunt, et ministrabant* (Christo)[5].

Aliter tamen de daemonibus res habetur qui, utique natura distantes et a Deo et ab hominibus, habent tamen cum Deo communem immortalitatem, cum hominibus autem miseriam; unde ex hoc capite medii viderentur esse inter Deum et homines: at, cum eorum intentio sit potius ut ipsi, immortales et miseri, homines transire non sinant ad immortalitatem beatam, sed perducant ad miseriam immortalem, ideo sunt sicut mali medii, qui amicos separant.

5. — Corollaria. — **I.** Unde solus Christus est perfective bonus mediator, qui inimicos perfecte reconciliavit. Habuit enim *communem cum Deo beatitudinem, cum hominibus autem mortalitatem; et ideo ad hoc se interposuit medium, ut mortalitate transacta,*

1. Ad 1^m. — 2. L. IX de Civ. Dei, c. 13. — 3. Ibid. — 4. C. 4. — 5. Matth. IV, 11.

et ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstravit, et ex miseris beatos efficeret, unde nunquam ipse decessit[1].

II. Nec alteri in Trinitate personae hoc convenit, secundum quod dicit Glossa[2]: *Christus est mediator, non Pater, nec Spiritus Sanctus*, cum solus Christus sit secundum divinitatem aequalis Patri, et secundum humanitatem minor Patre. Aliae enim personae, cum in nullo sint Deo minores, ideo non possunt dici mediae, vel mediatores inter Deum et homines. Nec obstat quod de Spiritu Sancto legitur quod *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις[3], ad officium autem mediatoris pertinet interpellare ad unum eorum inter quos est mediator pro altero; nam Spiritus Sanctus dicitur interpellare pro nobis, quia ipse interpellare nos facit[4].

1. Ad 2^m. — 2. Super illud ad Gal. III: *Mediator unius non est*, etc. — 3. Rom. VIII, 26. — 4. Ad 3^m. Cf. supra, Quaest. XXI, art. 4. n. 3. — Praeclare S. Fulgentius (l. I ad Trasimundum, c. 15), mediatoris naturam describens, ait: *Cunctos praeterea, qui salutis esse capiunt aeternae participes, oportet agnoscere pariter et tenere non incassum hominem Iesum Christum mediatorem Dei et hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, et idem homo totam in se habet substantiam deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum irascentem hominemque peccantem, talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quae ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet: et ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo deitatis susceptum non consumeret sed proveheret hominem; et plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem deitatem: ac sic hominis natura, quae mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se Mediator Dei et hominum plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare.* Et (L. ad Donatum, c. 16): *Mediator enim nullatenus esset si vel cum Patre divinitatis naturam, vel cum hominibus communem carnis et animae substantiam non haberet. In eo autem verus mediator est hominum homo Christus Iesus; in quo de Patre formam Dei, per quam salvaret, naturaliter habuit et ex Virgine formam servi quam in nobis salvaret, accepit.* Denique (C. de fide ad Petrum diac., c. 2): *Idcirco mediator, quia idem Deus atque homo verus, habens unam cum Patre divinitatis naturam, et humanitatis unam cum matre substantiam.* Apud Petav. de Incarnat., l. III, c. 2, n. 5. Quia autem Filius Dei, secundum assumptam naturam pro nobis postulat et interpellat, ideo, ut habet Estius (Comment. in Ep. ad Rom. VIII, 26), proprie *advocatus* noster dicendus est.

APPENDIX

DE SANCTORUM INVOCATIONE

1. — Error. — Cum ex praecedentis articuli doctrina abunde resultet, contra protestantes, praeter mediatorem Christum, qui tanquam principalis, unus est et unicus, esse multos mediatores secundarios, quasi mediatores ad ipsum mediatorem aut mediationem impetrationis exercentes, hinc opportunum est ut momenta replicentur, quibus dogma de Sanctorum invocatione innititur. Nam iidem qui sanctorum invocationem impugnarunt, negaverunt quoque cuivis sanctorum mediatoris rationem: in quo errore potissime fuerunt Novatores, Lutherus, Melanchton et Calvinus, quem errorem et ecclesia anglicana in articulo vigesimo secundo, inter triginta novem articulos[1], suscepit; quos tamen omnes ante longum tempus praecesserant Vigilantius eiusque sequaces, et serius Waldenses. Contra quos sit

2. — Prop. — Bonum et utile est sanctos invocare.

Hanc veritatem ita *de fide* tenendam tradit Concilium Tridentinum[2] : *Docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre ; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum Nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes opem auxiliumque confugere: illos vero, qui negant, sanctos aeterna felicitate in caelo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, vel stultum esse in caelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.*

3. — Ex S. Scriptura haec veritas abunde eruitur. Sic legitur quod, cum levaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem

1. Vide supra, Quaest. praec., n. 3. — 2. Sess. XXV, Decr. de Invoc. SS.

paulum remisisset, superabat Amalec[1]. Rursus Eliphaz, amicus Iob, innuit morem tunc fuisse ad beatos spiritus invocatione sese convertere[2]; et Iudas Macchabaeus refertur in visu vidisse *Oniam, qui fuerat summus sacerdos, orare pro omni populo Iudaeorum*[3]; et postea apparuisse *alium virum aetate et gloria mirabilem*, de quo dixit Onias : *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Hieremias propheta Dei.*

In Novo quoque Foedere hoc saepius invenitur : sic sanctos adhuc in carne viventes Paulus obtestabatur ut pro se preces effunderent[4] : *Obsecro vos... ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Petrus autem promittebat se fratrum memoriam habiturum esse post mortem suam[5] : *Dabo autem operam frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Iacobus quoque iubet[6] : *Orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Denique in Apocalypsi de sanctis utriusque Testamenti, sub nomine viginti quatuor seniorum significatis, legitur quod *ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum*[7].

4. — Ex traditione idipsum evidenter colligitur. Sic, Origenes scribit[8] : *Obsecratio et postulatio et gratiarum actio, non absurde potest et sanctis offerri,... ut adiuvent nos.* Chrysostomus quoque[9] : *Sicut milites*, ait, *vulnera in praeliis sibi inflicta regi monstrantes fidenter loquuntur, ita et illi absecta capita gestantes et in medium afferentes, quaecumque voluerint, apud Regem caelorum impetrare possunt.* Hieronymus autem sic argumentatur[10] : *Si apostoli et martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro caeteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos?*

Accedit huic proposito intima persuasio, inde a primis saeculis, fidelium mentibus universaliter insita, de efficacia intercessionis sanctorum, quae persuasio invenitur expressa in liturgia Ecclesiae, scilicet in Canone Missae, necnon in antiquissimis pro-

1. Exod. XVII, 11. — 2. Iob. V. 1. — 3. 2 Mac. XV, 12-14. — 4. Rom. XV, 30. — 5. 2 Pet. I, 15. — 6. C. V, 15. — 7. C. V, 8. — 8. L. de Orat., n. 14. — 9. Serm. de Iuvent. et Maxim., n. 3. — 10. Contra Vigil., n. 6.

cessionibus et litaniis, in actis et passionibus martyrum, et in monumentis archaeologiae sacrae. Antiqua est etiam Ecclesiae fides, uniuscuiusque hominum custodiae praepositum esse angelum custodem, qui illi toto vitae decursu fideliter adsistat.

Ex quibus omnibus colligere est sanctos, sive cum Christo regnantes, sive etiam in purgatorio patientes, aut vitam mortalem adhuc degentes, posse nostras miserias cognoscere, affectum habere ad illas sublevandas, denique posse sua ad Deum intercessione nobis suppetias ferre: unde sequitur bonum valde atque utile esse eos suppliciter invocare, quod aliunde experientia quotidiana demonstratur.

5. — Rat. theol. — Haec autem tria, quibus dogma de Sanctorum invocatione conficitur, liquido constant.

Primo, quod sancti nostras orationes cognoscant, ex hoc sequitur quod in Verbo Dei vident ea omnia quae ad ipsos pertinent, secus completa non esset eorum beatitudo, cum ea quae ad se spectant naturaliter scire desiderant[1]. Sed etiam retinendum est animas in purgatorio detentas orationes quae ad ipsas funduntur posse cognoscere, saltem per angelicam revelationem[2]; quinimmo et sanctis adhuc viventibus aliquando Deus exhibetur revelasse preces ad eos ab absentibus fusas.

Volunt quoque sancti hominibus opitulari: etenim voluntatem habent divinae Voluntati perfectissime conformem in volito. Atqui Deus non modo vult ut effectus quidam fiant, sed etiam ut mediis causis secundis compleantur, quas inter profecto sanctorum intercessiones recensentur. Nam *habet hoc divinus ordo, ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem*[3].

Denique, quod sancti possint nobis opitulari, ex hoc resultat quod sunt amici Dei, eiusque domestici; unde eorum intercessio efficacissima est, non modo dum *expresse* orant pro nobis, sed etiam dum *interpretative* intercedunt, scilicet per merita quae in hac vita sibi comparaverunt.

1. Supplem. Quaest. LXXII, a. 1.— 2. 1, Quaest. LXXXIX, art. 8. Quoad invocationem animarum in purgatorio, vide quae scripsimus in op. *Dello stato e della operazione dell' anima umana separata dal corpo*, c. IV, n. 9. Roma, 1901. — 3. 2 2ae, Quaest. LXXXIII, art. 11.

6.— Notandum. — Ubi non inopportunum erit cum S.Thoma[1] advertere quod, quamvis sancti superiores sint magis Deo accepti quam inferiores, utile tamen est etiam minores sanctos interdum orare, *primo*, ex hoc quod quandoque aliquis habet maiorem devotionem ad minorem sanctum quam ad sanctum maiorem, ex devotione autem maxime dependet orationis efficacia : *secundo*, propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei fastidium parit ; per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur ; *tertio*, quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis praecipue patrocinari, sicut sancto Antonio ad ignem infernalem, aut beato Ioachimo Piccolomineo ad morbum comitialem ; *quarto*, ut omnibus honor debitus exhibeatur a nobis ; *quinto*, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod unius oratione non impetraretur[2].

7. — Tacita obiectio. — Nec ista sanctorum invocatio ullam Christo irrogat iniuriam, ut contendunt protestantes : nam, praeterquamquod omnis sanctorum efficacia in impetrando innititur Christi meritis, hoc ipsum quod ex alicuius sancti invocatione aliquid nobis concedatur, Christi virtutem quammaxime commendat, quae talis tantaque est, ut non solum ipse sit perfectissimus mediator, sed etiam, tanquam generalis causa, aliis quoque virtutem infundat, ut sub se et per se, mediatores nostri ad Deum existant : sic nihil detrahitur virtuti solis ex hoc quod non solum ipse illuminat et calefacit, sed aliis etiam rebus virtutem tribuit illuminandi et calefaciendi.

ARTICULUS II. — *Utrum Christus, secundum quod homo, sit mediator Dei et hominum.*

1. — Errores. — Ariani, inter quos numerari potest Eusebius Caesariensis, cum detraherent Christo consubstantialitatem cum Patre, cum dixerunt mediatorem esse, in quantum Verbum est, per

1. Supplem. Quaest. LXXII, art. 2, ad 2[m]. — 2. Ita S. Thomas, l. c.

respectum ad originem et conservationem mundi. Aliqui etiam ex antiquioribus auctoribus posuerunt Filium mediatorem fuisse inter Patrem et homines, in eo quod ipse, et non aliquis angelus, patriarchis apparuerit, et cum eis sit conversatus. Contra quos sit.

2. — PROP. — **Christus verissime dicitur mediator Dei et hominum secundum quod homo.**

Hanc veritatem ita tradit S. Augustinus dum, exponens illud S. Pauli[1] : *Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, dicit[2] : *Non ait: Christus Iesus, ne tu putares secundum Verbum dictum, sed addidit: Homo.* Pariter[3] : *Non ob hoc mediator est Christus, quia Verbum: maxime quippe immortale, et maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseriis; sed mediator est, secundum quod homo.*

3. — Prob. rat. theol. — In mediatore, duo possunt considerari : primo, ratio medii ; secundo, officium coniungendi. Porro, est de ratione medii, quod distet ab utroque extremorum ; mediator autem coniungit per hoc quod ea quae unius sunt, defert ad alterum. Atqui neutrum horum potest convenire Christo secundum quod Deus est, sed solum secundum quod homo est. Nam, secundum quod Christus est Deus, non differt a Patre et Spiritu Sancto in natura et potestate dominii; et praeterea nec Pater nec Spiritus Sanctus aliquid habent quod non sit Filii, ut possit Christus id quod est Patris vel Spiritus Sancti, quasi quod est aliorum, ad alios, scilicet ad homines deferre. Ergo Christo non convenit esse mediatorem Dei et hominum secundum quod Deus est, sed secundum quod homo est. Revera, secundum quod homo est, Christus distat et a Deo in natura, et ab hominibus in dignitate gratiae et gloriae ; et praeterea, in quantum homo est, convenit ei coniungere homines cum Deo, praecepta et dona Dei hominibus exhibendo, et vicissim pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando.

4. — Confirmatur. — Christus secundum quod Deus est, est per omnia aequalis Patri ; unde super illud[4] : *Mediator Dei et ho-*

1. 1 Tim. II, 5. — 2. Sermo XI de Verbis Dom. — 3. L. IX de Civ. Dei, c. 15. — 4. Loc. cit.

minum, Glossa dicit[1] : *In quantum est Verbum, non medius est, quia aequalis est Deo, et Deus apud Deum, et simul unus Deus.* In quantum autem homo est, Christus habet quidem convenientiam cum hominibus in natura, et tamen, propter plenitudinem gratiae, illos excedit, et accedit ad divinam naturam, ideoque mediator est secundum quod homo est[2] : nam, solum ut homo est, Christus potest orare, mereri, sacrificare et satisfacere.

5. — Corollarium. — Ex quibus deducitur Christum hoc habere a divinitate sibi hypostatice coniuncta, quod, ut homo est, mediator existit : si enim a Christo subtrahatur divina natura, subtrahetur per consequens ab eo singularis plenitudo gratiarum, quae convenit ei, in quantum est Unigenitus a Patre[3], ex qua quidem plenitudine habet, ut sit super omnes homines constitutus, et propius ad Deum accedens, et ut etiam satisfactio eius valorem infinitum habeat. Quapropter dicit S. Augustinus[4] : *Una est Christi persona, ne sit non unus Christus, non una substantia ; ne mediatoris dispensatione submota, aut Dei tantum dicatur, aut hominis filius*[5]. — *Neque enim liberaremur,* addit[6], *per unum mediatorem Dei et hominum, nisi esset Deus ;* et iterum[7] : *Quaerendus est mediator, qui non solum homo, sed etiam Deus sit.* Et S. Leo[8] : *Nisi esset homo, non praeberet exemplum ; nisi esset Deus, non adferret remedium.*

Cum hoc tamen stat quod Christus non debet dici mediator secundum utramque naturam, quasi utraque natura sit principium formale quo exercentur opera mediatoris, sed solum secundum humanam naturam, secundum quam Christus pro nobis satisfecit. Unde quod scribit Augustinus[9] : *Mediatrix humana divinitas, et divina humanitas,* tanquam improprie dictum debet sumi, pro : *Deus homo* et *homo Deus.*

6. — Scholion. — Quae, si intimius perlegantur, apparebit unum eumdemque Christum et mediare in reconciliatione, et reconciliationem ipsam perficere : mediat, in quantum satisfacit pro peccato totius generis humani, quod ei convenit ut homo est ;

1. Ord. S. Aug., l. X, Confess., c. 43. — 2. Ad 2[m]. — 3. Io. I, 14. — 4. L. contra Felic., c. 10. — 5. Ad 1[m]. — 6. Enchir., c. 18. — 7. L. IX de Civ. Dei, c. 15. — 8. Serm. I de Nativ. — 9. Serm. de Ov , c. 12.

reconciliationem autem perficit, in quantum auctoritative peccatum aufert, quod ipsi convenit ut Deus est[1]; unde, ut homo, Christus nos reconciliat et pacificat supplicando et satisfactionem exhibendo; ut Deus autem nos reconciliat et pacificat exaudiendo et acceptando satisfactionem; ideoque unus est Christus qui *factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.*

1. Ad 3^m. — De Christi mediatione, cf. Petav. de Incarnat., l. XII, cc. 3, seqq., qui diversorum temporum errores hac de re erudite recenset, itemque pacis a Christo inter homines constitutae munera exponit, quorum potissimum est quod, morte soluta, Patri nos reconciliaverit, ut pulchre canit Prudentius (in Cathemer. XI) his versibus :

Emerge, dulcis pusio,
Quem mater edit castitas,
Parens et expers coniugis,
Mediator et duplex genus.
. . . . . .
Mortale corpus induit,
Ut excitato corpore,
Mortis catenam frangeret,
Hominemque portaret Patri.

Praeclara sunt quae hac in re scribit Monsabré (Conférence XLII, *Du Sacerdoce de Jésus-Christ): Voilà, Messieurs, les choses sacrées qui, de l'humanité, vont à Dieu, par notre prêtre Jésus-Christ. Leur mouvement en appelle un autre; les choses sacrées descendent de Dieu à l'humanité. C'est la vérité dégagée des ombres de l'ancienne alliance, enrichie de nouvelles révélations, brisant les entraves du privilège, pour se répandre sur l'univers entier; c'est la loi d'amour bannissant les religieuses terreurs qui tenaient les peuples à distance, et convoquant non plus quelques âmes d'élite, mais toutes les âmes à une perfection jusque-là sans exemple; c'est le pardon assuré de toutes les iniquités; c'est la grâce engendrant une race sainte, fortifiant les faibles, relevant les tombés, excitant les vaillants, consommant les parfaits, descendant jusqu'aux principes de la vie, pour les sanctifier et les épanouir en enfants de bénédiction; c'est la vie même de Dieu pénétrant des signes infirmes, et s'insinuant dans les âmes avec une plénitude inaccoutumée; c'est une immense effusion de grandeur, de noblesse, de secours, de bienfaits, de tendresses divines : Tout cela : Per Iesum Christum Dominum nostrum.*

APPENDIX

DE IIS QUAE CHRISTUS, SALVATOR NOSTER, EGIT ET PASSUS EST, SEU DE MYSTERIIS VITAE CHRISTI

PROLOGUS

1. — Ratio huius partis. — In secunda parte tractatus de Verbi incarnatione, totus est Angelicus Doctor in iis exponendis quae Dei Filius in natura humana sibi unita gessit vel passus est: quam quidem considerationem brevi compendio hic absolvemus, cum nulla vel parva sit in illis rebus explicandis difficultas. Quae enim ad theologicae scientiae rigorem magis proprie pertinent, iam sunt explicata in anteactis quaestionibus: caetera ita ad fovendam pietatem aut ad animum sublevandum conferunt, ut qui vel summis labiis scholasticam doctrinam attigerit, ea facile capere valeat. Et utique optandum est ut sacrorum ministri, sive pro propria aedificatione, sive pro fidelium instructione ad istud saluberrimum pabulum, ex ipsa Summa S. Thomae depromptum recurrant: sic quippe fiet ut et altiorem de Domini nostri sanctissima humanitate sensum foveant, et illius meritorum, maxime quae passione sua nobis comparavit, fructus uberiores percipiant.

Quae autem in triginta tribus quaestionibus (XXVII-LIX)[1] de hac re longiori calamo scripta reliquit Angelicus Doctor, nos eius vestigiis pressius inhaerentes, per summa capita hic tradentes ita perstringemus, ut tamen nihil eorum desit quae discipulorum utilitati, quibus in theologica scientia erudiendis prospicimus, prodesse novimus[2].

1. Numeri romani in parenthesi contenti indicant quaestiones in textu S. Thomae. — 2. Qui plura cupiat, praeter egregia quaedam opera recentiori aevo conscripta quae omnibus praesto sunt, adeat insigne

2. — Divisio huius partis. — Quadripartita autem est de iis quae per Christum, Servatorem Nostrum, sunt acta, consideratio : scilicet, *primo loco*, considerandа sunt ea quae pertinent ad illius ingressum in mundum (XXVII-XXXIX) ; *secundo*, ea quae spectant ad progressum vitae illius in hoc mundo (XL-XLV) ; *tertio*, ea quae pertinent ad eius exitum de hoc mundo (XLVI-LII) ; *quarto* demum, ea quae ad illius exaltationem post hanc vitam referuntur (LIII-LIX).

opus Ignatii Hyacinthi Amat de Graveson, O. P., cui titulus *Tractatus de vita, mysteriis et annis Iesu Christi Servatoris Nostri, contra infideles, iudaeos et haereticos*, ed. 5ª, Venetiis 1761, quo opere omnia quae ad vitam, passionem et mortem Domini Nostri pertinent, accurate simul et erudite illustrantur, iuxta germanam S. Thomae Aquinatis mentem. Inter asceticos scriptores qui de mysteriis vitae Domini nostri tractarunt, eminet Thomas Hemerken a Kempis, in cuius opere *Orationes et Meditationes de Vita Christi* salubre omnino et ad vitam spirituali more transigendam perutile pabulum subministratur. Hoc opus a Michaele Iosepho Pohl ad codicum manu scriptorum editionumque vetustarum fidem denuo editum (Friburgi Brisigavorum, 1902) nuperrime in linguam anglicam vertit W. Duthoit, D. C. L. (London, 1904). Ex recentioribus, legi possunt Card. Wiseman, *Sermons on Our Lord Jesus Christ and His Blessed Mother*, Dublin, 1864; Monsabré, Conférences, *Vie de Jésus-Christ;* etc. Denique praetermittere hic non debemus, inter ea quibus vera fides in Dominum Nostrum nutritur, eminere illum precandi ritum, cui nomen *Rosarium*, seu *Corona*, quo Iesu et Matris eius mysteria, gaudia, dolores, triumphos, recolimus et quo, ait Leo XIII, *mirum quantum adiumenti trahere sibi possunt* (fideles), *tam ad fidem alendam et ab ignorantia aut errorum peste tutandam, tum etiam ad virtutem animi relevandam et sustinendam*. Quo etiam modo *orantis cogitatio et memoria, fidei lumine praelucente, ad ea mysteria iucundissimo studio feruntur; in eisque et defixae et discurrentes, satis admirari non queunt restitutae humanae salutis inenarrabile opus, tam largo pretio rerumque tantarum serie confectum, tum vero animus super his caritatis divinae argumentis amore et gratia exardescit, spem confortat et auget, capidus arrectusque ad coelestia praemia, iis a Christo parata qui se ad ipsum imitatione exempli et communione dolorum adiunxerint*. Ep. Encycl. *Octobri mense*, 22 sept. 1891.

CAPUT PRIMUM

DE PERTINENTIBUS AD INGRESSUM CHRISTI IN MUNDUM

ORDO CAPITIS

In hac prima parte, S. Thomas quatuor proponit consideranda: *primum*, de conceptione Christi (XXVII-XXXIV); *secundum*, de eius nativitate (XXXV-XXXVI); *tertium*, de legalibus circa Christum puerum observatis (XXXVII); *quartum*, de baptismo quo Christus baptizatus est (XXXVIII-XXXIX).

§ I

DE CONCEPTIONE CHRISTI

Tria circa Christi conceptionem investiganda occurrunt: *primum*, quantum ad Matrem concipientem (XXVII-XXX); *secundum*, quantum ad ipsam Salvatoris conceptionem (XXXI-XXXIII); *tertium*, quantum ad perfectionem prolis conceptae (XXXIV).

1. — Qualis Mater Dei esse debuerit. — Quod ad ipsam Verbi incarnati Matrem attinet, S. Thomas quatuor tantum hic inquirit, scilicet, de eius prima sanctificatione, de eius virginitate, de eius desponsatione cum S. Ioseph, et demum de eius annuntiatione: in quibus brevi utique calamo pertractatis Angelicus fundamenta subministrat quibus inniti debeat integer tractatus theologicus de Beatissima Virgine Maria Matre Dei.

Equidem, de prima Deiparae sanctificatione S. Doctor non videtur tam accurate fuisse locutus, cum ponat Mariam in originali peccato fuisse conceptam, et ab eo purgatam ante nativitatem, hoc videlicet pacto, ne diminuere videretur efficaciam operis redemptivi Christi Domini, et universalitatem reparationis

ab ipso allatae [1]. Haec tamen ratio nulla est, cum satis compertum sit nonnisi intuitu meritorum Christi Mariam fuisse ab originali peccato praeservatam immunem, ut Ecclesia declaravit[2] : unde et hoc ipsum Christo demum est adscribendum, quod Deus Mariam in illius conceptione totam puram et immaculatam formaverit, concesso tunc ipsi pene immenso gratiarum thesauro[3].

Haec de Immaculata B. Virginis Conceptione doctrina, quam laetabundus suscepit orbis catholicus, utique ex divina maternitate potest deduci, in quantum scilicet decebat ut illa quae auctorem vitae spiritualis et omnis sanctitatis erat editura, ab omni peccati naevo praeservaretur, ne Matris dedecus in Filium redundaret. Attamen profundior et ad rem conficiendam magis idonea ratio in eo sita est, quod Maria, hoc ipso quod Salvatoris Mater futura erat, a Deo fuit ab aeterno praedestinata ut esset Mediatrix nostra ad Christum, et ut cum eo cooperaretur ad nostram salutem. Quod quidem requirebat ut Maria ab omni peccato immunis prorsus existeret : nam licet utique, absolute loquendo, Verbum ex Matre originali peccato infecta nasci potuisset, tamen impossibile erat ut mulier aliquando peccato subdita, nostra ad Christum mediatrix esset, et generis humani dignissima coredemptrix : peccati enim vel levis imperfectio quidquam detraxisset efficaciae illius mediationis, nec Christo plene cooperari potuisset ad hominum salutem procurandam, quae primum pro propriis peccatis aliquid solvere debuisset[4].

Porro, cum de gloriosa Deipara integrum opus ediderimus, non est ut hic ea iterato exponamus quae ibi tradidimus : hoc tantum advertimus, nihil ad Deum melius cognoscendum, nihil

1. Plures tempore recentiori conati sunt ostendere S. Thomam Immaculatae Conceptioni aut implicite favisse, aut saltem non obstitisse. Et profecto nobis periucunda res esset haec persuasio, utpote S. Doctoris honori cedens; at penitior consideratio totius doctrinae S. Thomae cogit ut dicamus eos scriptores in ambiguo ludere. Cf. Tr. de Bma Virgine Maria, P. II, c. I. Append. I. — 2. Bulla *Ineffabilis*. — 3. De initiali Deiparae gratia ex professo disseruimus in Opusc. De Maria nunquam satis, Romae, 1905, contra recentem scriptorem qui, sententia quadam mira levitate adstructa, discedentes a se tanquam Deiparae privilegiorum adversarios, haud modica veritatis iactura, traducit. — 4. Vide L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain. 1906.

ad vitam christiane informandam magis conducere, quam pleniorem cognitionem et puriorem amorem eius quae est *mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei*[1].

2. — **Quomodo Christus debuerit concipi.** — Imprimis, quod ad corpus attinet, Verbum carnem sumere debuit ex materia ab Adam derivata; siquidem naturam humanam praecise ad hoc assumpsit, ut eam a corruptione purgaret : humana autem natura non indigebat purgatione, nisi in quantum erat infecta per originem vitiatam qua ex Adam descendebat; unde ut hanc nostram naturam curaret, Verbum illam sumere debuit ex Adam.

Attamen Christi corpus non fuit in Adam nec in aliis Patribus, secundum aliquid signatum, sic quod aliqua pars corporis Adae, vel alicuius alterius, posset ita determinate signari, ut diceretur quod ex hac praecise materia determinate formabitur Christi corpus : *sed fuit ibi secundum originem, sicut et caro aliorum hominum : corpus enim Christi habet relationem ad Adam et alios Patres mediante corpore Matris eius : unde nullo alio modo fuit in Patribus corpus Christi quam corpus Matris eius, quod non fuit in Patribus secundum materiam signatam, sicut nec corpora aliorum hominum*[2]. Quapropter concludendum est quod corpus Christi fuit in Adam et in aliis Patribus secundum potentiam, et consequenter formari debuit non de carne vel de ossibus B. Virginis, sed de purissimo sanguine illius, qui nondum est actu pars, sed est potentia totum.

Quod autem ad conceptionis auctorem spectat, dicendum est quod, licet conceptio corporis Christi sit opus totius Trinitatis, tamen rite Spiritui Sancto attribuitur, ex eo quod fuit opus summae dilectionis : Spiritus Sanctus autem procedit ut amor Patris et Filii. Quapropter dici debet Christus conceptus de Spiritu Sancto, quin tamen propterea dici debeat filius Spiritus Sancti secundum carnem, sicut dicitur filius Mariae : nam cum filiatio attendatur secundum similitudinem geniti ad generantem, de Maria quidem Christus conceptus est ministrante materiam in similitudinem speciei, et ideo eius Filius dicitur ; de Spiritu Sancto autem conceptus est Christus, non tamen secundum similitu-

1. Eccli. XXIV, 24. — 2. 3, Quaest. XXXI, art. 6.

dinem speciei : quia si de natura divina sit sermo, potius Spiritus Sanctus procedit a Filio quam Filius a Spiritu Sancto ; si autem de natura humana, non est similitudo inter Christum et Spiritum Sanctum.

Denique, si consideretur modus et ordo conceptionis Christi, dicendum quod haec differentia intercedit inter Christi conceptionem et conceptionem aliorum hominum, quod in generatione aliorum hominum corpus successive formatur et disponitur ad animam, ita quod primo tamquam imperfecte dispositum animam imperfectam recipiat, et nonnisi quando iam est perfecte dispositum, recipiat animam perfectam. At corpus Christi, propter infinitam virtutem agentis, fuit perfecte dispositum in instanti, unde statim in primo instanti recepit formam perfectam, idest animam rationalem, et similiter in illo primo instanti fuit assumptum a Verbo, ne videlicet esset aliquando homo, quin esset Filius Dei, quod esset renovativum haeresis Photini[1]. Concludendum igitur est quod in ista mirabili conceptione, si quidem consideretur id quod est ex parte virtutis activae, totum est miraculosum ; at quoniam *unumquodque magis iudicatur secundum formam quam secundum materiam, et similiter secundum agens quam secundum patiens, ideo est quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa et supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis*[2].

3. — In quanam perfectione Christus fuerit conceptus. — Cum autem in primo instanti suae conceptionis, corpus Christi fuerit animatum et a Verbo assumptum, ideo recepit etiam plenitudinem gratiae sanctificantis et animam et corpus eius, abundantia enim gratiae derivatur in Christum ex eius unione ad Verbum, iuxta illud[3] : *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigenili a Patre, plenum gratiae et veritatis.*

Et quidem suae singulari conceptioni Christus hoc debuit, quod peccatum originale, quod ex seminali generatione contrahitur, non haberet ; sed et divina gratia totam illius humanam naturam ita perfudit, ut esset in ipso perfectissima harmonia partium ad invicem, et mens eius Deo perfecta charitate adhaereret. Et quod

1. 3, Quaest. XXXIII, art. 2, ad 3^m^, et art. 3. — 2. Ibid., art. 4. — 3. Io. I, 14.

mirabilius est, hanc gratiam habuit Christus, in illo primo suae conceptionis momento, cum actuali propria dispositione, consentiente videlicet eius voluntate motioni divinae gratiae, cum tunc haberet perfectum usum liberi arbitrii; unde etiam in illo primo momento Christus mereri potuit, non quidem gratiam quae tunc ipsi infundebatur, nec gratiae augmentum cui ipse nunquam subiacuit, sed gloriam immortalitatis pro se, pro nobis autem salutem aeternam.

Quantitas autem gratiae quam accepit Christus in illo momento supergressa est quantitatem omnium simul comprehensorum, quia Christo data est gratia non ut homini in via, sed ut comprehensori, et quidem perfectiori comprehensori quam sint omnes simul comprehensores. Ubi notare oportet gratiam viae ita cedere gratiae patriae, ut quantacumque illa sit, semper inferior maneat minimâ gratiâ patriae sicut quodcumque semen semper inferius est quacumque arbore[1]; unde dixit Christus de Ioanne Baptista[2] : *Qui autem maior est in regno caelorum minor est illo.*

§ II

DE CHRISTI NATIVITATE

Circa Christi nativitatem, duo exponenda sunt : *primum,* de ipsa nativitate (XXXV), *alterum,* de nativitatis manifestatione (XXXVI).

1. — Quaenam ad Christi nativitatem pertineant. — Circa ipsam Christi nativitatem, hoc primo advertendum est, quod nasci non est naturae ut subiecti, sed personae in aliqua determinata natura; quia nascitur aliquid ad hoc ut sit, esse autem proprie est rei subsistentis, utique in determinata natura quae est terminus generationis : quia autem motus ex termino specificatur et in Christo alia est natura divina, quae est terminus aeternae generationis, et alia natura humana, quae est terminus humanae generationis, ideo necesse est duas nativitates agnoscere

1. Caiet. in 3. Quaest. XXXIV, art. 4. — 2. Matth. XI, 11.

in Christo, iuxta illud S. Damasceni[1] : *Confitemur... duas Christi nativitates; alteram quae est ex Patre, aeternam, ...alteram quae est in ultimis temporibus, propter nos.*

Cum autem concipi et nasci personae attribuatur secundum illam naturam in qua concipitur et nascitur, et cum in ipso principio conceptionis, humana natura fuerit assumpta a divina persona, sequitur quod vere dici potest Deum esse conceptum et natum de Virgine : siquidem ex hoc aliqua mulier dicitur mater alicuius, quod eum concepit et genuit ; unde Beata Virgo vere dici debet Mater Dei. — Cavere tamen sedulo quis debet ne propterea dicat in Christo esse duas filiationes : quia cum subiectum filiationis, quae quidem est relatio, non sit natura aut pars naturae, sed solum persona vel hypostasis, et in Christo non sit alia hypostasis nisi aeterna, ideo non est in Christo nisi una filiatio quae est in hypostasi aeterna; etsi Christus dicatur relative filius ad Matrem, relatione scilicet rationis, quae cointelligitur relationi reali maternitatis ad Christum.

Quod autem spectat ad circumstantiam nativitatis Christi, dicendum primo est quod Christus egressus est ex clauso utero Matris, ideoque nulla in Maria violenta apertio fuit; et propterea in illo partu dolor prorsus abfuit et omnis corruptio, quinimmo iucunditas magna perfudit cor Virginis, quae Hominem-Deum in lucem edebat[2].

2. — Quo pacto Christi nativitas manifestari debuerit. — Cum Christi nativitas proficua esse debuerit hominibus, alioquin frustra ille natus fuisset, proficua autem nativitas haud fuisset si remansisset occulta, hinc aliquibus manifestari debuit. Pertinet autem ad ordinem divinae sapientiae, ut Dei dona et secreta sapientiae non aequaliter ad omnes, sed immediate ad quosdam perveniant, per quos ad alios deriventur : unde hoc etiam debuit circa Christi nativitatem observari, ut non omnibus immediate mani-

1. L. III. Orthod. fid., c. 7. — 2. Notum est virginalem Christi nativitatem a pluribus ecclesiae anglicanae theologis nuperrime fuisse impugnatam, utpote rem naturae vires superantem, nec sufficienti Scripturarum testimonio firmatam. At hoc proprie ad miraculum pertinet quod vires naturae superet; Scripturarum autem laconicitatem abunde supplevit infallibilis Ecclesiae sensus. Cf. Tract. DE B. VIRGINE M., P. II. c. III, a. 1.

festaretur, sed quibusdam, per quos posset tandem ad alios quoque devenire [1]. Non tamen per seipsum debuit Christus suam nativitatem manifestare, hoc enim fidei humanitatis eius praeiudicasset si seipsum manifestasset, sic enim non exhibuisset in seipso nativitatem similem nativitati quae propria est infirmorum hominum.

Igitur, ex Sacrarum Scripturarum narratione, habemus quod nativitas Christi praenuntiata fuit Mariae et Ioseph, non quidem hoc fine ut illam aliis manifestarent, testimonium enim eorum, utpote domesticum, suspectum fuisset, sed ut et reverentiam exhiberent proli conceptae in utero, et obsequium praestarent eidem nasciturae. Christo tamen iam nato, invenitur eius nativitas divinitus manifestata, *primo*, pastoribus, ipso die nativitatis Christi; *secundo* Magis, qui pervenerunt ad Christum tertia decima die nativitatis eius, quo die festum Epiphaniae celebratur [2]; *tertio*, iustis in templo, id est Simeoni et Annae, quadragesimo die a Christi nativitate.

Huius autem ordinis ratio est, quia *per pastores significantur Apostoli et alii credentes ex Iudaeis, quibus primo manifestata est fides Christi, inter quos non fuerunt multi potentes nec multi nobiles* [3]; *secundo autem fides Christi pervenit ad plenitudinem Gentium quae est praefigurata per Magos: tertio autem pervenit ad plenitudinem Iudaeorum quae est praefigurata per iustos, unde et in templo Iudaeorum est eis Christus manifestatus* [4].

Ista quidem triplex manifestatio signis congruentibus facta est: nam viris quidem iustis familiare est et consuetum *interiori Spiritus Sancti instinctu edoceri absque signorum sensibilium demonstratione, scilicet per spiritum prophetiae; alii vero corporalibus rebus dediti, per sensibilia ad intelligibilia adducuntur; Iudaei autem consueti erant divina responsa per angelos accipere, per quos etiam legem acceperant, secundum illud* [5]*: Accepistis legem in dispositione angelorum; Gentiles vero, et maxime astrologi, consueti sunt stellarum cursus inspicere. Et ideo iustis, scilicet Simeoni et*

1. 3, Quaest. XXXVI, art. 2.— 2. Ibid. At non est necesse ut retineatur Magos eo ipso die Christum fuisse veneratos, quo Ecclesia Epiphaniae festum celebrat; cum in festorum assignatione Ecclesia aliud non intendat, nisi mysteria Christi aut sanctorum memoriam venerari. — 3. 1, Cor. I, 29. — 4. 3, Quaest. XXXVI, art. 6. — 5. Act. VII, 53.

Annae, manifestata est Christi nativitas per interiorem instinctum Spiritus Sancti, secundum illud[1]*: Responsum accepit a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Pastoribus autem et Magis, tanquam rebus corporalibus deditis, manifestata est Christi nativitas per visibiles apparitiones; et quia nativitas non erat pure terrena, sed quodammodo caelestis, ideo per signa caelestia utrisque Christi nativitas revelatur*[2].

Ex quo apparet convenienter fuisse electos eos quibus Christi nativitas manifestata est: pastores enim fuerunt simplices et viles, Magi autem sapientes et potentes, Simeon et Anna iusti: unde datur intelligi nullam hominum conditionem excludi a Christi salute.

De Magis autem advertendum est illos absque errore Christo reverentiam exhibuisse: sunt enim *primitiae gentium in Christum credentium; in quibus apparuit, sicut in quodam praesagio, fides et devotio gentium venientium a remotis ad Christum; et ideo sicut devotio et fides gentium est absque errore per inspirationem Spiritus Sancti, ita etiam credendum est Magos a Spiritu Sancto inspiratos sapienter Christo reverentiam exhibuisse* [3].

§ III

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM IESUM OBSERVATIS

Cum signum legis mosaicae fuerit circumcisio, ideo qui circumcidebatur obligabatur ad omnia legalia servanda ac implenda, iuxta illud S. Pauli [4]: *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.* Quapropter hic quaerendum proponitur, *primo*, de ipsa Christi circumcisione; *secundo*, de nominis impositione; *tertio*, de eius oblatione in templo; *quarto*, de purgatione illius Matris (XXXVII).

1. — Quare Christus debuerit circumcidi. — Inter causas quae adduci possunt, sequentes dignae sunt quae recenseantur: *primo*, ut veritatem carnis humanae ostenderet, contra insur-

1. Luc. II, 26. — 2. S. Thom., l. c., art. 5. — 3. Ibid., art. 8. — 4. Gal. V, 3.

recturos errores Manichaei, qui dixit Christum habuisse corpus phantasticum, Apollinaris, qui posuit corpus Christi esse divinitati consubstantiale, et Valentini, qui dixit eum de caelo corpus attulisse; *secundo*, ut humilitatem et obedientiam nobis exemplo suo commendaret, dum dignatus est apparere peccator, seque legi, cui non tenebatur, ultro subiecit; *tertio*, ut legis onus in se sustinens, alios a legis onere liberaret.

Attamen legem circumcisionis Christus sui ipsius circumcisione non sustulit, sed potius hoc fecit sua passione, ideoque lex circumcisionis usque ad Christi passionem perduravit : nam circumcisio significat exspoliationem vetustae generationis, a qua vetustate per passionem Christi liberamur; et ideo cum circumcisio foret figura Novi Foederis, haec figura autem plene impleta non fuerit nisi per Christi passionem, ideo per Christi circumcisionem non debuit statim cessare lex illa Moysi.

2. — Convenientia nominis Christo impositi. — Cum Abraham simul susceperit a Deo impositionem nominis et mandatum circumcisionis, ideo consuetum erat apud iudaeos ut ipso circumcisionis die pueris nomina imponerentur, quasi ante circumcisionem perfectum esse non habuerint, sicut etiam nunc pueris in baptismo nomina imponuntur.

Porro, Christo Domino nomen *Iesus* impositum est, iuxta illud [1]: *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus*, quod a graeco derivatum, significat *Salvatorem* [2], et congrue Christo impositum est divinitus, cui hoc munus gratiae collatum est, ut per ipsum omnes salvarentur. Quod autem pluribus ex Veteri Testamento impositum reperiatur hoc sanctissimum nomen, hoc ideo est quia aliquam particularem et temporalem salutem illi attulerunt, qui propterea Christi typi extiterunt: nam hoc nomen Christo proprium est secundum rationem spiritualis et universalis salutis.

Denique notari potest, in aliis nominibus, quae de Christo prophetae praenuntiaverunt, quodammodo significari hoc nomen *Iesus*, in quantum designat salutem. Sic quippe dicitur [3] *Emma-*

1. Luc. II, 21. — 2. Cf. Vol. I, Prooemium, n. 7, pp. 9, 10. — 3. Is. VII, 14.

nuel, quod est *nobiscum Deus;* in quo designatur causa salutis, quae est unio divinae et humanae naturae in persona Filii Dei, per quam unionem factum est ut Deus esset nobiscum quasi nostrae naturae particeps. Per hoc etiam quod Christus vocatur[1]: *Accelera, spolia detrahere*, etc., designatur a quo nos salvavit, nempe a diabolo, cuius spolia abstulit. Pariter vocatur nomen eius *admirabilis*, etc.[2]; per quod designatur via et terminus nostrae salutis, in quantum admirabili divinitatis consilio et virtute ad haereditatem futuri saeculi perducimur, in quo erit pax perfecta filiorum Dei sub ipso principe Deo. Demum, quod dicitur: *Ecce vir, Oriens nomen eius*[3], refertur quoque ad Incarnationis mysterium; secundum quod *exortum est in tenebris lumen rectis*[4].

3. — Christi oblatio in templo. — De prole nata duplex praeceptum in lege tradebatur. *Unum quidem generale quoad omnes, ut scilicet completis diebus purificationis Matris, offerretur sacrificium pro filio, sive pro filia*[5], *et hoc quidem sacrificium erat et ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta et nata, et etiam ad consecrationem quamdam ipsius, quia tunc primo praesentabatur in templo, et ideo aliquid offerebatur in holocaustum, et aliquid pro peccato. Aliud autem praeceptum erat speciale in Lege de primogenitis tam in hominibus quam in iumentis: sibi enim Dominus deputaverat omne primogenitum filiorum Israël, pro eo quod ad liberationem populi Israël percusserat primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus, primogenitis filiorum Israël reservatis*[6], *in quo etiam praefigurabatur Christus, qui est primogenitus in multis fratribus. Quia igitur Christus ex muliere natus erat quasi primogenitus, et voluit fieri sub Lege, haec duo Evangelista Lucas circa eum fuisse observata ostendit: primo quidem id quod pertinet ad primogenitos, cum dicit*[7]*: Tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur; secundo illud quod pertinet communiter ad omnes, cum dicit*[8]*: Ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*[9].

1. Ibid. VIII, 1. — 2. Ibid. IX, 6.— 3. Zachar. VI, 12.— 4. Ps. CXI, 4. 3, Quaest. XXXVII, art. 2. — 5. Levit. XII. — 6. Exod. XIII. — 7. Luc. II, 22, 23. — 8. Ibid. V, 24. — 9. Cf. Levit. VII, 6, 8; XIII, 2. S. Thom. 3, Quaest. XXXVII, art. 3.

4. — Purgatio Mariae in templo. — Sancitum in Lege erat ut *mulier* (quae) *suscepto semine* (peperisset) *masculum, immunda* (foret) *septem diebus, et triginta tribus diebus* (maneret) *in sanguine purificationis suae*[1]; ubi signanter videtur Moyses locutus, ad excipiendam ab immunditia Matrem Dei, quae non suscepto semine peperit, ideoque non obligabatur ad impletionem illius praecepti. Attamen, sicut Christus, licet non esset Legi obnoxius, tamen voluit subire circumcisionem et alia legis onera, ad demonstrandum exemplum humilitatis et obedientiae, et ut legem observando, tolleret iudaeis calumniae occasionem, ita Maria Legis observantias, quibus obnoxia non erat, adimplere voluit propter easdem rationes.

§ IV

DE BAPTIZATIONE CHRISTI

Tria circa Christi baptizationem investiganda sunt: *primum*, de natura baptismi Ioannis (XXXVIII); *secundum*, de Christi baptizatione in seipsa inspecta (XXXIX, art. 1-2); *tertium*, de circumstantiis baptizationis Christi (Ibid., 3-8).

1. — Qualis fuerit baptismus Ioannis. — Baptismus Ioannis non fuit sacramentum — non quidem sacramentum Novae Legis, cum talia sacramenta solum Christum habeant institutorem, nec sacramentum Veteris Legis, cum Ioannes non introduxerit novam legem.

Unde baptismus sancti Ioannis potius fuit quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi, ideoque magis ad Legem Christi pertinuit quam ad Legem Moysi. Quapropter iste baptismus non conferebat gratiam, nec sicut sacramenta Veteris Legis nec sicut sacramenta Novae Legis, sed solum praeparabat homines ad gratiam: *primo* quidem, per doctrinam Ioannis inducentem homines ad fidem Christi; *secundo*, praeparando homines per poenitentiam ad suscipiendum effectum baptismi Christi; *tertio*, assuefaciendo homines ad recipiendum

1. Levit. XII, 2, 4.

ritum baptismi Christi. Unde dicit Ven. Beda quod *quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptisma Ioannis ante baptisma Christi*[1] : sicut enim Ioannes homines in cognitionem veritatis attrahebat et praedicabat poenitentiam et baptismum Christi praenuntiabat, ita nunc ministri Ecclesiae primo erudiunt, postea peccata catechumenorum redarguunt, demum remissionem peccatorum promittunt in baptismo Christi.

Quod autem attinet ad institutionem huius baptismatis, dicendum est quod ritus baptizandi non *fuit ex hominibus, sed a Deo, qui familiari Spiritus Sancti revelatione Ioannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine, quia nihil in illo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset*[2]; unde ex hoc capite non dicitur fuisse a Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur. Unde patet differentia inter hunc baptismum et baptismum Novae Legis : per hunc enim baptismum homines baptizantur interius per Spiritum Sanctum, quod facit solus Deus ; per baptismum autem Ioannis solum corpus mundabatur aqua, unde dicitur[3] : *Ego quidem baptizo vos in aqua... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Quapropter sancti Ioannis baptismus ab ipsomet denominatur, quia nihil in eius baptismo agebatur quod ipse Ioannes non ageret : e contra baptismus Novae Legis non denominatur a ministro, quandoquidem hic principalem baptismi effectum non producit, qui est interior emundatio a peccato, sed solum instrumentaliter concurrit ad effectum illius baptismi producendum.

Demum advertatur quod baptizati baptismo Ioannis postea debuerunt baptizari baptismo Christi, etsi fidem et spem in isto baptismo non posuerint, sed crediderint in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ; quia baptismus Ioannis neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, sed erat solum in aqua, quem defectum spes in Trinitatem et in Christum non supplebat. Unde dicit S. Augustinus[4] : *Ideo post Ioannem baptizatum est, quia non dabat baptismum Christi sed suum : quod autem dabatur a Petro, et si quod datum est a Iuda, Christi erat. Et ideo si quos baptizavit Iudas non sunt iterum baptizandi : baptisma enim tale*

1. Hom. Circumcis. — 2. 3, Quaest. XXXVIII, art. 2, ad 1^m. — 3. Matth. III, 11. — 4. Tract. V in Io.

est, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis ille cuius ministerio datur.

2. — Cur Christus baptizari debuerit. — Cum primum movens in quolibet genere sit immobile secundum illum motum, baptismus autem Ioannis ordinaretur ad gratiam, planum est Christum, si baptizari voluit, non debuisse baptizari spiritualiter, seu in ordine ad gratiam quam ita possidebat ut augeri in ipso non posset, sed tantummodo debuit baptizari in aqua, non tamen ita ut ipse ablueretur, sed potius ut alios ablueret. Quod quidem factum est, tum per hoc quod baptismo suo quamdam sanctificationis virtutem aquis tribuit in ordine ad baptismatis sacramentum a se aliquando instituendum ; tum per hoc quod exemplo suo homines ad poenitentiam et sic ad baptisma traxit : eo enim nos validius trahit Christi exemplum, quo magis illum omnis culpae expertem cognoscimus.

Notandum vero est baptismum, quo Christus baptizatus est, medium quodammodo fuisse inter baptismum iudaeorum et baptismum ipsius Christi : at illo quidem baptismo, qui tantum figuralis erat, et consistebat in solis ritualibus ablutionibus, Christus baptizari non debuit, quia ei qui est ipsa veritas non competit id quod in sola figura geritur ; similiter suomet baptismo Christus non debuit baptizari, utpote qui non indigebat ut mundaretur a peccato et gratiam reciperet, quae quidem duo Christi baptismus in nobis producit.

3. — Circumstantiae baptizationis Christi. — Circa hanc Christi baptizationem, quinque hic circumstantiae singillatim considerandae occurrunt : *tempus, locus, apertio caelorum, apparitio Spiritus Sancti in specie columbae et testimonium vocis paternae.*

α) Convenientia *temporis* quo Christus baptizari voluit, quod fuit cum ad aetatem triginta annorum pervenit[1], ex eo manifestatur quod, ex quo Christus baptizatus est, incipere debuit docere et praedicare, ad quod aetas perfecta, qualis est aetas triginta annorum, requiritur. Quod autem tunc baptizari voluit, signum est baptismum parere viros perfectos ; siquidem trigenarius numerus quamdam perfectionem importat ; consurgit enim ex

1. Luc. III, 21, 23.

ductu ternarii in denarium : nam per ternarium intelligitur fides Trinitatis, et per denarium impletio mandatorum Legis; et in his duobus perfectio vitae christianae consistit.

β) *Locus* a Christo electus fuit fluvius Iordanis, cuius rei convenientia ex hoc patet quod filii Israel intraverunt in terram promissionis per flumen Iordanem : hoc autem Christi baptisma speciale habet prae omnibus baptismatibus, quod homines introducit in regnum Dei, quod per terram promissionis significatur. Ad hoc quoque pertinet, quod Helias divisit aquas Iordanis, quando constitutus iam in curru igneo rapiebatur in caelum : transeuntibus vero per aquam baptismi patet aditus in caelum per ignem Spiritus Sancti[1].

γ) *Apertio caelorum*, sive referatur ad visionem corporalem, quasi esset magnus splendor circa Christum refulgens, sive ad visionem imaginariam aut intellectualem in Christo vidente caelos hucusque clausos hominibus, ipsis tandem aperiri, — convenientissima est ad demonstrandum ea quae pertinent ad efficaciam nostri baptismi. Ad quam quidem *primo* pertinet principalis virtus ex qua baptismus habet efficaciam, quae est virtus caelestis; *secundo*, fides Ecclesiae et eius qui baptizatur, unde et baptizati fidem profitentur et baptismus dicitur fidei sacramentum : per fidem autem inspicimus caelestia quae sensum et rationem superant; *tertio*, apertio introitus regni caelestis, qui primo homini praeclusus fuerat per peccatum; unde baptizato Christo, aperti sunt caeli, ut ostenderetur quod baptizatis patet via in caelum[2].

δ) Circa *apparitionem columbae*, advertendum est quod *Spiritus Sanctus descendisse dicitur super Christum corporali specie, sicut columba, non quia ipsa Spiritus Sancti substantia videretur, quae est invisibilis; neque ita quod illa visibilis creatura in unitatem personae divinae assumeretur, neque enim dicitur quod Spiritus Sanctus sit columba, sicut dicitur quod Filius Dei est homo ratione unionis; neque etiam hoc modo Spiritus Sanctus visus est in specie columbae sicut Ioannes vidit agnum occisum in Apocalypsi, ut habetur Apoc. V. Illa enim visio facta fuit in Spiritu per spirituales imagines corporum, de illa vero columba nullus unquam dubitavit, quin oculis visa sit :*

1. 3, Quaest. XXXIX, art. 4. — 2. Ibid., art. 5.

nec etiam hoc modo in specie columbae Spiritus Sanctus apparuit, sicut dicitur[1] *: Petra autem erat Christus, illa enim petra iam erat in creatura, et per significationis modum nuncupata est nomine Christi quem significabat, illa autem columba ad hoc tantum significandum repente extitit et postea cessavit, sicut flamma quae in rubo apparuit Moysi. Dicitur ergo Spiritus Sanctus descendisse super Christum, non ratione unionis ad columbam, sed vel ratione ipsius columbae significantis Spiritum Sanctum quae descendendo super Christum venit, vel ratione spiritualis gratiae,* quae in baptizatos Spiritum Sanctum recipientes a Deo infunditur[2].

ε) Denique, circa *testimonium vocis paternae*, adverti primo potest quod sic Pater dici potest apparuisse, non autem missus fuisse, ex eo quod non mittitur nisi qui est ab alio, Pater autem est principium non de principio. Convenienter autem vox illa erupit, ut demonstraretur mysterium Trinitatis, in cuius invocatione et virtute baptizantur fideles. Hanc autem vocem, sicut etiam columbam et pariter humanam naturam a Christo assumptam tota Trinitas operata est, etsi in voce declaretur solus Pater ut loquens, sicut naturam humanam solus Filius assumpsit, et sicut in columba solus Spiritus Sanctus demonstratus est[3].

1. 1 Cor. X, 4. — 2. Ibid., art. 6, ad 2^m. — 3. Circa testimonium vocis paternae, notandum est differentiam quae est inter textum S. Matthaei (III, 17): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ ηὐδόκησα, et textum S. Lucae (III, 22) : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi,* σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν σοὶ εὐδόκησα, quocum convenit Marcus (I, 11) citra pronomen Vulgatae *mihi,* — esse non penes rem, sed penes referendi modum, Matthaeo sensum, Luca vero et Marco ipsamet verba referentibus : naturale quippe est vocem ad eum personaliter fuisse directam super quem descendebat et in quo commorabatur Spiritus Sanctus. — *Quod dicitur :* Tu es, ait Angelicus (Comment. in h. l. Matth.), *hoc directe videbatur dici ad Christum, sed dicebat propter alios, quia Christus certus erat de dilectione Patris; et ideo Matthaeus expressit intentionem dicentis, et dicit :* Hic est, etc.

CAPUT SECUNDUM

DE PERTINENTIBUS AD PROGRESSUM VITAE CHRISTI IN HOC MUNDO

ORDO CAPITIS

Consideratis iis quae pertinent ad ingressum Christi in mundum sive ad eius principium, consideranda nunc veniunt ea quae pertinent ad progressum illius. Circa quod quatuor inquirenda erunt: *primum*, de modo conversationis Christi in mundo (XL); *secundum*, de eius tentatione in deserto (XLI); *tertium*, de illius doctrina (XLII); *quartum*, de miraculis ab ipso patratis, et quidem tum generaliter, tum particulariter (XLIII-XLV).

§ I

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI IN MUNDO

Circa modum conversationis Christi seu genus vitae quod ducere debuit, quaeri potest, *primo*, utrum debuerit vitam solitariam ducere (XL, art. 1), *secundo*, utrum vitam austeram (2), *tertio*, utrum vitam abiectam (3), *quarto*, utrum vitam conformem Legi Veteri (4).

1. — Christus vitam solitariam ducere non debuit. — Revera, Christus venit in mundum ut manifestaret veritatem, ut homines a peccato liberaret, et ut esset mediator Dei ad hominem. Ergo non debuit se occultare vitam solitariam agendo, sed in publicum procedere debuit, publice praedicando, peccatores requirendo, et familiariter cum hominibus conversando, ut eis fiduciam daret ad se accedendi. Et sic optimum vitae genus Christus elegit: quia etsi vita contemplativa simpliciter sit melior quam activa

quae circa corporales actus occupatur, tamen vita activa secundum quam quis praedicando et docendo contemplata aliis tradit, est perfectior quam vita quae solum contemplatur : praesupponit enim talis vita abundantiam contemplationis.

Ex hoc tamen non tollitur quin Christus aliquando a turbis se retraxerit, tum propter necessitatem corporalis quietis, tum ut vacaret orationi, tum denique ut doceret vitandum esse favorem humanum.

2. — Tenor vitae Christi. — Porro sicut solitariam vitam Christus ducere non debuit, ita etiam nec districtissimum vitae genus amplecti, sed potius conformare se debuit, propter allatas antea rationes, communi aliorum cibo et potui ; eo vel magis quod abstinentia cibi et potus non per se pertinet ad salutem, secundum illud [1] : *Non est enim regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto.* Ut autem Dominus Noster ostenderet quod laudabiliter aliquis a communi hominum consortio segregatus abstinentiam servat, hoc etiam in deserto aliquando praestare voluit.

3. — Cur Christus paupertatem elegerit. — Ideo autem Christus pauperem vitam elegit, quia hoc officio praedicationis congruebat : praedicatores enim verbi Dei, ut omnino vacent praedicationi, a cura rerum saecularium omnino absoluti esse debent, quod divitibus possibile non est. Praeterea, sicut Christus mortem corporalem assumpsit ut vitam spiritualem nobis largiretur, ita paupertatem corporalem sustinuit ut divitias regni Dei nobis communicaret. In quo etiam commendatur insignis Christi humilitas, voluntaria enim paupertas maximae humilitatis indicium est.

4. — Christus legi paruit. — Hoc denique in Domini Nostri modo conversandi valde commendandum est, quod in omnibus secundum legis praecepta conversatus est, quod quidem praestitit ut et hominibus obedientiae exemplum praeberet, et legem observando, eam in seipso consummaret et terminaret, sic homines ab illius servitute liberans. Qui etiam suis discipulis

1. Rom. XIV, 17.

legis observationem imperavit : quod enim eos spicas sabbato vellentes excusaverit, hoc fuit propter necessitatem famis, sicut etiam excusatus est David quando sanctos panes, quos ei edere non licebat, famis necessitate compulsus comedit.

§ II

DE TENTATIONE CHRISTI

Duo hic pertractanda erunt : *primum*, de ipsa Christi tentatione (XLI, art. 1) ; *secundum*, de circumstantiis eiusdem (2-4).

1. — Conveniens fuit Christum tentari. — Tripliciter haec convenientia patet : primo, ut nobis contra tentationes Christus efficacius auxilium ferret ; secundo, ut nos instrueret neminem, quantumvis sanctum, esse securum et immunem a tentatione, et etiam ut nos doceret qualiter tentationibus resistere debeamus ; tertio, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur, unde dicitur[1] : *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

Quibus ultimis verbis satis aperte ostenditur tentationem Christum passum fuisse, non quae sit a carne, quae non est sine peccato, cum fiat per delectationem et concupiscentiam, sed quae est ab hoste, quae fit per solam externam suggestionem, et sine peccato esse potest. Similiter a mundo, in eo quod significat rerum mundanarum concupiscentiam, tentatus non fuit, etsi a mundanis hominibus fuerit impugnatus. Denique nec per phantasiae commotionem ex parte diaboli fuit tentatus, cum eius imaginatio diaboli potestati neutiquam subiiceretur.

Advertendum autem est in eo quod dicitur[2] : *Iesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo*, voculam *ut* intelligi posse consecutive, aut etiam causaliter, sic tamen ut finis Spiritus ducentis Christum, et Christi ipsius, non esset ipsa experientia tentationis, sed potius adimpletio ordinationis divinae ;

1. Hebr. IV, 15. — 2. Matth. IV, 1.

etsi dici etiam possit licuisse Christo ut expeteret tentari et quaereret opportunitatem ferendi tentationem, utpote qui nullum timere poterat perversionis periculum.

2. — Circumstantiae tentationis Christi. — α) *Locus* fuit desertum, in quo tamen non omnes tres tentationes acciderunt, cum etiam referatur Christum ductum in sanctam civitatem, et statutum supra pinnaculum templi. Desertum autem opportune significat campum certaminis, in quo Christus dici potest diabolum provocasse, non quidem directa actione, sed quia apprehensio magnorum illius operum invidiam diaboli incitavit.

β) *Tempus* fuit post Christi quadragenarium ieiunium: congrue quidem; primo, propter exemplum, quia cum omnes contra tentationes se tueri debeant, per hoc quod Christus ante futuram tentationem ieiunavit, nos etiam praemonuit ut ad tentationem per ieiunium armemur; secundo, ut ostenderet ieiunantes quoque, sicut et generaliter sanctos viros, a tentatione immunes non esse; tertio, quia post ieiunium Christi secuta est in eo esuries quae diabolo praebuit audaciam illum aggrediendi.

γ) *Ordo* et *modus* tentationis congruunt agendi rationi subdoli nostri inimici, qui hominem spiritualem non statim de gravibus peccatis tentat, sed paulatim a levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. Igitur diabolus ea hic observavit quae in tentatione primi hominis perfecerat; scilicet, primo, sollicitaverat mentem primi hominis de ligni vetiti esu, dicens[1]: *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* secundo, inanem gloriam suggesserat, addens[2]: *Aperientur oculi vestri;* tertio, perduxerat tentationem ad extremam superbiam, dicens[3]: *Eritis sicut Dii scientes bonum et malum.*

Profecto eumdem ordinem servavit diabolus in Christi tentatione: nam, primo, tentavit ipsum de eo quod appetunt etiam spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturae per cibum; secundo, processit ad id, in quo spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam; tertio, perduxit tentationem ad id, quod iam non est spiritualium viro-

1. Gen. III, 1. — 2. Ibid. V, 5. — 3. Ibid.

rum, sed carnalium, scilicet ut divitias et gloriam mundi concupiscant usque ad contemptum Dei; ideoque in primis duabus tentationibus dixit: *Si Filius Dei es*, non autem in tertia, quae non potest convenire spiritualibus viris qui sunt per adoptionem filii Dei, sicut duae primae convenire possunt[1].

§ III

DE DOCTRINA CHRISTI

Circa Christi doctrinam duo inquirentur : *primum*, quibusnam Christus debuerit praedicare (XLII, art. 1); *secundum*, quomodo (2-4).

1. — Christus iudaeis et non gentilibus praedicare debuit. — Huius rei tres rationes assignari possunt : primo, ut ostenderet quod per suum adventum implebantur promissiones antiquitus factae iudaeis, et non gentilibus; secundo, ut ordo generalis a Deo stabilitus servaretur, qui est ut per eos qui propinquiores ad Deum sunt per fidem et cultum unius Dei, eius doctrina transmitteretur ad gentes, sicut etiam in caelesti hierarchia divinae illuminationes perveniunt ad inferiores angelos per superiores; tertio, ut Christus per Crucis victoriam mereretur potestatem et victoriam super gentes; unde ante suam passionem noluit gentibus praedicari suam doctrinam, sed post suam passionem dixit suis discipulis : *Euntes, docete omnes gentes*. Aliqui tamen etiam ex gentilibus sunt a Christo admissi propter excellentiam fidei et devotionis eorum, ut ostenderetur eos a Christo non repelli et spem salutis eis non praecludi.

Quod autem gentilium conversionem Christus suis discipulis commiserit, non arguit in ipsis maiorem potestatem prae Christi potestate : non enim minoris est potestatis sed maioris, facere

1. 3, Quaest. XLI, art. 4. Ut patet, aeque discedit theologica veritas a schola mythica, cuius potissimus dux extitit Strauss *(Das Leben Iesu)*, ac a schola critica, quam Renan (*Vie de Jésus)* ingressus est, secundum quas Christi in deserto tentatio, sicut etiam miracula quae leguntur ab ipso patrata, aliud non sunt nisi legendaria enarratio a primis christianis pro illorum imaginationis modulo confecta.

aliquid per alios quam illud per seipsum facere. Unde in hoc maxime potestas divina in Christo monstrata est, quod discipulis suis tantam in docendo virtutem contulerit, ut gentes quae nihil de Christo audierant converterent ad ipsum. — Potestas autem Christi in docendo attenditur α) et quantum ad miracula, per quae doctrinam suam confirmabat, β) et quantum ad efficaciam persuadendi, γ) et quantum ad auctoritatem loquentis, quia loquebatur quasi dominium habens super legem, cum diceret : *Ego autem dico vobis*, δ) denique quantum ad virtutem rectitudinis, quam in sua conversatione monstrabat, sine peccato vivendo[1].

2. — Quomodo Christus suam doctrinam tradiderit. — imprimis advertendum est fieri haudquaquam debuisse ut Christus ab increpandis scribis, pharisaeis et principibus iudaeorum se abstinuerit ; isti enim suis pravis moribus populi vitam corrumpebant, eumque ab audienda Evangelii doctrina retrahebant, unde acriter redarguendi fuerunt : salus enim multitudinis praeferenda est paci singularium hominum, quorum offensio timenda non est, ut multitudinis saluti provideatur : unde rite invenitur Christus iudaeorum principes durius increpasse.

Ea autem quae Christus docuit, non in occulto, sed publice proferenda fuerunt. Etsi enim interdum quaedam protulerit quae statim non ab omnibus intelligerentur, tamen nihil ipsi fuit occultandum, quia doctrina eius nullam inhonestatem continebat, imo cuncta in eo erant plena sapientiae. Aliunde maxime decebat Christi caritatem ut eam aliquorum invidiam effugeret, qui suam scientiam aliis communicare renuunt, quo per eam magis excellant. Igitur Christus suam doctrinam omnibus palam proposuit, etsi aliquando sit usus parabolis ad annuntianda spiritualia mysteria ad quae nude capienda vulgus non erat idoneum aut dignum : melius quippe erat eis vel sic sub tegumento parabolarum spiritualium doctrinam audire, quam ea omnino privari ; et tamen Dominus nudam et apertam veritatem harum parabolarum discipulis suis exponere non omisit, per quos ad alios, qui essent idonei, postea perveniret.

1. 3, Quaest. XLII, art. 1, ad 2[m].

Denique *quaerenti* cur Christus doctrinam suam scripto non reliquerit, sequentes rationes adsignari possunt. *Primo*, propter eius dignitatem : excellentiori enim doctori excellentior modus doctrinae debetur; et ideo Christo, tanquam excellentissimo Doctori, hic modus competebat, ut doctrinam suam auditorum cordibus immediate imprimeret : per scripturam autem hoc fieri nequit nisi mediate, cum scriptura ordinetur, tanquam ad finem, ad impressionem doctrinae in cordibus auditorum : unde etiam Pythagoram et Socratem, qui excellentissimi doctores extiterunt, fertur nihil scribere voluisse. *Secundo*, propter excellentiam eius doctrinae quae litteris comprehendi nequit; si autem Christus doctrinam suam scripto tradidisset, nihil aliud de eius doctrina homines aestimarent, quam quod scriptura contineretur. *Tertio*, propter ordinem naturalem, qui erat ut ab ipso adomnes doctrina perveniret mediantibus eius discipulis, quos ipse immediate docuerat; si autem Christus, doctrinam suam scripto reliquisset, haec ad omnes immediate pervenisset[1].

§ IV

DE MIRACULIS CHRISTI

Cum iam dictum sit animae Christi, ut est instrumentum divinitatis, competere potestatem miraculosas immutationes faciendi in finem Incarnationis ordinabiles[2], pauca tantum hic subnectenda sunt, ut investigetur quaenam sit virtus miraculorum Christi ad confirmandam eius divinam missionem. Qua in re, *primo*, aliquid praemittendum veniet de Christi miraculis in genere (XLIII); *secundo*, de miraculis in specie quaeretur (XLIV); *tertio*, de transfiguratione speciatim agetur (XLV); *quarto*, de prophetiis; *quinto* demum, declarabitur quaenam sit virtus miraculorum Christi ad effectum illius divinitatis comprobandae[3].

1. 3, Quaest. XLII, art. 4. — 2. Cf. Quaest. XIII, art. 2. — 3. Haec longiori sermone prosecuti sumus in speciali Opere DEL MIRACOLO, SUA NATURA, SUE LEGGI, SUE RELAZIONI CON L'ORDINE SOPRANNATURALE, 2ª Ed. Romae, 1900.

1. — Quo pacto miracula facere Christus debuerit. — Porro, si quis rem attentius consideret, de facili deprehendet, absolute loquendo, non fuisse necessarium ut Christus miracula faceret : siquidem, ut Deus, potestatem habet principalem, et ut homo, potestatem instrumentalem in cordibus hominum, unde poterat immediate eos intrinsecus movere ad fidem amplectendam, sicut legimus eum fecisse quantum ad aliquos discipulos[1] : aliunde, quantumvis operatio miraculorum efficacissima sit ad fidem persuadendam, nihilominus semper in potestate hominis manet ut, visis signis, mentis suae assensum veritati praedicatae deneget.

Attamen, quia haec est naturalis hominis conditio, ut per experimentum sensuum ad res invisibiles et supernaturales capessendas deveniat, *invisibilia enim* (Dei) *a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur* [2], ideo Christi praedicationem multiplicibus signis et portentis confirmari Deus voluit, ut omnis prorsus excusatio incredulitati praecluderetur, iuxta illud Christi[3] : *Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Quod eo vel magis attendendum fuit, *primo*, quia rem omnium altissimam Christus annuntiabat, scilicet semetipsum esse Deum, non mera participatione gratiae, quo modo sancti Veteris Testamenti dii interdum appellati sunt, sed plenitudine deitatis in se habitantis corporaliter[4]; *secundo*, quia novam legem promulgabat, lege veteri longe superiorem, scilicet ardua plurima continentem, qualis est abrenunciatio suiipsius et venia pro offensionibus danda, quae res humanae inclinationi contrariae sunt.

Quapropter non pauca aut parva, sed plurima et maxima miracula fecit Christus, ut videlicet nullum relinqueret incredulitati locum; non enim omnia miracula conscripta sunt, sed, ut habet S. Ioannes [5], *multa quidem et alia signa fecit Iesus, in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc; ...quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros* [6].

1. Io. I, 35-51. — 2. Rom. I, 20. — 3. Io. V, 36. — 4. Col. II, 9. — 5. C. XX, 30. — 6. Ibid. XXI, 25. *Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse,* commentatur S. Augustinus, *sed capacitate legentium comprehendi non posse.* Tract. ult. in Io.

Attamen non oportuit ut virtus qua Christus pollebat prodigia faciendi, ab ipso adhuc in tenera aetate constituto manifestaretur : cum enim opera mirabilia ad veritatis annuntiatae confirmationem ordinarentur, eiusdem praedicatio praecedere debuit; praeterea, si iudaei Christum adhuc iuvenem tam mira patrantem vidissent, illum reputassent esse phantasma, aut invidia acti morti tradidissent[1]. Quae ita cum sint, tanquam fabula sunt habendae narrationes illae, de miris quibuscumque a Iesu parvulo patratis, quales in apocryphorum libris continentur ; quae autem in Christi nativitate prodigia extiterunt, utique eius virtute peracta sunt, attamen non ita patenter, ut ea vulgus adverteret[2].

2. — Quaenam Christus miracula patraverit. — Ut autem ordinatim hac in re procedamus, ad quatuor capita reducere possumus omnia miracula a Christo Domino patrata : quaedam enim sunt facta circa angelos, quaedam circa caelestia corpora, quaedam circa homines, quaedam demum circa creaturas inferiores. Rursus, inter mirabilia opera a Christo circa seipsum patrata, specialem meretur considerationem gloriosa eius transfiguratio in monte Thabor : de quibus omnibus singillatim nunc agemus[3].

α) Circa *angelos*, tum bonos, tum malos, Dominus Noster miracula fecit, ut homines hinc quidem ad illorum societatem quaerendam incitaret, illinc vero ab eorum consortio retraheret : unde illi pluries visibiliter apparuerunt, testimonium Christi divinitati reddentes, scilicet in eius nativitate[4], post quadragesimale ieiunium[5], in eius resurrectione et ascensione[6] ; illos vero a corporibus obsessorum discedere iussit. — Ubi sedulo notandum est non solum daemonum expulsiones vera miracula fuisse, sed etiam apparitiones bonorum angelorum : quia etsi in horum naturali potestate sit sese visibiles reddere[7], tamen, cum hoc facerent tanquam ministri Dei, et ad miraculi omnium praestantissimi, scilicet Incarnationis Verbi, manifestationem, ideo operabantur tanquam Dei instrumenta, et proinde eorum apparitiones vera miracula fuerunt[8].

1. S. Ioann. Chrysost., Homil. in Io. XX. — 2. Cf. 3, Quaest. XLIII. — 3. Cf. 3, Quaest. XLIV. — 4. Luc. II, 14. — 5. Matth. IV, 11. — 6. Luc. XXIV, 4. — 7. 1, Quaest. LI, art. 2. — 8. Vide quae scripsimus in Tract. de Angelis, Quaest. CXII, art. 1. Cf. quae scripsimus in Op. The unseen World, London, 1906. c. III.

β) Miraculis quae circa *corpora caelestia* fiunt, utpote quibus potentia facientis evidentius manifestatur, solent homines magis moveri, unde rarius a Christo patrari debuerunt, scilicet illis dumtaxat circumstantiis, quibus Verbi incarnati humilitas magis resplenduit : quod fuit in eius nativitate, novo fulgenti sidere apparente [1], in eius baptismate, cum caeli aperti sunt [2], et in eius morte, cum sol obscuratus est, et luna lumen suum dare renuit[3].

γ) Circa *homines*, miracula a Christo patrata consistunt in sanationibus ab omnibus languoribus aut morbis quibus subiacent : ideo Dominus Noster caecis visum, surdis auditum, mutis loquelam, paralyticis gressum, leprosis carnis integritatem, febri laborantibus sanitatem, mente captis rationem restituit. Perfecta autem erat sanitas a Christo infirmis donata, cui etiam accedebat cordis conversio per divinae gratiae largitatem. Quod si semel nonnisi gradatim caecus visum recuperavit, ita ut prius videret homines velut arbores ambulantes [4], et solum secunda manuum Christi impositione clare res distingueret, hoc ideo factum est, aut ut incredulitati huius hominis poena statueretur, aut ut certiores hoc ipso redderemur caecitatem humanam rem esse curatu difficilem.

δ) Denique, circa *res inferiores* miracula fecit Christus, scilicet circa animalia, plantas, fructus et elementa. — Circa animalia quidem, non terrestria, quae maiorem cum animali hominis natura affinitatem habere videntur, unde quantum ad hoc miracula in homine facta sufficiebant, sed circa animalia aquatica, quae longius ab homine distare videntur, scilicet, circa pisces, in eorum miraculosa captura[5], et cum Dominus Petro iussit ut ex capto pisce staterem sumeret ad tributum pro utroque solvendum[6]. Circa plantas miracula Christus fecit cum ficulneae infructuosae maledixit[7] ; circa fructus, cum quinque panes multiplicavit ita, ut magnam hominum multitudinem satiaret[8] ; circa elementa, cum super aquas firmis plantis ambulavit, et cum terram moveri, saxa rumpi, monumenta aperiri, se moriente, iussit[9].

1. Matth. II. — 2. Luc. III, 22. Cf. supra, C. I, § IV, n. 3, p. 239. — 3. Matth. XXVII, 54. — 4. Marc. VIII. — 5. Io. XXI, 6. — 6. Matth. XVII, 26. — 7. Luc. XIII. — 8. Matth. XV. — 9. Io. VI, 19; Matth. XXVII, 51, 52.

3. — De Christi gloriosa transfiguratione. — Quia inter mirabilia opera a Christo patrata eminet eius transfiguratio, quod opus ipsemet perfecit propria virtute divinitatis tanquam agentis principalis, et humanitatis tanquam instrumenti Verbi, ideo de hac specialiter aliquid hic dicendum venit.

Transfiguratio Christi, per quam facies eius resplenduit sicut sol, et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, *qualia fullo non potest super terram candida facere*[1], fuit verum miraculum, quippe quae fuit derogatio ordinis quem circa Christum divina Providentia statuerat. Siquidem, ex anima glorificata in Christo debuisset, ordine naturae, derivari claritas usque ad illius corpus, sicut in beatis accidit : sed dispensative ita cohibita fuerat, ut Christus in corpore et in inferiori animae parte pati posset ; unde nonnisi per miraculum huic ordini derogatum est in transfiguratione. In qua proinde *claritatem*, quae est una ex dotibus corporum beatorum, transeunter assumpsit ; quemadmodum *subtilitatem*, quae es altera beatorum dos, assumpserat, quando invisibilem se iudaeis praebuit[2], necnon *agilitatem*, quae est tertia dos, quando super aquas solidis plantis incessit, et *impassibilitatem*, quae est quarta dos, in quadragesimali ieiunio.

Huius miraculi testes extitere Moyses et Elias, Petrus, Iacobus et Ioannes, ut sic potissimi testes utriusque Foederis concors testimonium redderent, divinitatis Filii, qui homo factus est, ut nos gloria undequaque donaret[3].

Convenienter autem auditum fuit in Christi transfiguratione testimonium vocis paternae, sicut auditum fuerat in eius baptizatione : quia adoptio filiorum Dei, quae duplex est, scilicet, imperfecta per gratiam viae, et perfecta per gloriam patriae, completur in homine per conformitatem imaginis ad Filium Dei naturalem ; unde, quia per baptismum consequimur gratiam, et in transfiguratione praemonstrata est claritas gloriae, hinc conveniens fuit ut tam in baptizatione Christi quam in eius transfiguratione manifestaretur naturalis Christi filiatio testimonio Patris, qui solus illam generationem perfecte cognoscit simul cum Filio et Spiritu Sancto.

1. Marc. IX, 2. — 2. Io. VIII, 59. Cf. 3, Quaest. LIV, art. 1, art. 2^m. — 3. 3, Quaest. XLV.

Denique quemadmodum in baptismo, ubi declaratum fuerat mysterium primae regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis per hoc quod ibi fuit Filius incarnatus, Spiritus Sanctus apparuit in specie columbae, et Pater ibi fuit declaratus in voce, ita etiam in transfiguratione, quae est sacramentum secundae regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube[1]. Haec ultima differentia ex hoc sequitur quod, sicut in baptismo datur homini innocentia, quae per simplicitatem columbae designatur, ita in resurrectione Deus electis suis claritatem gloriae conferet simul cum refrigerio ab omni malo, quae designantur in nube lucida. Territos autem et prostratos discipulos Scriptura commemorat, ut significetur excellentiam gloriae, quae tunc demonstrabatur, omnem sensum et facultatem mortalium excedere[2].

4. — **Prophetiae a Christo factae.** — Licet prophetiae a miraculis in hoc distinguantur, quod haec ad potentiam, illae vero ad cognitionem pertinent, tamen hic omnino praetermitti non possunt, utpote quae a vulgo tanquam miracula haberi solent, et magnam vim habent ad veritatis annuntiatae confirmationem.

Plurimas autem fecit Christus prophetias, sive futura praedicendo, sive occulta cordium pandendo, inter quas potissimae sunt vitae anteactae manifestatio Samaritanae facta[3], annuntiatio futurae suae passionis et mortis opera Iudaeorum[4], praedictio proditionis Iudae[5], trinae negationis Petri[6], eversionis Hierosolymae[7], persecutionis in Ecclesiam[8], huiusque mirabilis propagationis et finalis victoriae de inimicis[9].

Advertendum autem est discrimen inter gratiam miraculorum et prophetiam in Christo in hoc consistere, quod haec in eo habitus fuit, non autem illa[10]. Cuius discriminis ratio ex hoc desumitur,

1. *Tunc Sanctissima Trinitas,* legimus in Cat. Rom. (de Bapt. Sacram., n. 20), *in cuius nomine baptismus conficitur, numen suum praesens declaravit. Vox enim Patris audita est, Filii persona aderat, et Spiritus Sanctus in columbae specie descendit; praeterea caeli aperti sunt, quo nobis iam per baptismum licet ascendere.* — 2. 3, Quaest. XLV, art. 4, ad 2[m] et 3[m]. — 3. Io. IV. — 4. Matth. XX, 18. — 5. Ibid., XXVI, 23. — 6. Luc. XXII, 61. — 7. Ibid., XIX, 44. — 8. Io. XVI, 33. — 9. Matth. XIII, 31; XVI, 18. — 10. Cf. quae diximus supra, Quaest. VII, art. 8, Vol. 1, p. 333. Vide 2 2[ae], Quaest. CLXXI, art. 2.

quod potest quidem homo cognoscere ea quae Deus facit vel facere potest, quae tamen ipsemet perficere nequit, quia omnipotentiam divinam participare non potest. Nam, ad manifestanda omnia quae ad Deum pertinent, sufficit visio divinae Essentiae, quae intellectui Christi statim ab initio illius conceptionis plenissime concessa est; ad facienda vero omnia quae Deus facere potest, Christus habere debuisset divinam omnipotentiam, quod est impossibile; unde virtus humanitati Christi communicata, ad hoc ut esset idoneum instrumentum gratiae et miraculorum, ipsi infuit non permanenter sed transeunter.

5. — Efficacia miraculorum et prophetiarum Christi. — Quae ita cum constiterint, iam concludere licet miraculis necnon prophetiis a Christo factis invicta argumenta subministrari ad eius divinitatem et missionem sufficientissime comprobandas. Talia enim huiusmodi miracula sunt, quae cuiusvis alterius hominis miracula longe superant, et numero et magnitudine; unde probandi plenissimam efficaciam obtinent, ita ut iudaeos praedicationi suae incredulos Christus ita perstringeret[1]: *Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me;* et rursus[2]: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Quid enim amplius desiderari posset? Forsan ut Christus alium mundum fabricasset? at mundus iste, si maior praesenti mundo fuisset, in eo contineri non potuisset; si autem aequalis aut minor, adhuc insufficiens illi videbitur, qui Christi miraculis contentus non sit.

Demum, *obiicienti* verba illa Domini Nostri[3]: *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet, — respondetur* haec a Christo dicta fuisse sive per respectum ad illud opus quod hic et nunc ipse perfecerat, aut melius prophetice, alludendo ad mirabiles conversiones quas apostoli erant operaturi, quae quidem conversiones miracula proprie non sunt, sunt tamen opera miraculis quodammodo maiora, iuxta illud S. Augustini[4]: *Prorsus maius hoc esse dixerim* (ex impio fieri iustum), *quam creare caelum et terram: caelum enim et terra transibunt, praedestinatorum autem salus et iustificatio permanebit.*

1. Io. X, 25. — 2. Ibid., 38. — 3. Ibid. XIV, 12. — 4. Tract. LXXII.

CAPUT TERTIUM

DE PERTINENTIBUS AD EXITUM CHRISTI DE MUNDO

ORDO CAPITIS

Succedit ut agatur de iis quae pertinent ad exitum Christi de hoc mundo, quae quidem quatuor recensentur: *primum*, illius passio (XLVI-XLIX); *secundum*, illius mors (L); *tertium*, illius sepultura (LI); *quartum* demum, illius descensus ad inferos (LII).

§ I

DE PASSIONE CHRISTI

Circa Christi passionem, sequentia ordinatim erunt consideranda : *primo*, convenientia illius passionis (XLVI, art. 1-3); *secundo*, eius natura (4, 5, 12) ; *tertio*, eius extensio (6-8) ; *quarto*, eius circumstantiae (9-11); *quinto*, causa efficiens eiusdem (XLVII); *sexto*, modus quo produxit nostram salutem (XLVIII); *septimo*, singuli eiusdem effectus (XLIX).

1. — Convenientia passionis Christi. — Iam dictum est, inde ab huius tractatus exordio, incarnationem a Deo ordinatam et praefinitam fuisse propter humanam salutem procurandam. Et quidem salus ista per incarnationem, absolute loquendo, procurari potuisset absque hoc quod Christus pateretur: at, quia impossibile est Dei praescientiam falli et eius voluntatem seu dispositionem cassari, ideo praesupposita praescientia et praeordinatione Dei de passione Christi, non fuit possibile Christum non pati vel hominem alio modo quam per eius passionem liberari.

Attamen, si rem attentius consideremus, facile inveniemus

quod *sanandae nostrae miseriae convenientior modus alius non fuit, quam per Christi passionem* [1].

Revera, quod Deus hominem liberari voluerit per passionem Christi, imprimis apparet fuisse conveniens Dei iustitiae et misericordiae : iustitiae quidem, quia Christus, per suam passionem satisfecit pro peccato humani generis, et ita homo per Christi iustitiam liberatus est : misericordiae vero, quia cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanae naturae, hinc Deus ei dedit Filium suum satisfactorem : abundantioris quippe misericordiae hoc est, quam peccata absque ulla satisfactione dimittere.

Praeterea, ista convenientia etiam evidenter resultat ex multis bonis quae nobis per Christi passionem provenerunt, praeter liberationem a peccato. — Primo enim per hoc homo cognoscit quantum a Deo diligatur, et sic provocatur ad eum redamandum, in quo quidem humanae salutis perfectio consistit; secundo, per hoc Christus nobis dedit exempla obedientiae, humilitatis, constantiae, iustitiae et caeterarum virtutum, quae homini sunt ad salutem necessariae; tertio, per passionem suam Christus non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam ei promeruit gratiam sanctificantem et gloriam beatitudinis ; quarto, per hoc quod homo se Christi Sanguine redemptum fuisse recogitat, magis removetur a peccato : quinto, hoc ad maiorem hominis dignitatem cedit, dum victus et deceptus a diabolo, vicissim fit diaboli victor, et qui mortem meruerat, moriendo mortem ipse superasse cernitur [2].

2. — Passionis Christi natura. — Porro, in praefinitionibus divinis statutum erat ut Christus, secundum humanitatem suam, per mortem Crucis, omnia quodammodo passionum genera sustineret, quod tamen rite intelligi debet.

Imprimis dicitur *secundum humanitatem ;* nam, etsi passio sit attribuenda supposito naturae divinae, tamen, hoc non est ratione naturae divinae, quae est impassibilis, sed ratione naturae humanae assumptae, quae est passibilis.

Quam autem congrue crux tanquam instrumentum passionis Christi fuerit electa, ex pluribus rationibus ostendi potest. Primo

1. S. Augustin. l. XIII de Trin., c. 10. — 2. 3, Quaest. XLVI, art. 3.

quidem, cum inter omnia mortis genera, nullum fuerit execrabilius et formidabilius quam mors crucis, christiani inde normam sumere possunt ut quodcumque genus mortis eis acciderit, ultro suscipiant. Tum genus hoc mortis conveniens fuit satisfactioni pro peccato primi hominis, in hoc consistente quod, contra divinum mandatum, ex fructu ligni comederit, unde Christus in ligno patiens quodammodo id restituit quod Adam indebite sustulerat. Accedit quod Christus in alto moriens viam nobis parat in caelum; dum ipsa crucis figura, quae a medio contactu in quatuor extrema partitur, et providentiam eius qui in cruce pendebat universaliter diffusam et salvationem ubique pertingentem significat.

Quapropter in cruce videmus adimpletas multas Veteris Testamenti figuras, in quibus salus per lignum procurata legitur. Sic per arcam ligneam a diluvio salvatum est genus humanum[1]; sic Moyses, populo Dei de Aegypto recedente, per virgam mare divisit, Pharaonem prostravit et populum Dei redemit[2]; sic idem Moyses aquam, ligno inducto, ex amara in dulcem commutavit[3]; qui etiam percussa petra virgâ ligneâ fontem elicuit[4], et expansis manibus extensus est circa virgam ut Amalech vinceretur[5]; denique, etsi figura immolationis Christi habita sit in animalibus gladio necatis et postea igni concrematis, attamen ipsum altare holocaustorum, in quo sacrificia animalium offerebantur, erat factum de lignis[6].

1. Gen. VII, 1. — 2. Exod. XX, 20. — 3. Ibid., XV.— 4. Ibid., XXX. — 5. Ibid., XLVIII. — 6. Lev. XX, 25, 26. — Cum Crux sit ipsummet Christi vexillum, hinc divinae Bonitati placuit ut illius miraculosas manifestationes interdum largiretur, quales sub Constantino imperatore, itidemque Hierosolymis sub patriarca sancto Cyrillo evenisse historia testatur (Cf. Euseb., Hist. Eccles.; Epist. S. Cyrilli Hieros. ad Constant. Imper. A. D. 351). Silenda quoque non est mirabilis Crucis apparitio quae anno 1826, sacris iubilaei exercitiis celebratis, locum habuit coram ter millibus hominum, in oppidulo Migné, Pictaviensis dioecesis, in loco ubi fertur olim primum cantatum fuisse hymnum Fortunati: *Vexilla Regis prodeunt*, cum anno 569 clerus pictaviensis ibidem obviam fuit reliquiae sanctae Crucis a sancto Martino Turonensi episcopo ad sanctam Radegundam dono missae (Cf. Le Miracle en France au XIXe siècle, par Arthur Loth, p. 39. Lille-Paris, 1895).— *C'est une notable preuve de l'honneur et vertu de l'image de la Croix,* ait S. Franciscus Salesius (L'Étendard de la Sainte

Igitur omnes quodammodo passiones Christus in cruce expertus est, non quidem quod ad singulas species pertinet, nam multae passionum species sibi invicem contrariantur, ut submersio in aqua et combustio in igne, sed quod pertinet ad genera passionum, exclusis tamen aegritudinibus corporalibus.

Siquidem Christus passus est — primo ex parte omnium hominum[1] : passus est enim aliquid et a Gentilibus et a masculis et a foeminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum : passus est etiam et a principibus et a ministris eorum, et a popularibus, et a familiaribus, et a notis, sicut patet de Iuda eum prodente, et de Petro ipsum negante.

Secundo, passus est Christus in illis omnibus in quibus homo natus est pati : scilicet passus est in suis amicis eum deserentibus ; in fama per blasphemias contra eum prolatas ; in honore et gloria per irrisiones et contumelias ei illatas ; in rebus, per hoc quod etiam vestibus spoliatus est ; in anima, per tristitiam, taedium et timorem ; in corpore, per vulnera et flagella.

Tertio, Christus passus est in omnibus corporis membris : scilicet, in capite coronam pungentium spinarum ; in manibus et pedibus, fixionem clavorum ; in facie, alapas et sputa, et in toto corpore flagella.

Passus quoque est secundum omnem sensum corporeum : secundum tactum dum fuit flagellatus et clavis confixus ; secundum gustum, dum felle et aceto potatus est ; secundum olfactum, dum est appensus patibulo in loco foetido cadaverum mortuorum qui dicitur calvariae ; secundum auditum, dum lacessitus est vocibus blasphemantium et irridentium ; secundum visum, dum vidit Matrem et discipulum quem diligebat flentes[2]. Rite igitur exclamavit prophetice Isaias[3] : *Non est species ei neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum :*

Croix, l. II, c. 4), *que Dieu tout-puissant l'ait fait comparaître miraculeusement en plusieurs grandes et signalées occasions, et s'en soit servi comme de son étendard, tantôt pour assurer les fidèles, tantôt pour épouvanter les mécréants.* Vide egregium Opus J. Hoppenot, *Le Crucifix dans l'Histoire, dans l'Art*, etc.

1. Scilicet sumptis omnibus hominibus quoad genera singulorum, non quoad singulos generum. — 2. 3, Quaest. XLV, art. 5. — 3. LIII, 2, sqq

despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem : et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra[1].

Si autem comparari velit Christi dolor cum dolore aliorum patientium, facile invenietur ille caeteros superasse. Etsi enim in aliquo speciali dolore aliquis excelluisse videatur, tamen dolor Christi, complexive sumptus, id est, prout continet dolorem externum et dolorem internum, fuit absque dubio maximus quem homo unquam sit expertus.

Quod quidem patet, *primo* ex causa doloris, tum interni, tum externi. Causa interni doloris Christi fuit summa peccatorum totius generis humani, necnon casus iudaeorum et aliorum in eius morte delinquentium et scandalum discipulorum, necnon amissio vitae corporalis, quae fuit tantae dignitatis, maxime propter divinitatem unitam, quod de amissione eius, etiam ad horam, magis esset dolendum, quam de amissione vitae cuiuscumque alterius hominis pro quocumque tempore. Causa autem externi doloris fuit laesio corporalis, quae acerbissima extitit, propter generalitatem passionis, et quia confixi in cruce perforantur in partibus maxime sensibilibus, scilicet in manibus et pedibus, ubi nervi vigent, nec cito moriuntur sed paulatim, dolore semper excrescente.

Secundo, doloris magnitudinem in Christo augebat summa eius perceptibilitas, sive quoad animam, quae omnes tristitiae causas efficacissime apprehendebat, sive quoad corpus, quod erat optime complexionatum, utpote a Spiritu Sancto miraculose formatum.

1. Textum graecum LXX hic subnectimus, in quo parumper a nostra Vulgata diverso, Christi patientis conditio expressius describitur. Οὐκ ἔστιν εἶδος αὐτῷ, οὐδὲ δόξα· καὶ εἴδομεν αὐτὸν καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος. Ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, καὶ ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων· ἄνθρωπος ἐν πληγῇ ὤν, καὶ εἰδὼς φέρειν μαλακίαν, ὅτι ἀπέστραπται τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, ἠτιμάσθη, καὶ οὐκ ἐλογίσθη. Οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται, καὶ ἡμεῖς ἐλογισάμεθα αὐτὸν εἶναι ἐν πόνῳ, καὶ ἐν πληγῇ, καὶ ἐν κακώσει. Αὐτὸς δὲ ἐτραυματίσθη διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ μεμαλάκισται διὰ τὰς ἀνομίας ἡμῶν.

Accedit *tertio* doloris puritas, nulla existente mitigatione doloris in inferioribus viribus ex consideratione rationis, sicut in nobis interdum accidit, sed unaquaque virium agente et patiente quod sibi erat proprium. Denique dolor Christi maximus esse debuit, quia voluntarie assumptus propter liberationem hominis a peccato; unde tantam doloris quantitatem assumpsit, quae esset proportionata magnitudini fructus qui inde sequi debebat.

Diximus autem supra, Christi dolorem fuisse maximum inter dolores *praesentis vitae:* ne videlicet comparatio fiat cum dolore animae in inferno, quem dolorem Christus non assumpsit, cum eius passio et mors essent ordinatae ad tollendum peccatum praesentis vitae et non futurae.

3. — Christi passionis extensio. — Ad huius autem argumenti pleniorem expositionem, tria hic determinari debent : *primo*, utrum Christus passus sit secundum totam animam; *secundo*, utrum habuerit tristitiam in voluntate; *tertio*, utrum in passione haberet fruitionem beatam.

Quoad *primum* dicendum est Christum passum esse secundum totam animam. Ad huius rei intelligentiam, sciendum est quod anima potest intelligi pati tota, aut secundum totam suam essentiam, aut secundum omnes suas potentias : et quidem, si sumatur tota anima ratione suae essentiae, sic manifestum est animam Christi totam fuisse passam : *nam tota essentia animae coniungitur corpori, ita quod tota est in toto, et tota in qualibet parte eius; et ideo corpore patiente et disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur* [1].

At, si intelligatur anima tota ratione suarum potentiarum, tunc advertendum est quod aliqua potentia animae potest pati vel passione propria, vel passione subiecti super quod fundatur : passione *propria*, secundum quod patitur a suo obiecto, sicut si visus patiatur ex superabundanti visibili; passione *subiecti*, sicut si visus patiatur, patiente sensu tactus super quem visus fundatur. Agendo igitur de passione propria potentiarum, dicendum est animam Christi passam esse secundum omnes vires inferiores quae circa temporalia operantur, quia in singulis istis obiectum

1. 3, Quaest. XLVI, art. 7.

aderat quod erat causa doloris; superior vero ratio ex hac parte non patiebatur, quia superior ratio habet pro obiecto rationes aeternas quibus inspiciendis et consulendis intendit [1], quae nullum Christo nocumentum inferre poterant, cum in nullo ei contrariarentur [2]: si autem agatur de passione qua potentia aliqua dicitur pati ex parte sui subiecti, sic omnes potentiae patiebantur, etiam superior ratio, quia licet haec potentia non sit actus corporis, tamen essentia animae in qua radicatur est corporis actus [3], et ut sic passioni subiecta.

Secundo quod ad tristitiam attinet, cum praeter passionem tristitiae, de cuius ratione est ut respiciat malum sensibile quod imaginatione apprehenditur ut nocivum, sit etiam tristitia ut actus appetitus rationalis, qui respicit malum ratione apprehensum ut nocivum, ideo cum iam antea [4] actum fuerit de tristitia ut erat passio in Christo, restat ut inquiratur de eadem ut est actus appetitus rationalis.

Porro, ratio alia est superior, quae intendit aeternis inspiciendis et consulendis, alia inferior, quae intendit temporalibus rebus : quae distinctio non est tanquam potentiarum, sed potius per officia actuum et secundum diversos habitus ; nam superiori rationi attribuitur sapientia, inferiori vero scientia [5].

Hoc habito, dicimus tristitiam non fuisse in Christo in ratione superiori, sed in ratione inferiori, quae veritas ex superius traditis resultat. Sibivult autem vehementem afflictionem non solum fuisse in appetitu sensitivo Christi, sed etiam affecisse eius voluntatem, ex qua parte sequitur rationem temporalibus intendentem. Revera, quod ita sit ponenda tristitia in Christo, puta propter offensam Dei, aut hominum damnationem aut apprehensionem propriae passionis et compassionis Matris suae, et caetera huiusmodi, non solum communis est fidelium sensus, sed etiam constat ex epistola Agathonis Papae relata in sexta Synodo [6], necnon ex epistola Sophronii in eadem Synodo relata [7].

Ad cuius rei evidentiam considerandum est visionem beatificam, ex qua Christus comprehensor constituebatur, illum in

1. S. August. l. XII de Trin., c. 7. — 2. S. Thom. Ibid., ad 2^m. — 3. Ibid., ad 1^m. — 4. Quaest. XV, art. 6. — 5. I, Quaest. LXXIX, art. 9. — 6. Act. 4. — 7. Act. 11.

gradu excellentissimo perfudisse gaudio, quod omnem tristitiam et animi moerorem excludebat. At vero istud gaudium, propter naturalem colligationem virium, debuisset descendere ad omnes animae partes, et primo quidem ad rationem inferiorem, nisi aliter divinitus dispositum fuisset propter humanae salutis oeconomiam. Unde factum est ut in ratione quidem superiori summum gaudium, in ratione vero inferiori summa tristitia haberetur, quin in hoc contrarietas esset. Nam, anima Christi videns in Verbo suam passionem et caetera nocumentum afferentia, secundum hoc dolere non poterat, sicut etiam beati non dolent de iniuriis sibi illatis; ratio igitur superior animae Christi, praecise ratione status comprehensoris, non solum non poterat nolle quod sciebat a Deo esse volitum, sed etiam omni renitentia carebat, ideoque nullam ex hoc capite tristitiam experiebatur. Ratio autem inferior, temporalibus conspiciendis intenta, licet et ipsa conformis esset divinae voluntati, tamen voluisset ut aliter evenisset, unde prorumpebat in illas voces [1]: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, scilicet in manibus impiorum?

Quae cum ita sint, dicendum est summum gaudium fuisse simulque summam tristitiam in anima Christi, et quidem in voluntate, et circa eadem obiecta materialiter inspecta, non autem circa eadem obiecta formaliter considerata. Scilicet et offensa Dei, et ipsamet Christi passio, et dolores Beatae Virginis, et sanctorum tormenta, et perditio multorum, quatenus apprehendebantur ratione superiori, nullum dolorem, nullamve tristitiam Christo inferebant, cum ibi nullimode esset renitentia ad tristitiae rationem pertinens: eadem vero considerata per rationem inferiorem, summam afflictionem ei causabant propter repugnantiam naturalem. Unde, licet secundum rationem superiorem Christus detestaretur peccatum sicut Deus ipse illud detestatur, tamen ex hoc non contristabatur, cum tristitia non sit mera displicentia, sed supra hanc addat depressionem et molestiam naturae [2].

1. Matth. XXVII, 46. — 2. Cf. Salmanticenses, Tract. XXI, de Incarn. Disp. XVII, Dub. 4, n. 45, sqq. Cf. etiam Caiet. in 3, Quaest. XLVI.

Quod autem *tertio* quaerebatur, nempe utrum tota anima Christi ratione essentiae frueretur fruitione beata, affirmative est respondendum, quod dicitur, ne ex magnitudine passionis Christi occasio sumatur quidquam detrahendi perfectioni illius comprehensionis.

Ostenditur autem enunciata veritas ex eo quod si quidem anima intelligatur tota ratione essentiae, sic est subiectum superioris partis, cuius est frui divinitate, unde quemadmodum passio, ratione essentiae animae, superiori parti attribuitur, ita e converso fruitio ratione superioris partis attribuitur essentiae. Si autem anima intelligatur tota ratione potentiarum suarum, sic nec directe nec indirecte tota fruebatur : non directe, quia fruitio non est actus nisi superioris partis animae; non indirecte seu per redundantiam, quia sicut ab anima non fiebat redundantia in corpus, ita nec a parte superiori in inferiorem. Attamen, quia nec e converso superior pars impediebatur per partem inferiorem ab eo quod est sibi proprium, ideo magnitudo passionis Christi non impediebat superiorem partem a perfecta fruitione Dei [1].

Quocirca adserta, ex una parte, fruitio, et ex altera, tristitia, contrarietatem non posuerunt in anima Christi, siquidem non erant de eodem formali obiecto : nam superior pars gaudium experiebatur per proprium actum, dolorem vero ratione subiecti; rursus, essentia animae gaudium fruitionis habebat ex parte potentiae quae in ipsa subiectatur; dolorem vero patiebatur ex parte corporis, cuius est forma [2], quo modo intelligi debet quod legitur [3] : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quapropter minus recte a quibusdam dicitur Christum ad breve tempus, ut scilicet magis pro nobis pateretur, actum gaudii suspendisse : non cessavit enim, etiam mortis tempore, divina frui visione, qua superior animae eius pars beatissima reddebatur [4].

art. 7, contra Sylvium in h. l. Quomodo autem ex hoc capite differret dolor Christi a dolore Beatae Virginis, exposuimus in Tract. de Bma Virgine Maria Matre Dei, Ed. 2ª. Appendix, § xii, *de Martyrio B. Virginis.*

1. 3, Quaest. XLVI, art. 8. — 2. Ibid., ad 1ᵐ. — 3. Matth. XXVI, 38. — 4. Vide supra, vol. I, p. 528, seqq.

4. — Circumstantiae passionis Christi. — Tres autem considerandae sunt circa Christi passionem circumstantiae, videlicet : tempus, locus, et personae cum quibus Christus crucifixus est.

α) Quod ad *tempus* attinet, alia demum ratio adduci nequit, nisi divina Voluntas, quae omnia convenienter et suaviter disponit, unde et Salvator *omnia propriis locis et temporibus gessit*[1]. Hoc tamen congrue dici potest, quod *tunc voluit Dominus passione sua mundum redimere et reformare, quando eum creaverat, idest in aequinoctio, unde mundus initium cepit et dies super noctem increvit; quia per passionem Salvatoris a tenebris ad lucem perducimur*. At, quia perfecta illuminatio erit in secundo Christi adventu, ideo tempus secundi adventus aestati congrue comparatur[2] : quando etiam maxima Christi exaltatio consummabitur.

In iuvenili autem aetate Christus pati voluit, primo, ut ex hoc suam dilectionem magis commendaret, quod vitam suam pro nobis dedit quando erat in perfectissimo statu; secundo, quia non conveniebat ut in eo appareret naturae diminutio sicut nec morbus : tertio, ut in iuvenili aetate moriens et resurgens, futuram resurgentium qualitatem in seipso praemonstraret[3].

β) *Locus* quoque, scilicet Hierusalem, convenienter selectus est, primo, quia haec civitas erat a Deo electa ad sacrificia ipsi offerenda, quae quidem Christi passionem, quae est verum sacrificium, figurabant ; secundo, quia hic locus maxime conveniebat humilitati eius, qui locum quidem humilem nativitati, locum vero celeberrimum qualis erat Hierusalem, ubi principes morabantur, passioni elegit.

Non tamen in ipsa urbe Hierusalem mori voluit Christus, sed extra, tum ut veritas responderet figurae, vitulus enim et hircus, qui solemnissimo sacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra castra comburebantur, tum ut nobis exemplum daret exeundi a mundana conversatione.

γ) Demum, *personae* cum quibus Christus crucifixus est et mortuus, fuerunt latrones, quod quidem ex iudaeorum inten-

1. S. Augustin. l. Quaest. Vet. et Nevi Test., q. 55. — 2. Matth. XXIV, 32, 33. — 3. 3, Quaest. XLVI, art. 9, ad 3^m et 4^m.

tione hoc fine factum est, ut suspicio esset Christum esse eorum participem ; Dei autem iudicio ordinatum est ut instrueremur, primo, quod pro omnium salute Christus inter noxios, quasi noxius, crucifixus est; secundo, quod ex hominibus peccatoribus quidam Christi gratiae correspondentes salvantur, alii vero gratiae resistentes damnantur, quorum quidem priores per dexteram, alii vero per laevam significantur, ita tamen quod Christus omnium iudex existat, iuxta quod canit Ecclesia[1]: *Deus, a quo et Iudas reatus sui poenam, et confessionis suae latro praemium sumpsit.*

At silendum hic non est adfuisse Christo patienti Deiparam Virginem, non solum ut tanquam martyrum Regina testis esset invicta divinitatis simul et humanitatis Christi morientis, sed maxime ut, tanquam vera Christi mater, illum Patri toto cordis affectu offerret, et ita Christo cooperaretur ad nostram salutem procurandam, unde Corredemptrix generis humani dignissime vocari potest[2].

5. — Causa efficiens passionis Christi. — Causae autem efficientes passionis Christi plures possunt distingui : scilicet fuit Pater qui iussit, Christus qui mandato paruit, diabolus qui crimen suggessit, iudaei et gentiles qui illud executi sunt.

Et primo quidem Pater dici potest tradidisse Christum passioni, tum quia sua aeterna voluntate praeordinaverat passionem Christi ad liberationem generis humani, tum quia ei voluntatem patiendi pro nobis inspiravit infundendo cordi eius charitatem, tum denique quia illum a passione non protexit, sed potius passioni exposuit.

Christus quoque seipsum passioni et morti ultro tradidit, non quidem mortem sibi directe consciscendo, sed passionem inferentes non impediendo cum potuisset: non enim adversarios repressit ne aut nollent aut nequirent se interficere, nec usus est illa potestate quam spiritus eius habebat conservandi naturam carnis suae ne a quocumque laesivo inflicto opprimeretur, sed potius consensit ut natura sua corporalis illato nocumento

1. Orat. Collecta Feria V in Coena Dom. — 2. Cf. *L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain,* in quo op. momenta quibus dogmatica haec veritas conficitur, repetimus. 1905.

succumberet. In quo maximum meritum ex obedientia, summa charitate impellente, consecutus est: quae quidem obedientia iustificationi humanae, ob quam Christus moriebatur, apprime conveniebat : obedientia enim omnibus sacrificiis antefertur, et *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi,* ita decebat ut *per unius obeditionem iusti* constituerentur *multi*[1], et sic homines ad victoriam perducerentur, quae in bello comparari nequit, nisi milites duci obediant.

Decens etiam fuit ut tum a iudaeis tum a gentilibus pateretur Christus: siquidem effectus passionis eius praefiguratus est in modo quo passio ipsa est peracta: ut primo iste effectus attingeret iudaeos, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt, et ab his ad gentiles perveniret, praedicantibus iudaeis : ideoque a iudaeis quidem debuit Christus incipere pati, sed postea, iudaeis tradentibus, per manus gentilium eius passio finiri debuit.

Et sic ex parte sui Christus sacrificium in seipso gratissimum Deo obtulit, in quantum scilicet propria voluntate mortem sustinuit ex charitate; sed ex parte persecutorum a quibus Christus passus est, non fuit sacrificium, sed peccatum gravissimum: gravius quidem in principibus iudaeorum, minus grave autem in minoribus populi, quia in istis peccatum diminutum est propter eorum ignorantiam, illi vero Christum cognoverunt; et si quae fuit in eis ignorantia, fuit ignorantia affectata, quae eos excusare non poterat, sed potius eorum culpam aggravabat. Unde ordo in gravitate peccati occidentium Christum hic est, ut principes magis peccaverint quam Pilatus qui timore Caesaris Christum occidit, et etiam quam milites qui de mandato praesidis Christum crucifixerunt, non ex cupiditate sicut Iudas, nec ex invidia et odio, sicut principes sacerdotum[2].

6. — Modus quo passio Christi nostram salutem operata

1. Rom. V, 19. — 2. 3, Quaest. XLVII, art. 6, ad 2[m]. Supra. (Vol. I, Prooemium), n. 5, dubium solvimus utrum et quomodo Christi persecutores illum cognoverint. Quod hic dicit S. Thomas (art. 6, ad 1[m]), Christi excusationem (Luc. XXIII, 34): *Pater, dimitte illis,* etc., non referri ad principes iudaeorum sed ad minores de populo, non excludit quin etiam pro illis Christus oraverit, pro iis videlicet, quos ad vitam aeternam praedestinatos esse noverat.

est. — Ad excellentiam alicuius causae pertinet ut unum eumdemque effectum, qui tamen virtualiter multiplex sit, per se producat secundum diversos modos seu diversas rationes. Cum igitur salus humana possit considerari vel absolute, quatenus nempe est finis ultimus hominis, vel relative, quatenus homo per peccatum a gratia deiectus damnationi erat obnoxius, hinc ad Christi passionem, quam eiusdem humanae salutis causam esse diximus, potest nostra salus referri vel absolute, vel quatenus erat procuranda per reparationem vel redemptionem a peccato. Peccatum autem duplicem reatum secumfert, scilicet, reatum poenae et reatum culpae, et uterque reatus est servitus quaedam; nam ad servitutem pertinet quod quis patiatur quod non vult, et pariter ex hoc quod diabolus hominem superavit inducendo ad culpam, illum suae servituti addixit, iuxta illud[1]: *A quo quis superatus est, huius et servus est;* porro ab ista duplici servitute homo per Christi passionem redemptus est.

Quapropter ostendi hic debet salutem humanam procuratam fuisse a Christi passione, primo, absolute, seu in quantum Christus patiendo illam meruit, abstractione facta a statu peccati; secundo, quatenus homo peccator redimendus erat a reatu poenae, quod fuit per hoc quod Christus pro nobis satisfecit, et a reatu culpae, quod fuit per hoc quod Christus moriendo seipsum Deo placationis hostiam obtulit.

Imprimis, quod passio Christi salutem nostram causaverit per *modum meriti* constat ex hoc quod eius opera hoc modo se habent tam ad se quam ad sua membra, sicut opera alterius hominis in gratia constituti se habent ad ipsum: atqui ex hoc quod quis in gratia constitutus patitur propter iustitiam, meretur sibi salutem: ergo ex hoc quod Christus passus est, meruit salutem non solum sibi, sed etiam omnibus suis membris.

Per modum autem *redemptionis* Christi passio nostram salutem est operata, in quantum haec eadem passio fuit satisfactio sufficiens, imo superabundans, quam Christus tanquam pretium Deo solvit pro utroque reatu: nam satisfecit Christus, non pecunias dando aut aliquid huiusmodi, sed dando id quod fuit maximum, id est semetipsum. Pretium autem solvendum fuit non diabolo,

1. 2. Pet. II, 19.

sed Deo, ex eo quod, quantum ad poenam quidem, homo erat obligatus principaliter Deo tanquam summo iudici et diabolo solum ut tortori seu exequenti poenam a Deo ordinatam; quantum ad culpam autem, etsi homo diaboli servitutem incurrerat, tamen hoc non erat nisi ex Dei iusta permissione, scilicet propter offensam in se commissam.

Quod si specialiter consideretur in peccato offensa Dei, ad quam recompensandam ordinatur poena, tunc dici potest quod passio Christi nostram salutem est operata per modum *satisfactionis*, nam ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam, Christus autem ex charitate patiendo maius quid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae generis humani.

Si autem consideretur in humana salute ratio reconciliationis Dei cum homine, dicenda est passio Christi hanc procurasse per modum *sacrificii* veri et proprie dicti, in quo identificata sunt offerens, victima et ille cui offerebatur, et quodammodo etiam illi pro quibus offerebatur: Christus enim ut Deus erat ille cui sacrificium offerebatur, et ut homo erat offerens simul et hostia, et cum esset caput totius Ecclesiae, unum quodammodo erat cum iis pro quibus sese offerebat[1].

Diximus Christi sacrificium fuisse verum ac proprium: siquidem aliud est sacrificium improprie dictum, aliud vero sacrificium proprie acceptum. Et illud quidem ab Augustino definitur[2]: *Omne opus quod agitur ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possumus;* ad hoc autem necessaria est victimae immutatio. Porro Christus seipsum obtulit voluntarie in passione pro nobis, et quidem usque ad mortem, ut mox dicetur: quae oblatio Deo maxime accepta fuit, utpote ex summa charitate proveniens. Nec poterat victima sacrificii melior inveniri quam foret Christi caro, quae quidem erat vera hominis caro, caro passibilis, caro immaculata, caro ipsiusmet offerentis, scilicet Dei-Hominis.

Quapropter Christus Dominus vere appellatur et est Redemptor noster, qui et pretium solvit, et solvit de suo, quocum alius Re-

1. Cf. S. August., l. IV de Trin., c. 14. — 2. L. X de Civ. Dei, c. 6.

demptor non est, nisi forte Sanctissima Trinitas, quae non quidem immediate, sed mediate Redemptrix nostra dici potest, ex eo quod et ipsa pretium solverit de suo, hoc sensu quod inspiravit Homini Christo ut vitam suam, quae ad Sanctissimam Trinitatem pertinebat, pro salute nostra profunderet. At praetermittendum non est Beatam Virginem Corredemptricem dignissime vocari, eo quod divinam Victimam genuerit, aluerit, conservaverit, obtuleritque in templo et in Cruce; et, cum Immaculata esset ideoque pro se pati non deberet, suam compassionem, una cum Christi passione, obtulit in satisfactionem pro debitis totius mundi, quae etiam meruisse dicitur de congruo quidquid Christus de condigno meruit[1].

Denique advertendum est id quod diximus, Christi passionem operatam fuisse nostram salutem per modum meriti, redemptionis, satisfactionis et sacrificii, non tollere quin eamdemmet sit operata etiam per modum efficientiae cuiusdam: siquidem duplex est causa efficiens: nempe principalis et instrumentalis. Et quidem principalis causa efficiens nostrae salutis est Deus; quia vero humanitas Christi est instrumentum divinitatis, sequitur quod omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter sunt operatae ad salutem humanam, in quantum per spiritualem contactum, per fidem nempe et fidei sacramentum, pertingunt usque ad animam.

7. — Diversi effectus passionis Christi. — Cum iam dixerimus quid sibimet Christus per passionem meruerit[2], non restat nisi ut exponantur effectus qui ex eiusdem passione nobis provenerunt, qui sunt α) liberatio a peccato, β) liberatio a diaboli servitute, γ) liberatio a poena, δ) reconciliatio nostra cum Deo, demum ε) apertio ianuae caelestis. Hos omnes effectus operata est patiendo caro Christi tanquam divinitatis instrumentum et tanquam causa universalis, quae in Nova quidem Lege per sacramenta in unoquoque fidelium physice operari potest, sub Lege autem Veteri operabatur moraliter in hominibus per fidem in venturum Messiam.

α) *Liberationem a peccato* passio Christi operata est non solum nos extrinsecus provocando ad detestandum peccatum, sed etiam

1. Vide *L'Immaculée Mère de Dieu*, etc.— 2. Quaest. XIX, art. 3, p. 104.

efficientia quadam et per modum redemptionis : Ecclesia enim est mysticum corpus, cuius caput est Christus, qui cum passionem ex charitate sustinuerit, pretium solvit nostrae liberationis.

β) Quia peccatum de natura sua inducit *diaboli servitutem*, a quo enim *quis superatus est, eius et servus est*[1], ideo per hoc quod Christus nos a peccato liberavit, nos etiam a diaboli servitute liberavit. Praeterea diabolus ipse, iniuste machinando in mortem Christi, suo in nos dominio privatus est : iustum enim est ut debitores quos tenebat diabolus, liberi dimittantur, dum credunt in Christum, quem sine ullo debito ille occidit. Et licet Deus nunc diabolo permittat ut homines tentet quantum ad animam et vexet quantum ad corpora, semper tamen per passionem Christi paratum est hominibus remedium se tuendi contra illius nequitias.

γ) A *reatu poenae* passio Christi liberat nos dupliciter : *primo* directe, in quantum haec passio fuit satisfactio sufficiens et superabundans pro totius humani generis peccatis : exhibita autem satisfactione sufficienti, tollitur reatus poenae ; *secundo*, indirecte, in quantum Christi passio est causa remissionis peccati in quo fundatur reatus poenae. A morte tamen corporali Christi passione non liberamur, quia sicut Christus primo habuit gratiam in anima cum corporis passibilitate et per passionem ad gloriam immortalitatis pervenit, ita nos, membra eius, per eius passionem primo recipimus in anima spiritum adoptionis filiorum quo ad haereditatem immortalis gloriae adscribimur, adhuc tamen habentes corpus passibile et mortale ; postea autem configurati Christi passioni et morti, tandem perducimur in gloriam immortalem iuxta illud[2] : *Si tamen compatimur ut et conglorificemur.*

δ) Nostram vero cum Patre *reconciliationem* Christi passio operata est, primo, removendo peccatum quo Dei inimici constituimur ; secundo, per hoc quod fuit sacrificium Deo acceptissimum : est enim proprius effectus sacrificii ut per ipsum placetur Deus, sicut etiam homo remittit offensam in se commissam propter aliquod obsequium acceptum quod ei exhibetur. Sic ergo tantum bonum fuit voluntaria Christi passio, quod propter hoc bonum in natura

1. 2. Pet. II, 19. — 2. Rom. VIII, 17.

humana inventum, Deus super omni offensa generis humani placatus est, quantum ad eos qui Christo coniunguntur.

ε) Denique passio Christi *ianuam regni caelestis* nobis aperuit tollendo duplex impedimentum : primum, commune totius humanae naturae, scilicet peccatum originale, alterum, proprium uniuscuiusque hominis, quod est peccatum personale. Iamvero, per Christi passionem liberamur, non solum a peccato communi totius humanae naturae tum quantum ad culpam tum quantum ad reatum poenae, ipso Christo pretium solvente pro nobis, sed etiam singuli a peccatis propriis liberantur, dummodo communicent passioni Christi per fidem, charitatem et sacramenta; et hoc modo dicitur quod per Christi passionem ianua nobis aperta est regni caelestis[1].

§ II

DE MORTE CHRISTI

Circa Christi mortem tria exponenda sunt : *primo*, illius convenientia (L, art. 1.); *secundo*, conditio humanitatis Christi in triduo illius mortis (2-5); *tertio*, effectus mortis Christi (6).

1. — Convenientia mortis Christi. — Hanc convenientiam Caiphas ita prophetice expressit[2]: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat:* expediebat autem ut Christus moreretur non quidem ex morbo, secus visus fuisset mori ex necessitate, sed ex passione extrinsecus illata, cui tamen se spontanee subiiceret, ut mors eius voluntaria ostenderetur.

Haec autem convenientia ex multiplici capite se prodit. *Primo*, ut Christus satisfaceret pro humano genere, quod erat morti adiudicatum propter peccatum: conveniens autem modus satisfaciendi pro alio est cum quis poenae quam alius meruit se subiicit; Christus autem moriendo pro nobis, poenae nostrae se subiecit. *Secundo*, ad ostendendum veritatem naturae asssumptae, cuius conditio est ut morti subiaceat. *Tertio*, ut moriendo, a mortis timore nos liberaret. *Quarto*, ut nobis exemplum daret

1. De universalitate redemptionis Christi, vide A. A. Paquet. Comment. *de Verbi Incarnat.*, p. 465, Quebeci, 1899. — 2. Io. XI, 50.

spiritualiter moriendi peccato. *Quinto*, ut a mortuis resurgendo, et virtutem suam ostenderet qua mortem superavit, et spem nobis daret resurgendi a mortuis.

Per mortem autem Christi cessavit et Veteris Legis obligatio, scisso in huius rei signum templi velo[1], et desiit Christus ipse mereri, viatoris conditione per mortem naturaliter cessante.

2. — Conditio humanitatis Christi in triduo eius mortis. — Primo dicendum est quod in triduo mortis Christi, nec caro nec anima a divinitate fuerunt separata, *sine poenitentia* enim *sunt dona et vocatio Dei* [2]. Et quidem de carne Christi hoc constat: quia si gratia adoptionis nunquam perditur sine culpa, multo minus gratia unionis, quae multo maior est quam gratia adoptionis, cum ordinetur ad unionem personalem, haec autem ad unionem affectualem[3]. In Christo autem nullum peccatum fuit, unde post mortem eius caro remansit unita hypostasi Verbi: quod eo vel magis dicendum est, quod ex divina ordinatione caro Christi resurgere debebat.— De anima quoque id ipsum constat: nam propter quod unumquodque tale, et illud magis: atqui Verbum est unitum carni mediante anima: cum ergo non sit in morte separatum a corpore, multo minus ab anima separatum est. Unde sicut in Symbolo dicimus de Filio Dei quod *sepultus est*, ita etiam dicimus quod *descendit ad inferos:* quorum prius ratione corporis, alterum vero ratione animae locum obtinuit.

Non tamen propterea licet dicere quod Filius Dei tunc fuerit corpus aut anima: quia sicut non dicimus quod Chrisus vivus fuerit humanitas, sed homo, ita etiam non possumus dicere quod Christus mortuus fuerit una vel altera pars humanitatis, scilicet aut corpus aut anima.

Sed nec in triduo mortis Christus dici potest fuisse homo: quia homo nec est corpus nec est anima, sicut falso dicebat Hugo de sancto Victore [4]; sed homo est compositus ex utroque, compositione non aggregationis, sed materiae et formae, quae formalis compositio in triduo mortis Christi perrupta est.

Attamen, etsi Christus tunc non fuerit homo, nihilominu

1. Cf. I 2ae, Quaest. CIII, art. 4. — 2. Rom. XI, 29. — 3. Vide Vol. I, p. 222.— 4. Cf. Dell' Anima umana etc., c. II, § II, p. 44, Romae, 1901.

eius corpus remansit idem numero, etsi non idem specie : non idem specie, quia vita, quae est ab anima, est de essentia corporis viventis, est enim praedicatum essentiale, non accidentale ; unde corpus quod desinit esse vivum non remanet idem specie ; remansit tamen corpus Christi idem numero, *quia idem numero dicitur aliquid secundum suppositum, idem autem specie est idem secundum formam ; ubicumque* (ergo) *suppositum subsistit in una sola natura, oportet quod sublata unitate speciei, auferatur unitas numeralis : sed hypostasis Verbi Dei subsistit in duabus naturis ; et ideo quamvis in Christo non remaneat corpus idem secundum speciem humanae naturae, remanet tamen idem numero secundum suppositum Verbi Dei*[1].

3. — **Effectus mortis Christi.** — Si mors Christi consideretur in fieri, tunc ipsi adscribendi sunt iidem illi effectus qui eius passioni attribuuntur : sic enim considerata, mors Christi aliud non est nisi eius passio prout naturaliter desinit in mortem. Si autem consideretur in facto esse, tunc nostram salutem non est operata per modum meriti, cum humanitas Christi tunc operari non posset : sed illam operata est per modum efficientiae cuiusdam, in quantum similia similibus curantur : duplex enim mors est inducta per peccatum in homine, scilicet mors animae et mors corporis, et utraque est efficienter destructa per Christi mortem ; unde dicitur[2] : *Absorpta est mors in victoria.*

§ III

DE CHRISTI SEPULTURA

Quatuor hic exponenda erunt : *primo*, convenientia sepulturae Christi (LI, art. 1) ; *secundo*, circumstantiae eiusdem (2) ; *tertio*, conditio corporis sepulti (3) ; *quarto*, tempus quo Christi corpus remansit sepultum (4).

1. — **Convenientia sepulturae Christi.** — Ex triplici ratione haec convenientia ostendi potest : primo, ut veritas mortis Christi

1. 3, Quaest. L, art. 5, ad 2um. — 2, 1, Cor. XV, 54.

comprobaretur, nemo enim in sepulchro ponitur, nisi constet de eius morte ; secundo, ut nobis, qui post mortem sepulchro committimur, resurgendi spes daretur ; tertio, ut nos, qui per Christi mortem peccatis morimur, Christus ipse exemplo suo induceret ut in illo abscondamus vitas nostras a conturbatione hominum, unde et baptizati, qui per Christi mortem peccatis moriuntur, quasi consepeliuntur Christo per immersionem.

2. — Circumstantiae sepulturae Christi. — Considerari hic possunt α) honor sepulturae ; β) mixtura myrrhae et aloes quam tulit Nicodemus ; γ) sindon munda ; δ) locus, qui fuit hortus ; ε) sepulchrum quod fuit alienum, novum et excisum in petra.

α) *Honor sepulturae* convenit virtuti morientis qui talia fortiter passus erat ; et mystice designat futuram fidelium devotionem, qui Christo mortuo servire debebant.

β) *Mixtura myrrhae et aloes* adhibita est, ut consuetudo iudaeorum servaretur, qui solebant mortuorum corpora variis aromatibus condere ut diutius servarentur illaesa. Mystice autem significant res illae, quae natura sua amarae sunt, poenitentiam per quam Christum quis in seipso conservat absque peccati corruptione ; odor autem aromatum bonam famam significat.

γ) *Sindon munda* ad decentiam pertinuit honestatis, et puritatem significat conscientiae qua Christum suscipere debemus.

δ) Christus sepultus est in *horto*, ad significandum quod per eius mortem et sepulturam liberamur a morte, quam in paradiso per Adae peccatum incurrimus.

ε) In *alieno sepulchro* Christus positus est, qui etiam vivens proprio habitaculo caruit ; *novum* autem fuit sepulchrum ad virginalem Deiparae uterum significandum ; *in petra excisum*, hoc est, ait Ambrosius, *in fidei firmamento, de qua veri israelitae dulcedinem mellis et oleum spirituale suxerunt*[1] : quod praeterea ex divina ordinatione factum est, ne si ex multis lapidibus tumulus fuisset aedificatus, Christus crederetur furto ablatus, tumuli videlicet fundamentis suffossis, ut advertit S. Hieronymus[2].

3. — Conditio Corporis Christi in sepulchro. — Haec au-

1. Super illud Luc. XXIII : *Et ecce vir*, etc. — 2. Super illud Matth. XXVII : *Iube ergo custodiri*, etc.

tem fuit Corporis Christi conditio dum in sepulchro iaceret, ut non putrefieret aut quocumque modo incineraretur : quod quidem fuisset argumentum infirmitatis ex parte naturae humanae illius: sic quippe credi potuisset mortem eius non fuisse voluntariam, sed ex morbo, sicut contingit in nobis. Christus igitur, ad ostensionem virtutis divinae, voluit ut corpus suum incorruptum permaneret in sepulchro, ut sic omnes scirent non purum hominem fuisse passum et mortuum. Praeterea hoc debebatur sanctissimae illi humanitati quae ex incorrupta Virgine formata fuerat; et si quando hoc privilegium invenitur alicui sancto, in Nova Lege, concessum, multo minus Sancto Sanctorum denegandum non est.

4. — Tempus quo Christus iacuit in sepulchro. — Permansit autem Christus in sepulchro, ut habet S. Augustinus[1], triginta sex horas, scilicet a vespere sepulturae eius, usque ad diluculum resurrectionis, nempe *noctem totam cum die tota et nocte tota.*

Huius autem rei ratio est, quia per Christi mortem liberati sumus a duplici morte, scilicet a morte animae et a morte corporis, quod significatur per duas noctes quibus Christus mansit in sepulchro ; sed quia ipsamet Christi mors non fuit ex peccato proveniens, sed suscepta ex charitate, ideo non habuit rationem noctis sed diei, ideoque significatur per diem integrum quo Christus iacuit in sepulchro.

Quod autem spectat ad hunc locum S. Matthaei[2]: *Sicut fuit Ionas*, etc., adverti cum Angelico post Augustinum potest quod, cum dies et nox simul sumpta correspondeant spatio viginti quatuor horarum, et in Sacra Scriptura interdum sumatur pars pro toto, hinc dici potest quod *Christus per synecdochen fuit tribus diebus et tribus noctibus in sepulchro, quia sexta pro tota die et etiam pro praecedenti nocte sumitur; de die vero secunda non est dubium; tertia vero nox pro nocte et die sequenti.* Tamen si res secundum veritatem inspicitur, fuit Christus *duabus noctibus et uno die integro ad signandum quod suum simplum destruxit nostrum duplum: in nobis erat poena et culpa, in eo poena solum*[3].

1. L. IV de Trin., c. 6. — 2. C. XII, 40. — 3. Comment. in praef. Matth. 1. — Patrum doctrinam require apud Petav., de Inc. l. XII, c. 19.

§ IV

DE CHRISTI DESCENSU AD INFEROS

Circa Christi descensum ad inferos, tria investiganda sunt: *primum*, convenientia huius descensus (LII. art. 1); *secundum*, locus ad quem Christus descendit (2-4); *tertium*, personae quas liberavit (5-8).

1. — Convenientia descensus Christi ad infernum. — Non corporum more, sed angelorum, Christus dicendus est ad infernum descendisse, eo scilicet modo quo angelis competit de loco ad locum se transferre. — Tres autem ob causas ad infernum Christus se contulit: primo quidem, quia sicut conveniens fuerat ut Christus moriendo nos a morte liberaret, ita conveniens fuit ut descendendo ad infernum nos a damnatione inferni liberaret, quem non secus ac mortem, peccando incurreramus, nomen enim inferni sonat in malum poenae. Secundo, quia conveniens erat ut victo per passionem diabolo, vinctos illius, qui in inferno detinebantur, virtute sua Christus eriperet. Tertio, ut potestatem suam etiam in inferno ostenderet, illum visitando et illuminando: nam sicut passio Christi, quae in se est universalis causa salutis, applicatur vivis per sacramenta, ita mortuis applicata est per praefatum descensum.

2. — Locus ad quem Christus descendit. — Locus autem ad quem Christus descendit non fuit infernus damnatorum, sed infernus in quo iusti detinebantur, expectantes finalem liberationem. Hos Christus et divinitate interius per gratiam confortavit, et secundum animam loco visitavit, ut illos a dolore dilatae beatitudinis sublevaret. Attamen secundum effectum potentiae suae aliqualiter ad omnes inferiores terrae partes descendit, quo modo etiam in inferno damnatorum fuit, eos de incredulitate et malitia increpando. In purgatorio quoque fuit, scilicet non localiter, sed spem gloriae consequendae animabus ibi detentis infundendo.

Per Christi praesentiam infernus ille factus est paradisus, quo et translata est anima boni Latronis, cui Dominus dixerat: *Hodie*

mecum eris in paradiso ; ideoque statim ac Christus in illum locum ingressus est, animae sanctorum ibi existentes liberatae sunt per hoc quod fuerunt luce gloriae perfusae, etsi non statim eductae sint ab illo loco : nam Christus ibi tamdiu permansit, quamdiu corpus eius iacuit in sepulchro, ita quod simul eius anima educeretur de inferno et corpus de sepulchro.

Notanda hic sunt verba Symboli : (Christus) *sepultus* (est), *descendit ad inferos*, quae sibi volunt Christum fuisse totum et in sepulchro et in inferno : et hoc quidem recte, nam neutrum quidem genus pertinet ad naturam, masculinum autem ad personam ; atqui nec anima nec caro fuit a persona Filii Dei separata ; ideoque totus Christus fuit in sepulchro et totus in inferno.

3. — Quosnam Christus liberaverit. — Christus vero liberavit sanctos Patres, non quidem a reatu poenae pro peccatis actualibus debitae, quia ab hac poena liberati sunt per fidem Christi, sed a reatu poenae pro peccato totius generis humani debitae, quae consistebat in exclusione a gloria. Hanc autem gloriam Christus eis statim ac Limbum Patrum ingressus est, contulit, mox illos in sua resurrectione ad caelos translaturus, iuxta ea quae canit Ecclesia[1] :

O vera caeli victima,
Subiecta cui sunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitae praemia.

Victor subactis inferis
Trophaea Christus explicat,
Caeloque aperto, subditum
Regem tenebrarum trahit.

Damnatos autem et pueros qui cum originali peccato decesserant Christus ab inferno non liberavit ; quia nec isti nec illi coniuncti sunt Christo per fidem charitate formatam, quae est conditio ut ad nos usque virtus passionis Christi perveniat. Et damnati quidem aut nunquam habuerunt fidem, sicut infideles, aut si fidem habuerunt, conformitatem non habuerunt ad chari-

1. Hymno Sabb. in Albis ad Vesp.

tatem Christi patientis ; parvuli autem qui decesserant cum originali peccato nullo modo coniuncti fuerant passioni Christi per fidem et dilectionem : nam fidem propriam habere non potuerant, cum caruerant usu liberi arbitrii, beneficio autem fidei parentum aut alicuius fidei sacramenti fuerant destituti : unde quantum ad illos et istos nulla fuit in inferno redemptio ; aliunde post exitum ab hac vita, homines sunt in aeternum aut confirmati in bono, aut obstinati in malo.

Denique animas in purgatorio detentas Christus per suum descensum liberavit, non omnes, sed illas tantummodo quas invenit ad hanc liberationem sufficienter dispositas, etsi haec dispositio fuerit tunc facta, sicut nunc fit, et sicut etiam antea semper fiebat, per ipsam passionis Christi virtutem. Illae igitur ex animabus in purgatorii igne existentibus tunc liberatae sunt, quae iam sufficienter erant purgatae, vel quae *dum adhuc viverent, meruerunt per fidem et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente, liberarentur a temporali purgatorii poena*[1].

1. 3, Quaest. LIII, art. 8, ad 1^m. Cf. Caiet. in h. l. Vide etiam quae scripsimus : Les Indulgences, P. I, c. IV, n. 6, pp. 145, seqq. Paris, 1902. — Hinc de Christi passione considerationi finem imponere nolumus, quin etiam de Virginis doloribus memoriam faciamus, ex quibus tot nobis bona provenerunt. Sint ergo in hanc rem sequentes versus ex vetusta charta transcripti :

Dum vitam in ara Golgothae
Auctor salutis immolat,
Maria amoris aemula
Iungit doloris hostiam.

O passionis mutuae
Alterna cordis vulnera!
In Matre proles condolet,
In prole Mater deficit!

Mater doloris nescia
Gavisa partum viderat :
O! quanto agone Filium
Nunc pressa nobis partarit!

Victis resurge ab inferis
Nunc Christe : fortis femina
Per spem fidemque praevenit
Stando triumphum Filii!

CAPUT QUARTUM

DE PERTINENTIBUS AD EXALTATIONEM CHRISTI POST HANC VITAM

ORDO CAPITIS

Ultimo loco agendum est de iis quae pertinent ad exaltationem Christi post hanc vitam, quae quidem quatuor sunt : *primo*, Christi resurrectio (LIII-LVI) ; *secundo*, eius ascensio (LVII) ; *tertio*, eius sessio ad dexteram Patris (LVIII) ; *quarto* denique, iudiciaria potestas ei ut homini concessa (LIX).

§ I

DE CHRISTI RESURRECTIONE

Circa Christi resurrectionem sex considerationes occurrunt, quarum *prima* est de necessitate Christi resurrectionis (LIII), *secunda*, de qualitate resurgentis (LIV), *tertia*, de manifestatione resurrectionis (LV, art. 1, 2), *quarta*, de modo manifestationis (Ibid., 3, 4), *quinta*, de argumentis veritatem resurrectionis declarantibus (Ibid., art. 5, 6), *sexta* demum, de resurrectionis causalitate (LVI).

1. — Necessitas resurrectionis Christi. — Cum constet virtute propria divinitatis suae Christum surrexisse a mortuis, iam quinque assignari possunt rationes ob quas a mortuis resurgere debuerit. — Primo, ut, quia ipse se propter charitatem et obedientiam humiliaverat usque ad mortem crucis, secundum divinae iustitiae ordinem humiles exaltantis glorificaretur ; secundo, ad fidei nostrae confirmationem circa Christi divinitatem ; tertio, ad sublevationem nostrae spei, quia dum videmus Christum, caput nostrum

resurgere, speramus et nos resurrecturos; quarto, ut doceamur in novitate vitae ambulare; quinto, ut sicut Christus, humiliando se, nos liberaverat a malis, ita resurgendo nos promoveret ad bona, sicut postea dicetur quod Christi resurrectio fuit causa resurrectionis et corporum et animarum nostrarum.

Non debuit autem Christi resurrectio aut nimium accelerari, aut nimium retardari: si enim statim post mortem Christus resurrexisset, videri potuisset eius mortem non fuisse veram, nec consequenter resurrectionem; si autem nimium fuisset dilata, de divinitate potuisset suspicio oriri. Congrue autem resurrexit Christus circa diluculum, illucescente iam die, sicut etiam congrue mortuus erat die advesperascente et in tenebras recedente : siquidem quemadmodum per mortem suam Christus destruxerat tenebras culpae et poenae, ita per suam resurrectionem nos ad lucem gloriae inducebat: quod ita canit in hymno Ecclesia[1]:

Aurora caelum purpurat,
Aether resultat laudibus
Mundus triumphans iubilat,
Horrens avernus infremit,
Rex ille dum fortissimus
De mortis inferno specu
Patrum senatum liberum
Educit ad vitae iubar.

Resurrexit vero Christus tanquam primitiae dormientium[2]; quod sibivult non quod alii ante ipsum non resurrexerint, sed quod nullus antea ita resurrexerit non amplius moriturus, scilicet resurrectione perfecta. Si qui enim ante Christum resurrexerunt, hoc fuit ad praemonstrandum quasi in quodam signo eius resurrectionem, et ideo imperfecta fuit eorum resurrectio, et postea iterum mortui sunt.

Quod autem attinet ad illos sanctos de quibus narrat S. Matthaeus[3] quod surrexerunt, et exeuntes de monumentis post Christi resurrectionem, venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis,

1. Dominica in Albis ad Laudes.— 2. 1 Cor. XV, 20.— 3. Cap. XXVII, 52, 53.

probabiliter retineri potest quod surrexerunt, non amplius morituri; et quamvis de *resurrectione eorum in Evangelio mentio fiat ante resurrectionem Christi, tamen, ut per textum patet, intelligendum est per anticipationem esse dictum, quod frequenter historiographis accidit*[1].

2. — Qualitas Christi resurgentis. — Cavendum autem est ne Christus resurgens negetur habuisse verum et integrum corpus : sic enim eius resurrectio vera et perfecta non fuisset. Nam si corpus Christi resurgentis fuisset phantasticum, resurrectio fuisset solummodo apparens; si autem non integrum, resurrectio opus mancum extitisset. Unde Christus resurrexit cum omnibus illis partibus quae pertinent ad integritatem corporis humani, quales sunt membra, caro, ossa, humores, sanguis, etc. De sanguine autem et humoribus prae mente tenendum est quod supra exposuimus[2].

Nec obstat veritati resurrectionis Christi, quod ianuis clausis ad discipulos sit ingressus: hoc enim factum est, non quidem vi subtilitatis, ut quidam putaverunt, sed virtute divinitatis, qua virtute fieri potest ut duo corpora sint simul[3]. Similiter veritas resurrectionis non infirmatur per hoc quod Christus evanuerit ab oculis discipulorum eum intuentium, quod etiam virtute divinitatis fieri potuit, etsi dici etiam possit quod quicumque habet corpus glorificatum, in sua potestate habet videri quando vult, et quando non vult non videri, quia corpus tunc totaliter spiritui est subiectum, quod pertinet ad claritatem[4], licet etiam per dotem agilitatis potuerit citissime discedere a loco ubi erat et ad alium locum accedere[5]. Denique in aliena effigie apparere potuit, sicut legimus quod apparuit Mariae Magdalenae[6] et duobus discipulis euntibus in villam[7] : nam sicut in Christi potestate erat ut corpus eius videretur vel non videretur, ita in eius potestate erat ut ex eius adspectu in intuentium oculis formaretur species paulisper immutata, ad quam quidem immutationem inducendam minima differentia sufficit.

1. 4. Dist. XLIII. Quaest. I, art. III, sol. I, ad 3^m. — 2. Quaest. V, Dissertatio spec., Vol. I, p. 271, seqq. — 3. Cf. Del Miracolo, etc., C. VI, § VII. — 4. Supplem. Quaest. LXXXV, art. 3. — 5. Ibid., Quaest. LXXXIV. — 6. Io. XX, 16. — 7. Luc. XXIV, 13.

Ita autem resurrexit Christi corpus, ut gloria quae ab anima in corpus eius ab initio conceptionis redundare debuisset nisi hoc divinitus fuisset impeditum propter nostram redemptionem, nunc ultro animam perfunderet; unde factum est ut Christi corpus resurgeret gloriosum, ut ita et praemium suae passioni debitum obtineret, et simul nostrae resurrectionis exemplar existeret: attamen in eius potestate fuit quod eius claritas ab aliis videretur, necne, ut dictum est.

Et haec quidem claritas non tollebat quin palpabile esset Christi corpus: nam corpus gloriosum est etiam ex elementis constans, habens in se tangibiles qualitates, etsi per virtutem animae sit incorruptibile. Pariter conditio corporis gloriosi in Christo non tollebat quin ille vere potuerit manducare, non quasi cibo indigens, sed ut eo modo naturam corporis resurgentis adstrueret; sed tamen illa manducatio fuit sine nutritione, cum nutriri proprium sit corporis animalis, unde cibus quem Christus sumpserat, virtute eius postea resolvebatur in praeiacentem materiam[1]: in quo distinguitur corpus gloriosum non solum a corporibus mortalibus, sed etiam a corporibus quae angeli assumunt, quae nec nutriri nec vere manducare possunt[2].

Denique cum cicatricibus Christus resurgere debuit, quae quidem non pertinent ad corruptionem vel defectum, sed potius ad maiorem gloriae cumulum, in quantum sunt virtutis insignia in quibus specialis decor renidet. Ordinantur etiam ad certiorem faciendam fidem discipulorum de passione itidemque de identitate resurgentis; praeterea sunt Patri quidem quaedam veluti perennis supplicatio, nobis autem simul disertissima amoris testificatio, et efficacissima iudicii a Christo in ultimo die faciendi contestatio. Quocirca canit Ecclesia[3]:

Salvete, Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.

1. Cf. Quodlib. III, art. 5. — 2. Vide quod scripsimus THE UNSEEN WORLD, *An exposition of catholic Theology in its relation to spiritism*, p. 212. London, 1906. — 3. Hymn. ad Laudes in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Nitore stellas vincitis,
Rosas odore et balsama,
Pretio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus,
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

3. — Manifestatio resurrectionis. — Quia haec est lex divinitus instituta, ut ea quae sunt supra naturam inferioribus revelentur mediantibus superioribus, ideo Christi resurrectio, quae per gloriam Patris facta est, non immediate omnibus manifestata est, sed quibusdam tantum per quorum testimonium factum illud ad omnes deferretur. Inter quos quaedam etiam mulieres recensentur, quarum fidem et pietatem Dominus ita voluit remunerare, non quidem ut testimonium resurrectionis illae solemniter et ex officio ferrent, sed ut privatim aliquos domestica admonitione instruerent.

Igitur authentici resurrectionis testes fuerunt discipuli, qui etsi Christum resurgere non viderint, hoc enim, utpote supra homines, ab angelis discere debuerunt, illum tamen post resurrectionem, occulta fide, viventem viderunt quem mortuum sciverant.

In quo distinctio est inter resurrectionem et ascensionem, quam discipuli propriis oculis creverunt, cum haec non transcenderet hominum notitiam quantum ad terminum a quo seu secundum quod Christus elevabatur a terra, sed solum quantum ad terminum ad quem, seu in quantum recipiebatur in caelum: resurrectio autem transcendebat communem notitiam quantum ad utrumque terminum, scilicet secundum quod corpus ab inferis et anima a sepulchro clauso exibat, et secundum quod vitam gloriosam adipiscebatur.

4. — Modus manifestationis. — Quod ad numerum apparitionum attinet, sciendum est quod Christus ipso die resurrectionis *quinquies* apparuisse legitur: primo, mulieribus ad monumentum; secundo, eisdem regredientibus a monumento in itinere; tertio, Petro; quarto, duobus discipulis euntibus in castellum;

quinto, pluribus in urbe Hierusalem, ubi non erat Thomas. Post primum diem vero non legitur Christus discipulis apparuisse nisi *quinquies* : et sic post primas quinque apparitiones, sexto, apparuit eis ubi cum Thomas vidit; septimo, ad mare Tyberiadis in captione piscium; octavo, in monte Galilaeae, secundum Matthaeum; nono, quod narrat Marcus: *Novissime recumbentibus,* quia iam non erant in terra cum illo convivaturi; decimo, in ipso die ascensionis, non iam in terra, sed elevatus in nube, cum in caelum ascenderet[1]. Attamen, ut ait S. Ioannes, non omnia scripta sunt; crebra enim erat Christi cum discipulis conversatio, priusquam ascenderet in caelum, scilicet ad consolationem eorum [2].

Quaerenti autem quonam pacto istae Christi apparitiones fieri debuerint, facile respondetur, quod nimis frequentes esse non debuerunt, ne videlicet discipuli crederent illum ad vitam priori vitae similem resurrexisse. Igitur modus servatus est, ut Christus quidem appareret ad veritatem resurrectionis firmandam, non tamen nimis frequenter, scilicet ut simul manifestatio resurrectionis et gloria resurgentis salvarentur.

Quod autem duobus discipulis aliena effigie Christus apparuerit, hoc ideo fuit quia eos in fide tepescentes adinvenit : lex enim est ut qui mentem bene dispositam habent, secundum veritatem divina percipiant : alii autem veritatem cum quadam confusione dubietatis vel erroris apprehendunt. Christus tamen eos in errore suo manere non est passus, sed aperuit oculos eorum ut eum cognoscerent.

5. — Argumenta resurrectionis veritatem declarantia. — Quia in Christi resurrectione fides nostra fundatur, ideo divina Providentia disposuit ut omnia circa hoc mysterium ita ordinarentur, ut nullus in hac re dubitationi locus relinqueretur.

In quo quidem prius statuenda erat veritas mortis Christi, tum ostendendum quod realiter a morte surrexit. Et primum quidem aperte evincunt lateris percussio et sanguinis cum aqua effluxio, signa multa tunc patrata, sepultura, et omnium, sive inimicorum sive discipulorum, de illius morte persuasio.

Quod autem ad resurrectionis factum attinet, Christus noluit

1. 3, Quaest. LV, art. 3, ad 5^m. — 2. Ibid.

illud ratiocinando demonstrare : talis quippe argumentativa probatio, si quidem ex ignotis principiis processisset, nihil evicisset, cum ex ignoto non potest aliquid fieri notum ; si autem processisset ex principiis notis, non fuisset efficax ad fidem resurrectionis adstruendam, cum non transcendisset rationem humanam.

Sed Christus usus est et testimoniis et signis. Testimoniis quidem irrefragabilibus, scilicet tum angelorum qui mulieribus resurrectionem annuntiaverunt, tum Sacrae Scripturae, quae est fidei fundamentum, cum dixit[1] : *Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in Lege Moysi, et prophetis et psalmis de me.* Signis quoque usus est Christus, quae etiam argumenta[2] vocantur, tum quia corda discipulorum non erant disposita ad hoc quod de facili acciperent fidem resurrectionis, tum ut per huiusmodi signa eis ostensa eorum testimonium efficacius redderetur.

Signa autem suae resurrectionis Christus exhibuit tum ex parte corporis, tum ex parte animae. — Ex parte quidem *corporis*, ostendendo quod suum corpus esset verum et solidum, non phantasticum vel rarum, ut aer ; quod esset corpus humanum, veram hominis effigiem exhibens ; quod esset idem numero corpus quod prius habuerat, ut ex vulnerum cicatricibus constabat. — Ex parte autem *animae* veritatem suae resurrectionis Christus ostendit, exhibendo opera vitae — vegetativae, manducando et bibendo ; sensitivae, ostendendo se videre praesentes et loquentes audire ; rationalis, discursus habendo et de Scripturis disserendo. Et ne quid ad manifestationis perfectionem deesset, Christus ostendit se habere divinam naturam per miraculum quod fecit in captura piscium, et per hoc quod discipulis videntibus in caelum conscendit. Denique gloriam suae resurrectionis patefecit discipulis per hoc quod ad eos ianuis clausis ingressus est, et per hoc quod subito ab oculis eorum evanuit, ostendens esse in sua potestate ut videretur aut non videretur, quod ad corporis gloriosi conditionem proprie pertinet.

Circa huiusmodi signa, advertendum est quod licet unumquodque eorum non fuisset sufficiens ad perfecte manifestandum Christi re-

1. Luc. XXIV, 44. — 2. Graece τεκμήρια.

surrectionem, tamen si omnia simul sumantur, invenientur hoc factum perfecte probare, maxime propter testimonium Scripturarum et angelorum dicta, et etiam assertionem ipsius Christi miraculis confirmatam. Ad apparitiones autem Domini Nostri quod attinet, absolute loquendo, tribui possent substantiis angelicis, cum angelus possit sumere corpus in quo appareat; at hoc asserere in praesenti mysterio impossibile est, cum apparens palam se dixerit esse eumdem Christum qui paulo ante crucifixus erat : porro angeli quidem boni hoc asserere non potuissent, cum sint mendacii incapaces; angeli vero mali hoc praecise intendebant, ut Christi resurrectionem inficiarentur, ne homines ad ipsum converterentur, ideoque multo minus poterat aliquis eorum dicere se esse Christum.

Adverti hic quoque debet quam inconsulto moderni quidam [1], distinguentes inter *fidem* resurrectionis et *nuntium* eiusdem seu auctoritates scripturisticas ad fidem adstruendam, illam quidem in discipulorum cordibus extitisse ultro concedunt, hunc vero aiunt sufficere ad certam quamdam probabilitatem, minime vero ad certitudinem generandam ; eo quod, ut dicunt, dato quidem quod de alicuius sanatione aut resurrectione experimentum aliquod habere possimus, tamen de resurrectione ad vitam immortalem, quae nos omnino latet, certiores nullatenus esse possumus. Quod profecto huic supposito innititur, glorificatorum corpora non eadem esse substantialiter ac nostra, quod falsum est, cum glorificatio corporum substantiam non immutet [2].

6. — Causalitas resurrectionis Christi. — Denique, si Christi resurrectio consideretur per respectum ad nos, dicendum est quod fuit causa resurrectionis tum nostrorum corporum, tum nostrarum animarum, quarum resurrectionum secunda proprie vocatur iustificatio.

Attamen Christi resurrectio non fuit causa meritoria resurrectionis nostrae, sicut eius passio et mors fuerunt causa nostrae sa-

1. Quos inter potissimus est A. Loisy, *L'Évangile et l'Église*, II. Le Fils de Dieu, pp. 74, sqq. Paris, 1902. — 2. Circa momenta Christi resurrectionem adstruentia et obiectionum solutionem, vide Ubaldi, Introductio in Sacram Scripturam, Vol. I, pp. 359, sqq. Romae, 1891.

lutis, sed causa tum efficiens, tum exemplaris. Efficiens quidem, scilicet secundario et quasi instrumentaliter, seu in virtute divinitatis tanquam causae propriae, quae humanitate Christi resurgentis utebatur tum ad iustificandas animas, tum ad resuscitanda corpora: siquidem Christus Dominus est caput hominum non solum quantum ad animas, sed etiam quantum ad corpora. Resurrectio autem Christi est causa exemplaris, primo, resurrectionis corporum, quia semper id quod est perfectissimum est exemplar eius quod est minus perfectum secundum suum modum: secundo, resurrectionis animarum seu iustificationis: nam sicut passio et mors Christi est causa exemplaris remissionis culpae per quam remissionem morimur peccato, ita resurrectio Christi est causa novitatis vitae quae est per gratiam: aliunde, cum ad perfectam iustificationem duo requirantur, scilicet remissio culpae et novitas vitae per gratiam, patet quod causa exemplaris inchoativa nostrae iustificationis est passio et mors Christi, causa autem exemplaris perfecta est eius resurrectio.

Igitur per suam passionem Christus meruit resurrectionem mortuorum, non omnium sed eorum tantum qui salvi fient; est autem per suam resurrectionem causa efficiens secundaria et quasi instrumentalis omnium resurgentium; denique, iterum per suam resurrectionem est causa exemplaris resurrectionis animae et corporis bonorum. Unde resurrectionis corporalis malorum Christus non est causa meritoria: illi enim resurgunt ad poenam, non ad praemium; nec est causa exemplaris, Christus enim resurrexit ad gloriam, illi autem ad ignominiam. — Notandum tamen hic est virtutem efficientiae, quam attribuimus Christi resurrectioni per respectum ad resurrectionem nostram, communem esse etiam aliis mysteriis vitae Christi, quae omnia salutem nostram meruerunt in virtute divinitatis.

§ II

DE CHRISTI ASCENSIONE

Circa ascensionem Christi quaerendum erit, *primo*, de illius convenientia (LVII, art. 1), *secundo*, de modo quo est peracta (2-3),

tertio, quonam Christus ascenderit (4-5), *quarto*, de effectu ascensionis (6).

1. — Convenientia ascensionis. — Non statim post suam resurrectionem, sed post dies quadraginta, ut scilicet veritas resurrectionis sufficienter posset comprobari, Christus in caelum conscendit, non quidem ut ei aliquid accresceret eorum quae ad essentiam gloriae sive corporis sive animae pertinent, sed propter quamdam decentiam, ut videlicet locus corresponderet novae illius conditioni. Cum enim Christus per resurrectionem inchoaret vitam immortalem et incorruptibilem, conveniens non fuit ut amplius commoraretur, modo scilicet permanenti, in hac terra quam habitamus, quae est locus generationis et corruptionis; sed locum caelestem, qui est incorruptibilis, congrue petivit.

Per quod etiam nostrae utilitati Christus opportune providit, dum scilicet praesentiam suam sensibilem, nobiscum utique invisibiliter manens, subtrahere voluit: sic quippe fidem nostram promovit, quae est de non visis, spem erexit illuc perveniendi quo ipsemet ascendit, et charitatis affectum in res caelestes accendit; unde discipulis suis Christus dixit[1]: *Expedit vobis ut ego vadam.*

2. — Modus ascensionis Christi. — Ut modus ascensionis Christi adaequate investigetur, consideranda est tum conditio ascendentis, tum virtus qua ascensio est peracta.

Et primo, quantum ad conditionem ascendentis, evidens est quod ascensio, sensu proprio, tribui nequit divinitati, quae non est capax motus localis, sed est immobilis et inlocalis: unde proprie Christus dicendus est ascendisse in caelum *ut homo*. Improprie tamen et metaphorice ascendere dici potest convenire etiam divinae naturae, quo sensu dicitur Deus in cor hominis ascendere, secundum quod cor hominis Deo se humiliat et subiicit; et contrariorum ratione, descendisse Deus de caelo dicitur secundum quod, cum in forma Dei esset, exinanivit se, formam servi accipiens, scilicet nostram parvitatem suscipiens in unitatem personae.

Quod autem spectat ad virtutem qua ascensio est peracta, dicendum est hanc esse primo et principaliter virtutem divinitatis,

1. Io. XVI, 7.

quae communis est Patri, Filio et Spiritui Sancto. Secundario autem est etiam virtus humanae naturae, non quidem virtus naturalis, non enim hoc habet humana natura ut corpus in caelum transferre valeat, sed supernaturalis, scilicet quae est ex parte animae glorificatae, ex cuius redundantia glorificabitur corpus, ita quod quocumque volet spiritus, illuc protinus accedet corpus quod spiritui omnino subiectum erit.

3. — Locus ad quem Christus ascendit. — Iamvero Christus ascendit non solum supra omnes caelos, sed etiam supra omnem spiritualem creaturam, iuxta illud[1]: *Ascendit super omnes caelos ut impleret omnia.*

Quod supra omnes caelos ascenderit, constat ex eo quod superior locus competit superiori corpori : inter corpora autem eminet corpus gloriosum quod plus de divina bonitate participat; et inter cetera corpora gloriosa constat quod corpus Christi maiori refulget gloria, unde convenientissimum est quod sit supra omnia corpora constitutum in alto, non ita tamen ut contineatur a corpore caelesti, corpora enim gloriosa, et maxime corpus Christi non indigent tali continentia; unde corpus Christi gloriosum non recipit continentiam a corporibus caelestibus, sed a Deo mediante anima. Et ideo dicendum est quod Christi corpus est extra totam continentiam corporum caelestium, nec tamen est in vacuo, quia extra caelum non est vacuum, cum ibi non sit locus nec aliqua potentia susceptiva corporis : quod autem Christus illuc pervenerit est per potentiam quae est non in loco, sed in ipsomet Christo.

Sed et supra omnem spiritualem creaturam Christus ascendit, ex eo quod corpus Christi, etsi secundum conditiones naturae corporeae sit infra spirituales substantias, secundum tamen dignitatem unionis qua est personaliter Deo coniunctum, excellit dignitatem omnium substantiarum spiritualium : rei autem alicui tanto debetur locus altior, quanto res illa est nobilior. Quod non est sic intelligendum quasi substantiis spiritualibus conveniat locus per contactum corporalem; sed quia eis quoque debetur locus per modum contactus spiritualis ; et quidem quia

1. Eph. IV, 10.

sunt supremae in ordine substantiarum spiritualium, ideo eis iure debetur locus supremus, non tamen supra Christum [1].

4. — Effectus ascensionis Christi.—Porro ascensio Christi est causa nostrae salutis dupliciter : uno modo ex parte nostra, quasi ex opere operantis, alio modo ex parte ipsius Christi, quasi ex opere operato.

Ex parte nostra, ascensio Christi salutem nostram operata est in quantum fidem roboravit, spem excitavit, charitatem accendit, reverentiam nostram auxit in Christum, quem iam non existimamus tanquam hominem terrenum, sed sicut Deum caelestem.

Ex parte Christi, in quantum Christus viam nobis praeparavit ascendendi in caelum : ubi enim est caput, illuc membra sequi oportet ; unde et animas sanctorum, quas de inferno eduxerat Christus, in caelum secum traxit, secundum illud[2] : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem*, quod ita S. Paulus exponit[3] : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, quod sibivult a Christo eos qui fuerant a diabolo captivati in caelum ductos fuisse, quasi in locum peregrinum humanae naturae, bona captione captivos, utpote per victoriam acquisitos. Praeterea Christus ascendit in caelum interpellaturus pro nobis : repraesentat videlicet Deo suam humanam naturam in caelum illatam, quasi orando Deum ut sicut humanam naturam sic in seipso exaltavit, ita etiam eorum misereatur pro quibus eam assumpsit. Denique in caelorum sede, quasi Deus et Dominus constitutus, divina dona Christus hominibus ad salutem mittit.

Quapropter concludendum est Christi ascensionem esse causam nostrae salutis, non quidem meritorie, sed per modum efficientiae cuiusdam, inchoando quodammodo nostram ascensionem in capite nostro cui oportet membra coniungi.

Ubi quoque advertisse iuvabit Christum, ex quo caelum conscenderit, sibi et nobis ius in perpetuum et dignitatem mansionis caelestis adeptum fuisse, cui iuri non derogatur, si quando Christus in terras ex aliqua dispensatione descenderit, sicut quando

1. Extendi proportionaliter possunt ad gloriosam Deiparam quae hic de Domini Nostri exaltatione dicuntur. — 2. Ps. LXVII, 19. — 3. Eph. IV, 8.

Paulo in via Damasci apparuit, quo modo etiam in fine mundi omnibus se ostendet omnes homines iudicaturus: quod observatur, ne putetur istas apparitiones esse tantum secundum phantasma et non secundum rei veritatem: sane quod ait Paulus[1]: *Novissime autem omnium, tanquam abortivo, visus est et mihi*, arguit verum Christi corpus a Paulo visum fuisse, cum hoc ille adducat ad confirmandam resurrectionis fidem[2].

§ III

DE CHRISTI SESSIONE AD DEXTERAM PATRIS

Circa Christi sessionem ad Patris dexteram, tria sunt exploranda: *primo*, quid significet Christum sedere ad dexteram Patris (LVIII, art. 1); *secundo*, qua ratione sic sedeat (2, 3); *tertio*, quomodo hoc Christi privilegium sit alteri incommunicabile (4).

1. — Quid sit Christum sedere ad dexteram Patris. — Hoc, quod in Symbolo apostolorum legimus, ita traditur a S. Marco[3]: *Et Dominus quidem Iesus... assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei*, non proprie, sed metaphorice est accipiendum. Si enim proprie sumeretur, Pater dici deberet Christo sinister, quod est inconveniens; praeterea Christus ipse non posset dici stans, quod tamen legimus[4]: *Ecce video caelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Metaphorica autem huius dictionis acceptio nec facit Patrem esse Christo sinistrum, nec excludit quod Christus in caelo dicatur etiam stans. At qualis est iste sensus metaphoricus?

In nomine sessionis considerari potest tum quies, tum regia vel iudiciaria dignitas. Atqui Christus manet aeternaliter incorruptibilis in beatitudine Patris, quae vocatur eius dextera; praeterea Patri conregnat, et ab eo habet iudiciariam potestatem, sicut ille qui considet regi ad dexteram, assidet ei in regnando et iudicando.

1. 1, Cor. XV, 8. — 2. Cf. Catech. Rom. P. I, De sexto symboli, art. — 3. C. XVI, 19. — 4. Act. VII, 55.

Ergo convenienter Christus metaphorice dicitur sedere ad dexteram Patris.

2. — Qua ratione Christus sedeat ad dexteram Patris. — Christus autem sedet ad dexteram Patris qua Deus et qua homo, aliter tamen et aliter. Ad quod intelligendum, sciendum est quod in nomine *dextera* tria possunt intelligi: primo, gloria divinitatis, secundo, beatitudo aeterna, tertio, regia et iudiciaria potestas; *sedere* autem est immobiliter manere in regia dignitate: unde sedere ad dexteram Patris est simul cum Patre possidere immutabiliter et regaliter gloriam divinitatis, beatitudinem et iudiciariam dignitatem. Atqui hoc convenit Christo in quantum Deus est: ita tamen quod haec praepositio *ad*, quae transitiva est, solam distinctionem personalem importet et ordinem originis, non autem gradum naturae vel dignitatis qui in divinis nullus est; et sic hoc non solum convenit Christo, sed etiam Spiritui Sancto; magis tamen Filio convenit, cui secundum quamdam appropriationem tribuitur, eo quod Filio appropriatur aequalitas.

Christo etiam, in quantum homo est, convenit sedere ad dexteram Patris, et hoc quidem sive ly *homo* resumatur in reduplicatione ratione suppositi, sive resumatur ratione naturae. Sed in primo casu, reincidit in hoc quod dicatur: Christus, in quantum est Deus, sedet ad dexteram Patris, scilicet secundum quod haec praepositio *ad*, quae de sua natura importat convenientiam cum quadam distinctione, significat enim quemdam accessum ad dexteram, designat convenientiam in natura et distinctionem in persona, unde sibivult quod eodem honore veneramur Filium Dei cum natura assumpta, quo veneramur ipsum Patrem, scilicet personaliter sumptum; in secundo autem casu, qui est magis naturalis, eo quod nomen resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito, eo quod resumitur in vi praedicati quod tenetur formaliter, illa propositio importat quemdam excessum in humana natura Christi prae caeteris creaturis, in quantum scilicet est in illa natura quaedam excellentia participationis honoris divini, beatitudinis et iudiciariae potestatis supra omnem creaturam.

3. — Nullus alius a Christo sedet ad dexteram Patris.

— Revera, licet quilibet sanctus, eo quod est in beatitudine, sit ad dexteram Dei constitutus, iuxta illud[1]: *Statuet oves a dextris suis*, tamen quia solus Christus, secundum naturam divinam est in aequalitate Patris, secundum naturam humanam autem est in excellenti possessione divinorum bonorum prae caeteris creaturis, ideo nulli alii, nec angelo nec homini, convenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo, iuxta illud[2]: *Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis?* Sancti amen dicuntur et in Christi throno sedere[3] in quantum ab eo iudiciariam potestatem accipiunt, et etiam a dextris ipsius Christi sedere[4], inter quos tamen primatum obtinet Virgo Maria, cui applicari potest illud[5]: *Surrexit rex* (Salomon) *in occursum eius* (Bethsabee), *adoravitque eam et sedit super thronum suum, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius;* unde et poeta canit[6]:

Ma guarda i cerchi fino al più remoto,
Tanto che veggi seder la Regina
Cui questo regno è suddito e devoto.

§ IV

DE IUDICIARIA CHRISTI POTESTATE

Circa iudiciariam Christi potestatem, quatuor sunt exponenda: *primo*, convenientia huius potestatis (LIX, art. 1); *secundo*, ratio qua ipsi attribuitur (2, 3); *tertio*, extensio potestatis iudiciariae Christi (4, 6); *quarto*, distinctio iudicii generalis a iudicio particulari (5).

1. — Convenientia potestatis iudiciariae in Christo. — Licet iudiciaria potestas sit communis toti Trinitati quae est domina creaturarum, tamen quod Christo specialiter conveniat, constat ex eo quod S. Petrus, evangelium Cornelio annuntians, de illo ait[7]: *Ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.*

1. Matth. XXV, 33. — 2. Hebr. I, 13. — 3. Apoc. III, 21; Cf. Matth. XIX, 28. — 4. Cf. Matth. XX, 21. — 5. 3, Reg. II, 19. — 6. Alighierius. Parad. cant. XXXI, 115, seqq. — 7. Act. X, 42.

Ad quod intelligendum, sciendum est quod, ad iudicium faciendum, tria requiruntur: potestas subditos coercendi; zelus rectitudinis, ut quis non ex odio aut livore iudicium proferat, sed ex amore iustitiae; demum sapientia, secundum quam iudicium formatur: quorum duo priora praeexiguntur ad iudicium, sed proprie tertium est secundum quod accipitur forma iudicii, quia ipsa ratio iudicii est lex sapientiae et veritatis secundum quam iudicatur. Atqui Filius Dei est sapientia genita et veritas a Patre procedens, ipsumque perfecte repraesentans. Ergo proprie iudiciaria potestas ipsi attribuitur; auctoritas tamen iudicandi attribuitur Patri, in quantum est principium Filii.

2. — Qua ratione Christo competat iudiciaria potestas. — At iudiciaria potestas Christo competit non solum ut Deus est, sed etiam ut est homo, in quantum videlicet ipsi ratione humanae naturae committitur a Deo iudiciaria potestas respectu eorum qui eius iurisdictioni subiiciuntur. Nam Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiae, cui Deus omnia subiecit: ideoque ei competit suprema iudiciaria potestas, et hoc quidem triplici de causa: primo, propter Christi in natura humana affinitatem ad homines: convenit enim ut homines per Hominem Christum iudicentur, ut suavius sit iudicium; secundo, propterea quod resurrectio corporum, quae erit in finali iudicio, per Christum Hominem perficietur; tertio, ut ab omnibus iudicandis, sive bonis sive malis, iudex videatur.

Hanc autem potestatem Christus ex meritis propriis adeptus est, scilicet ex eo quod pugnavit et vicit pro iustitia, et iniuste iudicatus est; licet ex aliis etiam titulis illam sit consecutus, nempe propter praesentiam divinitatis et dignitatem capitis, necnon plenitudinem gratiae habitualis, secundum quod dicitur quod spiritualis iudicat omnia[1]. Non implicat enim unam eamdemque rem alicui deberi ex diversis titulis, sicut gloria resurrectionis Christo debebatur tum propter congruentiam divinitatis, tum propter gloriam animae, tum denique propter humilitatem passionis.

3. — Extensio potestatis iudiciariae Christi. — Ut autem

1. 1, Cor. II, 15.

rite determinetur extensio iudiciariae Christi potestatis, notandum est quod, si consideretur Christus, ut Deus est, evidens est eius potestatem iudiciariam complecti absolute omnes res, sive ad homines sive ad angelos spectantes. Si autem consideretur ut est homo, eius potestas complectitur quidem omnes res humanas, res autem angelicas omnes, citra tamen praemium essentiale et poenam principalem.

Ratio primi est quia res omnes humanae ordinantur in finem beatitudinis quae est salus aeterna, ad quam homines admittuntur, vel a qua etiam repelluntur iudicio Christi: cui autem committitur principale, committitur et accessorium. Et hoc etiam congruit tum plenitudini veritatis animae Christi, cum veritas sit forma iudicii, tum etiam merito mortis eius. Quod si quando invenitur Christus iudicium de rebus humanis detrectasse, hoc non est quia potestate iudicandi fuerit privatus, sed quia super res temporales iudiciariam potestatem exercere noluit, qui venerat homines ad divina transferre; sicut etiam, etsi rex esset, temporale regnum administrare recusavit [1].

Ratio autem secundi est tum propinquitas naturae assumptae ad Deum, propter quod anima Christi magis est repleta virtute Verbi Dei quam quilibet angelus, tum humilitas passionis, qua natura humana Christi meruit exaltari super angelos qui sunt in circuitu throni eius, tum denique quia Christus est caput hominum circa quos angelicae operationes versantur: quapropter omnes angeli subsunt iudicio Christi, non quidem ratione praemii essentialis aut poenae principalis, circa quod ab initio mundi iudicati sunt, sed tum ratione dispensationis eorum quae per ipsos aguntur, quae dispensatio subest iudicio Christi, ut patet per hoc quod angeli boni ei ministrabant, et daemones ab eo petebant ut in porcos mitterentur, tum etiam ratione praemii accidentalis bonorum angelorum, quod est eorum gaudium de salute hominum, et poenae accidentalis daemonum, qui vel hic torquentur, vel truduntur in inferno iudice et iubente Christo.

4. – Necessitas iudicii universalis. – De fide est post mortem statim fieri iudicium quo animae aeterna beatitudo aut

1. Cf. quae diximus Quaest. VIII, art.-2, n. 6. Vol. I, p. 369.

aeterna miseria pro meritis decernitur. Quia tamen per mortem vita hominis non perfecte terminatur sed quodammodo perdurat scilicet in effectibus, iudicium autem circa rem aliquam mobilem perfecte fieri nequit antequam res ista sit ultimo consummata in se et in suis effectibus, ideo necesse est in fine mundi aliud iudicium, universale scilicet, fieri. Revera, perdurat vita hominis in aliorum hominum memoria, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonae famae vel malae; perdurat in filiis qui sunt quasi aliquid patris, et tamen multorum bonorum sunt mali filii et e converso; perdurat quantum ad effectum operum, sicut ex apostolorum praedicatione proficit adhuc fides, et ex haereticorum perversitate pullulat infidelitas; perdurat quantum ad corpus, quod remanet mutabilitati subiectum usque ad finem temporis; perdurat quantum ad ea in quibus homo affectum suum defixit, dum alia citius finiuntur, alia diutius permanent: et quantum ad haec omnia necesse est iudicium institui ut inde aut gaudium aut poenam, utique accidentaliter, homo percipiat, secundum iustissimum iudicium Domini et Salvatoris Nostri Iesu Christi[1].

Tribus autem indiciis extremum iudicium imminere cognoscetur, quae sunt praedicatio Evangelii per universum orbem[2], discessio seu apostasia, et adventus seu revelatio antichristi, qui homo peccati dicitur[3].

Denique hoc advertendum est, a Christo iudiciariam potestatem iis esse conferendam, qui voluntariam paupertatem fuerint amplexati. Et hoc quidem ratione congruitatis, quia voluntaria paupertas eorum est, qui contemptis rebus mundanis, soli Christo inhaerent; ideoque, cum nihil in eis sit quod eorum iudicium a iustitia avertat, hinc idonei redduntur, quasi veritatem iustitiae prae caeteris diligentes. Accedit inter ea quae in hoc mundo hominem despectum faciunt, praecipuam esse paupertatem; unde Dominus Noster iis qui se propter illum humiliant, voluntariam paupertatem amplectendo, iudiciariam potestatem tanquam mercedem eorum merito respondentem promisit: cum enim

1. Cf. Catech. Rom. P. I. de VII Art. Symb. — 2. Matth. XXIV, 14. — 3. Cf. 2, Thessal. II, 3; S. August., l. XX de Civ. Dei, c. 19.

S. Petrus a Domino quaesivisset[1] : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* ille testatus est[2]: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*; ubi, ut advertit S. Augustinus[3], duodenarius numerus significat universam iudicantium multitudinem. — Attamen opportune monet S. Thomas[4] non quibuscumque pauperibus etiam voluntariis repromitti praedictam iudiciariam potestatem, sed illis solum qui relinquentes omnia sequuntur Christum secundum perfectionem vitae.

Iudicabunt autem viri perfecti, non quidem ex propria auctoritate sententiam ferentes, hoc enim solius Dei est qui dominium et potestatem habet in homines, sed sententiam auctoritate Dei latam pronuntiando seu in aliorum notitiam deducendo ; ut scilicet sciant iudicandi quid sibi iuste pro merito debeatur, ut sic ipsa revelatio iustitiae iudicium vocetur: non inconvenit enim aliquos sanctos quaedam aliis sanctis revelare, vel per modum illuminationis, sicut superiores angeli illuminant inferiores, vel per modum locutionis, sicut inferiores loquuntur superioribus[5].

1. Cf. Matth. XIX, 27. — 2. Ibid., 28. — 3. L. XX de Civ. Dei, c. 5. — 4. Supplem. Quaest. LXXXIX, art. 2. — 5. Supplem. Quaest. LXXXIX, art. 1. Cetera quae ad finale iudicium pertinent, require in Supplem. a Quaest. LXXXVII, ad Quaest. XC. Circa doctrinam de *novissimis*, quae Eschatologia solet vocitari, quacum praesens argumentum intimo foedere iungitur, omnino legi debet Dionysius Carthusianus, qui rem istam ita prosequitur, ut simul mentem instruat, et cor ad sequendum virtutem inflammet. Norunt omnes quanti hunc Doctoris exstatici tractatum fecerit sanctae memoriae Leo XIII, qui iuveni dissolutam viam ingresso sapiens monitum dedit :

Heu! fuge Sirenum cantus, fuge littus avarum,
Et te Carthusi, Flore, reconde sinu.
Certa tibi inde salus: Carthusi a fontibus hausta
Continuo sordes proluet unda tuas.

EPILOGUS

Haec quae haud levi animi consolatione, licet prorsus indignus, de te conscripsi, Christe Salvator, toto cordis affectu Tibi pronus subiicio, suppliciter orans et petens ut meis qualibuscumque laboribus tuae pignus benedictionis largus adiicias, qui Angelico Doctori Thomae Aquinati, a cuius uberrimo fonte haec omnia excerpsi, dicere dignatus es: *Bene scripsisti de me.* Et quia eo devenit aetas nostra ut quae ad Incarnationem tuam, a qua sola spes nobis vitae immortalis affulget, pertinent, a multis quidem abiiciantur, a plurimis autem, ex iis quoque qui catholico nomine censentur, sensu a veritate alieno detorqueantur, concede benignus, intercedente Sanctissima tua Matre, ut fides in tuam simul divinitatem et humanitatem ita in nostris omnium cordibus integra et immaculata iugiter perseveret, ut de unoquoque nostrum, exequiarum die, possit supplex Ecclesiae votum adimpleri : *Et quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat.* Amen.

EXPLICIT TOMUS ALTER
DE INCARNATIONE VERBI

ADNOTANDA

§ I

(Vol. I, Quaest. II, a. 7, p. 135.)

Circa primam probationem, quae est S. Thomae in argumento *Sed contra*, advertendum est illam esse tantummodo dialecticam, cum utique fuerit possibilis creatio alicuius rei ab aeterno, et consequenter illius rei assumptio a persona divina [1]. Quo tamen casu, cum res illa non foret aeterna nisi participative, ideo unio adhuc dici deberet creata res, cum solum aeternum imparticipative sumptum creata res non sit.

§ II

(Vol. I, Quaest. II, a. 8, p. 138.)

Circa primum discriminis caput assignatum in littera inter unionem et assumptionem, quaeri potest utrum incarnatio sit mutatio.

Cui respondendum censemus incarnationem intelligi quidem et significari tanquam mutationem, re vera tamen mutationem non esse, quemadmodum de creatione dici debet.

Nam, sicut in creatione intelligitur rem prius non fuisse totaliter, postea esse, ita in incarnatione intelligitur humanam naturam prius non fuisse unitam Verbo et postea unitam fuisse.

Attamen sicut creatio, secundum rem, mutatio non est, quia scilicet non est ibi aliquid aliter se habens nunc et prius [2], ita et incarnatio proprie mutatio dici nequit; quia quod assumptum est

1. Vide quod scripsimus in Opusc. DE AETERN. MUNDI, P. I, n. 12. Romae, 1901. — 2. 1, Quaest. XLV. Art. 3.

non praeextitit assumptioni secundum rem, cum mutatio sit suppositi ut subiecti ; humana autem Christi natura simul fuit formata et unita hypostatice Verbo. Porro, si Incarnatio non est mutatio, nec proprie est actio et passio, cum actio et passio conveniant in substantia motus.

Ex hoc constat non ita recte a quibusdam dici *relationi quae est rationis ex parte Verbi, respondere realem relationem necnon et mutationem ex parte naturae humanae:* hac quippe dicendi ratione subintelligendum daretur incarnationem esse vere mutationem, et non secundum modum intelligendi tantum.

Attamen, etsi incarnatio proprie mutatio non sit, tamen intelligitur et significatur per modum mutationis, sicut etiam creatio ita intelligitur et significatur ; quia sicut intelligimus aliquid creari, per hoc quod ex nihilo fit, ubi nihilum tanquam ens accipitur, ita etiam intelligimus unionem Incarnationis tanquam ex praeexistenti subiecto fieri , quod enim assumitur praeintelligitur assumptioni : consequenter intelligimus assumptionem tanquam actionem ex parte assumentis et passionem ex parte rei assumptae.

Iamvero, sublato motu, et consequenter sublatis actione et passione, non remanent nisi diversae habitudines in assumente et in assumpto, sicut etiam in creatione non sunt nisi habitudines in creante et in creato. Quapropter incarnatio active sumpta significat actionem divinam, quae est Dei essentia cum relatione, ad creaturam ; cum relatione, inquam, rationis et non rei : passive autem accepta, est relatio realis creaturae ad Deum.

Quia autem in Deo potentia est principium effectus et non actionis, nisi forte secundum intelligendi modum, in quantum scilicet Dei essentia praehabet in se simpliciter quidquid perfectionis est in rebus creatis, unde potest intelligi et sub ratione actionis et sub ratione potentiae[1], ideo Incarnatio proprie divinae potentiae attribuitur, secundum quod dicitur quod in hoc mysterio tota ratio facti est potentia facientis.

Si quis autem, ex eo quod incarnatio est relatio, arguere velit contra immediatam unionem divinae personae cum humana natura, quasi scilicet in ista unione mediet praecise haec relatio,

1. I, Quaest. XXV, art. 1, ad 3^m.

responderi potest quod, secundum rem, huius relationis humana natura est subiectum, quae ideo est prior in esse relatione illa, sicut esse subiecti est prior in esse accidente ; unde relatio illa non est medium uniens sed potius subsequitur unionem, licet incarnatio, secundum quod significatur ut mutatio, habeat pro termino humanam naturam, non simpliciter, sed ut unitam Verbo.

Cavendum tamen est ne similitudo inter incarnationem et creationem, quam hucusque sumus prosecuti, plus aequo extendatur : nam creatio quidem est emanatio totius esse ex non ente quod est nihil, incarnatio vero est assumptio humanae naturae, quae utique non praeexistit assumptioni, sed tamen non educitur de nihilo, sed de praeiacenti materia. Ulterius per creationem res accipit esse et essentiae et suppositi, per incarnationem vero accipit tantum esse suppositi.

In modo quoque significandi adest differentia : nam etsi creatio, secundum rem, sit in re creata tanquam accidens in subiecto et consequenter sit posterior ipsa re creata, tamen secundum intellectum, creatio importat quamdam rationem prioritatis per respectum ad obiectum ad quod dicitur, quod obiectum est principium creaturae : per creationem enim res incipit habere esse ; at in incarnatione, illa prioritas quae ponitur in humana natura per respectum ad assumptionem, est prioritas naturae, quae habetur ut dici solet, quando non convertitur consequentia : sic nempe dicimus : est Verbum incarnatum, ergo est humana ibi natura, non autem viceversa. Denique in creatione simpliciter dicitur : Creatura fit ; at in Incarnatione dici nequit : Natura humana fit, nihil addito ; sed aliquid addi debet quo factio illa determinetur ; puta : Natura humana fit natura Verbi.

§ III

(Vol. I, Q. II, a. 11, p. 144, l. 5.)

Typographi errore irrepsit vox *unio* penitus delenda.

INDEX

QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

TRACTATUS DE INCARNATIONE VERBI

QUAESTIO DECIMA SEXTA

De his, quae consequuntur unionem, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum se

Paginae

ART. I. Utrum haec sit vera : Deus est homo 8
— II. Utrum haec sit vera : Homo est Deus 13
— III. Utrum Christus possit dici homo dominicus 14
— IV. Utrum ea, quae conveniunt Filio hominis, possint praedicari de Filio Dei, et e converso 16
— V. Utrum ea, quae conveniunt Filio hominis possint praedicari de divina natura, et de humana ea quae conveniunt Filio Dei 20
— VI. Utrum haec sit vera : Deus factus est homo 22
— VII. Utrum haec sit vera : Homo factus est Deus 24
— VIII. Utrum haec sit vera : Christus factus est creatura 26
— IX. Utrum haec sit vera : Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse vel fuit semper 28
— X. Utrum haec sit vera : Christus secundum quod homo est creatura 30
— XI. Utrum haec sit vera : Christus secundum quod homo est Deus 32
— XII. Utrum haec sit vera : Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona 34
APPENDIX. Regulae communicationis idiomatum 36

QUAESTIO DECIMA SEPTIMA

De his, quae pertinent ad unitatem Christi quantum ad esse

ART. I. Utrum Christus sit unum, vel duo 39
— II. Utrum in Christo sit tantum unum esse 45

QUAESTIO DECIMA OCTAVA

De his, quae pertinent ad unitatem Christi quantum ad voluntatem

Paginae

ART. I. Utrum in Christo sit alia voluntas divina, et alia humana. 53
— II. Utrum in humana natura Christi sit alia voluntas respectu sensualitatis, et alia respectu rationis 57
— III. Utrum ex parte rationis fuerint in Christo plures voluntates 59
— IV. Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium 61
§ I. Quid sit liberum arbitrium 61
§ II. Existentia et ratio liberi arbitrii in Christo 63
§ III. Quo tempore Christus coeperit uti libero arbitrio 65
§ IV. Quid de Christi libertate sub vi paterni praecepti sit decernendum 66
§ V. Vera sententia statuitur 69
§ VI. Utrum Christus fuerit liber quantum ad praecepta legis naturalis 70
— V. Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito 72
— VI. Utrum in Christo fuerit aliqua contrarietas voluntatum ... 76

QUAESTIO DECIMA NONA

De his, quae pertinent ad unitatem quantum ad operationem Christi

ART. I. Utrum in Christo fuerit una operatio divinitatis et humanitatis, vel plures 82
— II. Utrum in Christo fuerint plures operationes secundum humanam naturam 91
DISSERTATIO SPECIALIS. Synopsis haereseos monothelitarum 94
— III. Utrum secundum operationem humanam aliquid sibi meruerit 102
— IV. Utrum per eam aliquid nobis meruerit 109

QUAESTIO VIGESIMA

De his, quae conveniunt Christo secundum subiectionem eius ad Patrem

ART. I. Utrum Christus sit subiectus Patri 113
— II. Utrum sit subiectus sibi ipsi 118

QUAESTIO VIGESIMA PRIMA

De oratione Christi

Paginae

ART. I. Utrum Christo conveniat orare ... 122
— II. Utrum conveniat sibi secundum sensualitatem ... 127
— III. Utrum conveniat sibi orare pro seipso, an pro aliis tantum 129
— IV. Utrum oratio eius sit exaudita ... 131

QUAESTIO VIGESIMA SECUNDA

De sacerdotio Christi

ART. I. Utrum conveniat Christo esse sacerdotem ... 136
— II. De hostia huius sacerdotii ... 141
— III. De effectu huius sacerdotii ... 143
— IV. Utrum effectus sacerdotii huius pertineat ad ipsum solum, an ad alios ... 146
— V. Utrum sit aeternum sacerdotium eius ... 149
— VI. Utrum debeat dici sacerdos secundum ordinem Melchisedech ... 151

QUAESTIO VIGESIMA TERTIA

De adoptione Christi

ART. I. Utrum conveniat Deo filios adoptare ... 155
— II. Utrum hoc conveniat soli Deo Patri ... 158
— III. Utrum sit proprium hominum adoptare filios ... 160
— IV. Utrum Christus possit dici filius adoptivus ... 162
SYNOPSIS HAERESEOS ADOPTIONISTARUM ... 171

QUAESTIO VIGESIMA QUARTA

De praedestinatione Christi

ART. I. Utrum Christus sit praedestinatus ... 175
— II. Utrum sit praedestinatus secundum quod homo ... 178
— III. Utrum eius praedestinatio sit exemplar nostrae praedestinationis ... 181
— IV. Utrum sit causa nostrae praedestinationis ... 183

QUAESTIO VIGESIMA QUINTA

De adoratione Christi

Pagina

ART. I. Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et eius humanitas ... 186
— II. Utrum caro Christi sit adoranda adoratione latriae ... 189
APPENDIX. De cultu sacratissimi cordis Iesu ... 195
ART. III. Utrum adoratio latriae sit exhibenda imagini Christi ... 197
APPENDIX Concilii Tridentini doctrina de cultu sacrarum imaginum 203
ART. IV. Utrum sit exhibenda Cruci Christi ... 204
— V. Utrum sit exhibenda Matri eius ... 208
— VI. Utrum reliquiae sanctorum sint adorandae ... 210

QUAESTIO VIGESIMA SEXTA

De hoc quod Christus dicitur Dei, et hominum mediator

ART. I. Utrum esse mediatorem Dei et hominum sit proprium Christo ... 213
APPENDIX. De sanctorum invocatione ... 217
ART. II. Utrum hoc ei conveniat secundum humanam naturam ... 220

APPENDIX

DE IIS QUAE CHRISTUS SALVATOR NOSTER EGIT ET PASSUS EST, SEU DE MYSTERIIS VITAE CHRISTI

CAPUT PRIMUM

De pertinentibus ad ingressum Christi in mundum

§ I. De conceptione Christi ... 226
§ II. De Christi nativitate ... 230
§ III. De legalibus circa puerum Iesum observatis ... 233
§ IV. De baptizatione Christi ... 236

CAPUT SECUNDUM

De pertinentibus ad progressum vitae Christi in hoc mundo

§ I. De modo conversationis Christi in mundo ... 241

Paginae
§ II. De tentatione Christi 243
§ III. De doctrina Christi 245
§ IV. De miraculis Christi 247

CAPUT TERTIUM

De pertinentibus ad exitum Christi de mundo

§ I. De passione Christi 254
§ II. De morte Christi 270
§ III. De sepultura Christi 272
§ IV. De Christi descensu ad inferos 275

CAPUT QUARTUM

De pertinentibus ad exaltationem Christi post hanc vitam

§ I. De Christi resurrectione 278
§ II. De Christi ascensione 286
§ III. De Christi sessione ad dexteram Patris 290
§ IV. De iudiciaria Christi potestate 292
Epilogus 297
Adnotanda 299

LAUS DEO ET DEIPARAE

Chalon-s.-Saône. – Imprimerie Française et Orientale, E. BERTRAND

233
L557

6205

LEPICIER, ALEX

AUTHOR

Tractatus de Incarnatione Verbi

TITLE Pars I II

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	McKee	
	Peica	OCT 13
	J W Murray	NOV 11
	Martin	NOV 26
	L[redacted]	
	MAY 22 1987	

6205